1768

4

30760/B

55350

CONSPECTVS PATHOLOGIAE

AD

DOGMATA STAHLIANA

PRAECIPVE ADORNATAE

ET

SEMEIOLOGIAE

POTISSIMVM

HIPPOCRATICO-GALENICAE

IN

FORMA TABVLARVM

REPRAESENTATVS

AVCTORE

D. IOANNE IVNCKERO

PROF. PVBL. ORDINAR. ET INSTITVTI
ORPHANOTROPHEI PRACTICO.



HALAE MAGDEBVRGICAE

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI

MDCCXXXVI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRAEFATIO.

Accipe, beneuole Lector, alteram theoriæ medicæ partem, *pathologiam* ſcilicet et *ſemeiologiam;* illam quidem ſecedim, hanc autem tredecim tabulis repræſentatam. De pathologia prædicere conueniet, illam ea methodo eſſe conſcriptam, vt, quam theoria medica, ad felicem praxin ſubeundam, inuoluat neceſſitatem, nexu quodam iucundo vbique perſpicere liceat. Quum vero in *conſpectu practico* pathologiam *ſpecialem* per ſingulorum morborum differen-

)(2 tias,

tias, ſigna, ſubiecta et cauſſas plenius iam exhibuerimus: tum ea hic repetere non modo ſuperfluum, ſed iniquum plane, ducimus. Interim generalior hæc tractatio ita adornata eſt, vt quosuis ſpeciales morbos ad generales claſſes relatos, eorumque ſingulares rationes commoda euolutione & adplicatione illuſtratos peruidere queamus. Morborum ſeries reſpondet ordini, quem in conſpectu practico obſeruauimus: hac enim ratione tironum commoditati conſulere ſolemus. Igitur præmiſſis quatuor tabulis, quæ de morbis generatim, deque eorum differentiis, ſubiectis & cauſſis exponunt, tabula quinta vniuerſalem quaſi fontem aperimus, atque ex illo morbos tantum non omnes deriuamus. Plethoram ſubaudimus; quæ proxime humores conſiſtentia lædit, & ominoſam eorum ſpiſſitudinem celerem comitem inuitat. Vnde, quæ ex corpore impuritates quotidie proſcribendæ eſſent, in illo retinentur, & ſic vitioſa humorum qualitas, quam *cacochymiam* vocamus, mox accumulatur. Hanc ob cauſſam tabula ſexta de ſpiſſitudine ſanguinis, ſeptima autem de cacochymia agitur. Tria hæc vitia ſunt hoſtes materiales, cum quibus per tres itidem motus & actus, vltra tenorem naturalem intenſos, naturæ confligandum eſt. *Primus actus* eſt ſimpli-

citer

citer *hæmorrhagicus*, vbi natura in ſubiectis, tenui ſangui- ne præditis, ad plethoram imminuendam motus hæmor- rhagicos ſuſcipit, per naturales ſanguinis fluxiones abun- dantiæ detrahendo. *Alter actus* eſt *congeſtorius*, in quo quidem hæmorrhagica molimina itidem agnoſcimus, ſed ſpiſſi humores non raro efficiunt, vt illi motus ſiniſtre ſuccedant, & moleſtis tantum congeſtionibus ægros ad- ficiant. Quo autem maiora impedimenta in hoc actu naturæ obiiciuntur, eo certius motum tonicum ad ſpaſ- mos vsque & conuulſiones intendere ſolet. *Tertius actus* eſt *febrilis*, in quo ſanguis abundans & ſpiſſus in ſerum reſoluitur & cum reliqua praua qualitate per ſudorem ex- cernitur. Actum primum exhibet tabula octaua de hæ- morrhagiis naturalibus; alterum explicat tabula nona de congeſtionibus & decima de ſpaſmis atque conuulſio- nibus; tertium denique tabula vndecima de febribus ex- ponit. Quem ad modum autem hi actus naturæ ad ma- teriæ peccantis indolem & conditionem adminiſtrantur: ſic in morbis lymphatico-ſeroſis, de quibus duodecima tabula agit, & in primarum viarum vitiis, quæ tabula decima tertia pertractantur, motus, materiali noxæ op- poſiti, non adeo vehementes ſed remiſſiores obſeruan- tur. Materiæ enim peccantes plerumque ita ſunt com-

 paratæ,

paratæ, vt præceps damnum non adferant; præterea in locis partibusque commodioribus, & ad iniurias quaſi perferendas aptioribus continentur. Quare iudicatu haud difficile eſt, cur in œdemate, cachexia, hydrope, ſcabie & in aliis lymphatico-ſeroſis corruptionibus, item in primarum regionum craſſis & mucidis vitiis motuum augmentum rarius obſeruetur. Quando autem cauſſæ morbidæ adeo contumaces ſunt vel ſaltem ita finguntur, vt natura ſpem eluctandi amittat: tum actus ſuos, poſt multa plerumque & irrita conamina, interdum plane omittit, & ex tædio motus reſiſtentes abiicit; de quo motuum vitalium defectu tabula decima quarta agitur. Tandem animi morbi, & caſus fortuiti, repentini ac ſic dicti reſeruati, tabulis vltimis explicati, pathologiam abſoluunt. Quod autem ad *Semeiologiam* attinet, illam *Hippocratico-Galenicam* non ſine ratione adpellauimus: plera-que enim ex hiſce auctoribus non modo deſumta, ſed ipſiſſimis eorum verbis conſcripta ſunt. Quid autem cauſſæ ſit, cur hos viros fere ſolos hac in re ſequamur, ſequentia explicant momenta. *Hippocrates* in arte prognoſtica tam mirificam dexteritatem tamque inſignem habitum adquiſiuerat, vt Medicorum plerique eius induſtriam etiamnum hodie admirentur. Quoniam autem

plura

plura huius Anteſignani loca ſatis obſcura, & non nulla eorum ita comparata ſunt, vt prædictiones cum recentiorum Medicorum experientia non vbique conueniant: tum alii, inter quos *Galenus* princeps eſt, per operoſam explicationem *Hippocratem* defenderunt, alii autem, ob nodos fere indiſſolubiles, in alterum extremum prolapſi, Semeiologiæ ſtudium vel prorſus neglexerunt, vel ſaltim incertum & fallax iudicarunt. Sicut autem media vbique via ſecuriſſima eſt: ita Senis quidem induſtriam illiusque obſeruationes merito venerari, errores autem per theoriæ defectum benignius excuſare, & quæ diſcrepant, per climatis ſui calidi ad frigidiora noſtra collationem conciliare congruum erit. Quare *Hippocratis* & *Galeni* interpretis prædictiones, ſatis diſperſas, cum induſtria collegimus, obſcuris autem & dubiis locis notas paſſim adiecimus, vt aliis ad vlteriorem emendationem anſam præbeamus. Hic enim canon ille antiquus, quod omnia probanda, & quæ bona tantum modo retinenda ſint, præcipue locum habet. Ceterum Semeiologiam hanc eo ordine conſcripſimus, vt præmiſſa generaliori tractatione monſtratum ſit, quæ prognoſtica ſigna ex motibus primum vitalibus, nempe ex pulſu, reſpiratione & motu tonico alterato petenda ſint. Deinde motus na-

turales

turales criticæ incudi reddendo de criſibus generatim expoſuimus; poſtea de ſanguinis excretione, ſudore, vrina, vomitu, aluinis deiectionibus, abſceſſibus & ſputo ſpeciatim dictum eſt. Tandem indicauimus, quid prognoſticæ veritatis ex motibus animalibus, voluntariis & externis corporis partibus haurire liceat. Sic vale, benevole Lector, & faue

AVCTORI.

TABVLA I.

DE

MORBIS GENERATIM.

I. *DEFINITIO.*

Morbus eſt corporis animati præternaturalis ſtatus, qui partium tam fluidarum quam ſolidarum craſin & mobilitatem lædit; coniunctus cum variis ſymptomatibus, quæ vel a cauſſa materiali morbifica, vel a motibus, noxæ materiali oppoſitis, plerumque auctis, rarius remiſſis, originem ducunt.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quemadmodum Pathologia, ſeu doctrina de morbis, alteram medicinæ theoreticæ partem conſtituit, quæ morborum cauſſas, ſymptomata, effectus, nexum, ſedem, indolem, atque decurſum explicat: ſic commode diuiditur in partem generalem & ſpecialem.
   1) *Pathologia generalis* generatim tantum conſiderat ea momenta, quæ modo recenſita ſunt.
   2) *Specialis* morbos ſigillatim pertractat, & quæuis phœnomena, circa illos occurrentia, curatius perpendit.
2. Pathologia *medica* longius differt a *phyſica:* hæc enim occupata eſt in ſola & nuda cauſſarum phyſicarum contemplatione, ſine reſpectu ad læſi corporis reſtitutionem e. g.
   1) Conſiderat, quomodo corpus ad varias læſiones habile & diſpoſitum ſit; ac quo vſque illæ latius ſerpere variaque

ſchemata exhibere poſſint. In hoc campo pathologico quis noxias humorum qualitates, quis innumeros ſapores, quis aëris vitia, & ciborum potuumque ſcrupuloſas accuſationes numeraret?

2) Inquirit porro in nexum, qui inter cauſſas lædentes & corpus læſioni obnoxium intercedit; non minus euoluit illius fiendi modum, atque ita circa nudas materiarum proportiones & his ſuperſtructas poteſtates perpetuo hæret. Quumque omnis eius opera verſetur in iis, quæ corpori mixto & ſtructo accidere poſſunt, *viui* autem rationem non habet: tum nihil ſollicita eſt, de *motuum principio* eiusque reſpectu *finali*.

3. *Pathologia* autem *medica* his ſuppoſitis.

1) Reſpicit generatim reſtitutionem corporis læſi.

2) Conſiderat corpus tamquam *viuum*, cuius partes organicæ non friuole, ſed eum in finem conſtructæ ſint, vt ad certos vſus, motibus exſequendos adplicentur; videlicet ad integritatis conſeruationem, læſionis reſtaurationem & principalis finis, cuius cauſſa omnia ſunt, ſalutare complementum.

3) Porro obſeruat cauſſam horum motuum *efficientem*, eorum gradus, proportiones & directiones; num ſcilicet finali intentioni congrue reſpondeant, vel ex contraria parte auerruncandæ noxæ minus quadrent.

4) Ex his probe ponderatis eruit tandem conſilium therapeuticum, vt tam materiam lædentem debite corrigere & expellere, quam motus ad optati finis conſecutionem dirigere ſtudeat.

4. Hæc ſimul docent differentiam pathologiæ a *pathognomia* & *ſemiologia*. Hæ enim circa morborum diagnoſin tantum hærent: illa autem, vti dictum, in morborum cauſſas ita inquirit, vt ſimul ad eorum therapiam via paretur.

5. Quot modis & quibus ſpeciatim reſpectibus morbi inter ſe differant, *Tabula ſpeciali de differentiis morborum* indicabitur.

6. Eadem quoque tabula *ſymptomatum* ab ipſo *morbo* differentia monſtrabitur. Hæ enim diſtinctiones vti magnam lucem

rei

rei medicæ adfundunt: ſic, vt de iis ſeorſim & explicatius agamus, operæ pretium erit omnino.

7. Tandem morbus differt a *vitio* ſenſu *phyſico* ſumto. Ille enim plerumque temporarium quid, hoc vero ſemper fere perpetuum denotat. Nam claudus & monoculus vitioſi quidem ſunt, ideo tamen non ægroti.

III. *SVBIECTVM.*

1. Quamquam morbi ſubiectum ſit corpus animatum, non ſolum hominum ſed etiam brutorum: tamen de priori tantum in pathologia agere conuenit, cum reliquorum animalium noſologiam veterinariæ cultores ſibi vindicent explicandam, quemadmodum phyſici aliique vegetabilium morbis attendere ſolent.

2. Quoniam præterea ſubiectum morbi in vario ſenſu ſumitur, & plures reſpectus inuoluit, ita, vt vberiore explicatione indigeat, neceſſe eſt, vt *tabula ſequente de ſubiecto morborum* ſpecialius agamus.

IV. *CAVSSAE.*

In tradenda morborum ætiologia ab antiquiſſimis temporibus magnus ſemper obſeruatus eſt Medicorum diſſenſus.

1. *Hippocrates*, qui minus ſibi conſtabat, morbos vix aliunde, quam ab aëre oriri alias credidit; mox vero omnes morbos ex bile & pituita prouenire docuit. Et *in libro de nat. hum.* tradit: corporis humani naturam ſanguine, pituita, bile flaua & nigra conſtare, corpusque ipſum per hæc dolere & ſanum eſſe.

2. Quid autem ſentiendum ſit de eo, quod *Hippocrates* το θειον in morbis vocitat, id varie a variis explicatur. Alii enim aëris peculiarem conſtitutionem; alii id, quod naturæ vires excedit; alii morborum prædictionem per illud denotari putant. *Confer. Iordani tractatus de eo quod diuinum aut ſupernaturale eſt in morbis.* Item *G. W. Wedelius*, qui ex locorum parallelismo euincit, *Hippocratem* per id voluiſſe, vt Medicus prænoſcere & prædicere valeat, quinam in morbis morituri, qui euaſuri ſint; quo reliquis pateat, ægrum non Medici culpa, ſed ſuo obiiſſe fato. Verum enim vero quocumque

 que

que modo explicetur, ethnicum tamen ſenſum *το θειον Hippocratis* vbique redolet, & non attingit illud diuinum, quod Medicus Chriſtianus in morbis perſpicit & veneratur, e. g. eo tempore quo *θειον* hoc ſobrie explicandum meditor, puerperam eodem die, quo ante annum per nuptias, enormibus ſceleribus maculatas, ciuitati ſcandalo fuit, purpura alba exſtinctam nouimus.

3. *Praxagoras* eiusque aſſeclae, quos inter eminet *Herophilus*, omnium morborum cauſſam in humorum vitio eſſe contenderunt. *Eraſiſtratus* autem plethoram & *παρεμπτωσιν* præcipuas morborum cauſſas agnouit. *Conf. Galeni liber de Venæſ. aduerſus Eraſiſtrat. capit. III. eiusdem Iſagoge cap. VIII.* Sed vti *Galenus* in *Eraſiſtrati* dogmata non ſemper æquus obſeruatur: ſic paremptoſeos quoque explicatio benigniorem meretur interpretem. Non ſolum enim ſanguinis e venis in arterias, quas aëre repletas putabat, transfuſionem ſeu coincidentiam, ſed reliquos quoque humores in locum alium præter naturam congeſtos, per talem paremptoſin ſignificaſſe videtur.

4. *Aſclepiades* & *Methodicorum ſecta*, relicta pathologia humoroſa, aliud ſibi condiderunt ætiologiæ ſyſtema, dum ſolidis corporis partibus initia & elementa attribuerunt & ex his tum quæ natura conſiſtunt, tum morborum cauſſas deriuarunt. *Vid. Galeni Iſagoge cap. IX. & cap. XIII.* De *Aſclepiade* ſpeciatim adſeritur, quod omnis morbi cauſſam in molis corporeæ extenſione quæſiuerit. Cum quo dogmate facile conſpirare potuit Methodicorum de laxo, ſtricto & mixto hypotheſis, per quam vitia & nimiæ ſtructuræ & ſolutionis & ex vtroque participantes adflictiones vna cum ſuis cauſſis explicare non fuit difficile.

5. *Pneumatici* quid ſpeciatim de cauſſis morborum ſenſerint, adeo manifeſtum non eſt, niſi quod conſtet, *Athenæum* & *Archigenem*, huius ſectæ anteſignanos, crediſiſſe, vniuerſos morbos a ſpiritu, in ſtatu quidem naturali omnia gubernante, in præternaturali autem offenſo, ducere originem.

6. *Galenus*, *Praxagoram* ſecutus, humoroſam pathologiam de nouo ſibi ſumſit reſtituendam; habita ſimul ratione temperiei;

riei; ita nimirum, vt poſitis quatuor humoribus, ſanguine, pituita, bile flaua & nigra, inculcaret, quemuis horum humorum, propter certam temperiem, certam quoque habere functionem: vitiata vero temperie, illico corrumpi functionem, vt animal vel in toto, vel in parte ægrotare cogatur. Hinc quatuor cardinales morbos ſecundum quatuor haſce cauſſas, ſcilicet caloris, frigoris, ſiccitatis & humiditatis ſtatuminauit. Ad ſpecialiores quod attinet, de illis vid. *eius liber de cauſſis morborum cap. VI-XI.*

7. *Græci* demum ſequiores, *Arabes* & Latino-barbari, vti reliqua *Galeni* placita, ita & hanc eius doctrinam de morborum cauſſis, ſeruili quodam obſequio propugnauerunt, vſque dum ſub ſæculi XVI. initium *humoriſtarum* ſeu *Galenicorum* dogmata conuellerentur.

8. *Paracelſus* ſcilicet contra vulgares Medicos ſurrexit, & mallei inſtar antiquorum ſyſtemata contundere adlaborauit: nihil tamen illis in reformatione ſua fuit felicior. Dum enim veterum intemperiem & quatuor humorum qualitates refutauit, cauſſas morborum tribus ſic dictis chemicorum principiis, *ſali* ſcilicet, *ſulphuri* & *mercurio* inconcinne tribuit. Sic

1) *Sal* ſtatuit
   (1) *dulce* in carnibus.
   (2) *ſalſum* in ſanguine.
   (3) *Amarum* in bile
   (4) *acidum* in membrorum extremitatibus.
2) *Sulphur* adſeruit
   (1) *rubrum* in carne, ſanguine & præcipuis viſceribus.
   (2) *flauum* in adipe, medulla & omento,
   (3) *album* in cerebro, oſſibus & venis,
   (4) *viride* autem in bile.
3) *Mercurium* finxit.
   (1) *grauem* in carne.
   (2) *leuem* in pulmonibus.
   (3) *mediocrem* in oſſibus, non ſine aperta principii petitione,

9. Idem porro *tartarum*, tamquam veram omnium morborum cauſſam, aliis obtruſit, ac eius cognitionem tantopore commendauit, vt Medici nomine indignum haberet illum, qui tartari morbos eorumque acceſſiones ignoraret. Species eius ſtatuit quatuor; quæ ſunt

1) *tartarus mortalis.*

2) *chronicus*, qui propter naturam fixam non mutetur, ſed itidem ad mortem tendat.

3) *manſuetus*, qui tolerabiles dolores excitet.

4) *præteriens*, qui collectus facile excernatur. Interim tamen ad elementa, ad aſtra, ad complexiones, ad quatuor humores ſubinde recurrit, quia iam in ſuppeditatis principiis non ſatis tuto confidendum eſſe animaduertit. *Conf. Barchuſen hiſtor. medic. dial. XV. Wedelii diſſ. de morbis tartareis Ienæ 1695.*

10. *Io. Bapt. van Helmont* ſatis quidem acriter perſtrinxit *Paracelſum*, eiusque morborum ætiologias præcipue exploſit in tractatu, cui titulum poſuit: *inuentio tartari in morbis temeraria.* Sed exiguo aut potius nullo rei medicæ emolumento. In locum enim pathologiæ tartareæ ſubſtituit friuolum illud *archæi indignantis, turbati, furibundi, meticuloſi* ænigma, aliasque *fermentorum* morbificorum fictiones & *ideas ſeminales*, *Paracelſi* ſomniis nihilo certiores. Vid. *Io. Frid. de Pré diſſ. de morbis archæalibus Erford. 1702.*

11. Docuit autem, morbum quemuis, ab interna cauſſa obortum, fieri ab archæo ipſo, qui materia quadam turbatus damnoſo conſilio ideam morboſam in ſe formet, & materiali ſuæ parti ita imprimat, vt morbus inde producatur. Deinde tot eſſe morborum, quot idearum morboſarum ſpecies; harum vero numerum æqualem putauit numero diuerſarum ſordium in homine. De ſede morborum decreuit, ſtomachum omnium eſſe ſentinam, quia morbi ad vnum omnes adorirentur animam ſenſitiuam, quæ ſedem ſuam in ſtomacho haberet.

12. Atque ſecundum illa *Helmontii* placita *ſanitatem* putant eſſe archæi actionem ſecundum ſyſtema idearum naturale per inſtrumenta integra in corpore manifeſtatam, *morbum* autem actio-

nem

nem eiusdem ſubſtantiæ ſpirituoſæ & luminoſæ ſimplicis, ſecundum ideam præternaturalem, eamque aut hæreditariam imaginatiuam, aut aliam quam cumque peregrinam, organorum vitio productam, & ad interitum totius compoſiti excuſam. Huius viri ſectatoribus quoque ſolemne eſt, archæum vocare animam. Vid. *Lud. Frid. Iacobi diſſ. de anima cauſſa morborum proxima Erford. 1691.*

13. *Robertus Fludd*, Anglus, repudiatis aliorum ſententiis, paradoxo ſuo dogmate multorum quidem excitauit admirationem, ſed pathologiam nullatenus perfecit. Is vero morborum cauſſas malos ſpiritus, ad quatuor mundi plagas locatos, pronunciauit, vtpote quibus ab irato Numine conceſſum eſſet, homines pœna dignos morbis diuexare. Quem in finem ficte magis quam probabiliter cuilibet horum ſpirituum adſignauit certum ſpecificumque morborum numerum, quo ſagittarum ad inſtar reos petere ſoleant.

14. *Otto Tachenius* ex pharmacopolæ miniſtro repente chemicus factus, paulo poſt Medicus, Venetiis quæſtum fecit ex viperarum ſale, variaque euulgauit Schediasmata, in quibus paradoxa ſua chemica & medica cum publico communicauit. De anima credidit, quod generatim conſiderata ſui quidem domicilii architecta ſit: cuique autem morborum, cum ſinguli diuerſi ſint, ſuam eſſe animam opinatus eſt, & omnes propemodum a *fermentatione* ſeu acidi & alcali coniunctione exoriri voluit: ſuppoſito acido, tamquam cuiuslibet morbi cauſſa principe. Omnium præterea morborum modum vnum eumdemque ſtatuit, niſi, quod loca differentem mali denominationem poſtulent; cum acidum ab acido haud differat. Sic ex illius ſententia acidum

ad vrinam admiſſum facit ſtranguriam
ad inteſtina, colicam
ad iuncturas, articulorum podagram
ad cutim, ſcabiem
ad fauces, raucedinem
ad extremitates vnguis, paronychiam.

15. Ceterum cum *Tachenio* fecit etiam *Wirdiglus*, *Bontekoe*, *Ouercamp* & plures alii pathologiæ falſæ propugnatores. Imo

&

& *Syluius* ex parte, qui cruditates acido-bilioſo-viſcidas in primis viis, præcipue vero in duodeno hærentes, chronicorum maxime morborum atque ſymptomatum cauſſam eſſe perhibuit. Quare abſorbentium, alcalium fixorum & ſalium volatilium oleoſorum vſum maxime commendauit. Sed mancam & male fundatam hanc eſſe, demonſtratunt *Frid. Hoffmannus* in *Exercit. acroamat. de acidi & viſcidi pro ſtabiliendis omnium morborum cauſſis & alcali fluidi pro iisdem debellandis inſufficientia. Francof. 1689. Stahlius de pathologia ſalſa Halæ 1698.* Item *Bohnius.*

16. *Auguſtus Hauptmannus*, Medicus quondam Dresdenſis, ſingulare plane & nulli forte alias familiare diuulgauit placitum, dum morborum & mortis cauſſam *putredinem animatam* ſeu *verminoſam* adſereret. Videri poteſt eius *meletematum pars in epiſtola præliminari, tractatui de viua mortis imagine mox edendo* ſacrata, qui tamen lucem numquam adſpexit. Conf. *Lindenius renouat. p. 97. Stollii hiſtor. med. p. 533. ſ.*

17. Hanc opinionem quaſi recoctam propoſuit recens quidam Medicus Anglus An. 1728. Pariſiis, vbi, dogmate de acido, alcali & fermentatione reiecto, demonſtrare adniſus eſt, quod omnis generis morbi ab inſectorum diuerſis ſpeciebus ſuam trahant originem. Confer. eius ſchediasma: *ſyſteme d' un Medicin Anglois ſur la cauſe de toutes les eſpeces de maladies, avec les ſurprenantes configurations des differentes eſpeces de petits inſectes, qu' on voit par le moyen d' un microſcope dans le ſang des differens malades, &c. Recueille par M. A. C. D. à Paris 1728. And. El. Büchneri miſcell. phyſico-med. An. 1728. menſ. Sept. p. 1339. ſ.*

18. *Thomas Williſius*, Prof. phyſices Oxonienſis, poſt vero practicus Londinenſis, ante hos quinquaginta, & quod excurrit, annos floruit, ſcriptisque ſuis magnam inter Medicos adeptus eſt famam. Is quoque peculiare ſibi conſarcinauit medicinæ ſyſtema, cuius compendioſam recenſionem fecit *Barchuſen hiſtor. medic. dial. XVII.* Tradidit autem duas in homine reuera adeſſe animas, natura diſtinctas, alteram quidem incorpoream, alteram vero corpoream, e ſanguine vitali & ſpirituum animalium congerie conflatam, quarum illa

in

in phantaſia reſideat, hæc vero per vniuerſum corpus diſtributa ſit. Hominem per fermenti modum naſci, ſiquidem vitæ origo ſpiritui in corde, veluti puncto cuidam fermentanti, debeatur. Hominem porro per eumdem modum nutriri & mori. Quemlibet autem morbum virtute etiam fermenti, ſuas excitare tragœdias; quid? quod natura per fermenta quoque morborum moliatur curationes. Sanguinem in æquabili temperie & fermentationis motu ſeruatum, bonam efficere valetudinem; aduerſam vero fieri, ſi quando humorum motio, ſolito aut maior fuerit, aut minor. Præter alia & hoc ipſi tribuendum, quod plurima in morbis chronicis ſymptomata ex ſpaſmo & generis neruoſi adflictione partiumque conſenſu deriuanda eſſe docuerit: poſtquam neruorum ſtructuram per anatomen curatius perueſtigauerat. Quam ſæpe vero deceptus ſit per anatomiam comparatiuam, id pridem monuit *Schelhammerus in addit. ad Conringii introduct. p. 209. ſ.*

19. Recentiorum non pauci in conſtituendis morborum cauſſis via ab aliis, quos iam recenſuimus, plane diuerſa incedunt, & ſicut motus, qui ad machinæ corruptibilis conſeruationem in ſtatu ſano tendunt, a cauſſis mechanicis ſeu rerum corporearum facultatibus earumque mutua actione et reactione deducunt: ita motus in morbis contingentes ex cauſſis materialibus morbificis deriuant. Interim animam vt morborum fabrum paſſim agnoſcunt, & vbi neceſſe eſt, in ſubſidium vocant.

20. Sed ex longe aliis fontibus *Stahlius* pathologiam ſuam deriuat: iudicat enim in morbis nihil *noui*, ſed tantum aliquid aucti potiſſimum fieri. Videlicet vti motus ordinarii ordinariæ corporis neceſſitati proſpiciant, & præcipue materiales noxas per quotidianas excretiones expurgent: ſic auctis peccantibus materiis motus quoque ſecernentes & excernentes augeri, in cauſſa autem vel vere perdita, vel falſo ſic iudicata, nonnumquam remitti, aut plane omitti. Iſta vero explicatius *tab. de cauſſis morbor.* trademus.

V. *VSVS.*

1. Vſus doctrinæ pathologicæ vti in ſe eximius eſt: ita ſupra indicatas differentias eo magis notaſſe iuuabit, quo plus intereſt, vt ſuum cuiuis debitum ponatur pretium.
2. Ex pathologia *Stahliana* præter alia id quoque commodi in cultores ſuos redundat, vt inde perſpicere valeant, quam arctus inter phyſiologiam & pathologiam ſit nexus: ſicut enim illa motus naturales ordinarios, ordinariæ noxæ, quæ in corpore quotidie progigni ſolet, deſtinatos docet: ita hæc motus auctiores & extraordinarios in morbis contingentes minime vt hoſtes conſiderat, ſed ab eodem rationali principio productos & hoſti materiali oppoſitos eſſe clarius explicat.
3. Diſtincta porro ſolidaque cognitio cauſſarum morbos excitantium magni vſus eſt.
   1) Ad euitandas confuſiones, quæ oriri poſſunt ex tot auctorum, qui circa morborum cauſſas tantopere variant, comparatione.
   2) Præcipue ad prouide diſtinguendum inter id, quod vera morbi cauſſa eſt, & inter illud, quod propter morbi cauſſam in morbo & ſub illo extraordinarium obſeruatur. Quibus probe cognitis, facile erit diſcernere ipſum morbum a ſymptomatibus tam actiuis quam paſſiuis.
4. Perueſtigatis cauſſis verioribus prudenter porro diiudicari poterunt variorum circa hoc negotium fictiones, quarum pleræque primo ſtatim obtutu ſemet refutant; ſi autem cum experientia comparentur, deprehenduntur plane abſonæ. Veræ e contrario cauſſæ egregie conſpirant cum praxi & ſubiectis, vnde euincere licet, eas a *priori* quoque certas & demonſtrabiles eſſe.
5. Cum tandem motus in morbis, ex ſententia *Stahlii*, nihil noui ſint aut peregrini, ſed naturalium ſolummodo augmentum plerumque ſalutare, licet moleſtum, quo principium vitale vtitur ad cauſſam materialem morbificam ſubigendam & expellendam: tum hæc doctrina medicum reddit cautum, ne in hos tam vtiles tamque neceſſarios motus vllo modo peccet, aut naturæ intentionem turbet, multo minus eosdem ſup-

ſupprimere in animum ſibi ſumat. Hoc enim idem eſſet ac alicui cum hoſte acriter dimicanti arma excutere & mortem accelerare.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Pathologiam diſcere volenti id inprimis ſuppeditandum eſt conſilii, vt ad hanc non accedat, niſi ſanis phyſiologiæ principiis probe imbutus. Vti enim rectum norma eſſe ſolet obliqui: ita cognito illo hominis ſtatu, qui ſanus dici meretur, optime demum patebit, quando & cur idem læſus aut æger dici debeat.

2. Pathologia *phyſica* tametſi accuratiſſima, ad morborum curationem parum conferre valet, vnde illius adplicatio eo debet eſſe circumſpectior.

3. Tunc autem phyſicæ pathologiæ in medicina aliquis eſſet vſus, ſi cauſſarum phyſicarum, quæ corpus lædere ſolent, naturam corrigere aliasque concurrentes circumſtantias mutare valeremus. Sed quoniam vtrumque in medici poteſtate non eſt, conſultum ducitur, pathologiæ magis *medicæ* quam *phyſicæ* amplam nauare operam; ſiquidem nexus inter cauſſam lædentem & corpus læſionibus obnoxium, plus curioſitati, quam exoptatæ reſtitutioni ſatisfacere deprehenditur, & niſi acceſſerit pathologiæ medicæ opera, neutiquam ſanabitur corporis læſio.

4. Præterea quod pathologia plus quam ſimplicem morborum recenſionem inuoluat, ex ipſa *definitione* iam elucet. A quo enim diligentius cauſſas morborum eruere ſtuduerunt Medici, ab eo aliam longe indepta eſt faciem; vt iam circa magis vera occupetur, circa talia nimirum, quæ vere exſiſtunt & frequenter fieri ſolent.

5. Magno autem ſubſidio fuit accuratior hiſtoriæ morborum indagatio, quæ a multis quidem poſt ſolertiſſimum hiſtoriæ morborum ſcriptorem, *Hippocratem*, frigide nimis culta & vix non neglecta eſt; ſed *Petro Foreſto* manum admouente inſignia cepit incrementa. Vnde *Stahlius* in *diſſ. de emendandæ hiſtoriæ clinicæ fundamentis theſ. VII.* adfirmat, neminem quemquam tanta, quanta *Foreſtus*, induſtria & peritia hoc argumentum tractaſſe. Conf. *Stahlii diſſ. de empiria rationali*

medica §. *XVII.* Ipſe autem *Stablius* quanto ſtudio, quantaue accuratione in hoc negotio verſatus ſit, ipſius loquuntur monumenta. Vid. *Stollii hiſt. med. p. 521.*

6. Plena igitur & accurata hiſtoriæ morborum conſignatio, vti plurima in pathologiam confert commoda: ita ſolicite attendenda ab illis eſt, qui hanc medicinæ partem cum fructu tractare & incongruum hyſteron proteron euitare ſatagunt. Cognito enim ſubiecto obſeruatisque momentis præcipuis & alicui morbo eſſentialibus, fidæ ac veræ demum erui poſſunt eius cauſſæ, quod vel ex vnico hæmorrhagiarum exemplo addiſcere licet.

7. Cauſſam quidem huius depletionis efficientem diu eſſe crediderunt aliquam in ſanguine *acrimoniam*, quæ ſubtiles tandem venulas corrodendo ſanguini prorumpenti viam pandat. Sed experientiam huic opinioni refragari, attentis practicis ex ſimplice hæmorrhagiarum hiſtoria notum eſt. Hac de re *tab. de hæmorrhagiis* explicatius dicemus.

8. Sic etiam in plerisque aliis morbis veræ hiſtoriæ penſitatio amplæ vtilitatis eſt, & præcipue ad genuinas eorum cauſſas eruendas facem præferre ſolet. Cognitis enim morbi circumſtantiis, nexum cauſſarum vel mediocre iudicium ſuperſtruere poteſt.

9. Iam de *morbo* ipſo exponendum erit. Quantum autem interſit conuenientem & in vera experientia fundatum de morbo conceptum habere: id pridem agnouerunt Medici. Quare *Thomas Eraſtus* dicere non veretur, quod in ea disquiſitione, quid morbus ſit, totius artis principium & finis conſiſtat.

10. Diſcrepantia Phyſiologorum principia non poſſunt non conceptus quoque pathologicos confundere. Vnde ſola morbi *definitio* inſtar Eridos pomi fuit apud magni nominis Medicos; ſicut diſputationes inter *Eraſtum*, *Argenterium*, *Iul. Alexandrinum*, *Fernelium*, *Io. Valleſium* & *Leon. Fuchſium*, vltro citroque acriter inſtitutæ, ſatis comprobant.

11. *Hippocrates libro de flatib.* morbum id eſſe dixit, quidquid hominem vexet; ſed hæc definitio tam imperfecta eſt, quam eorum, qui antiquitus dixerunt: morbum eſſe primorum,

quæ

quæ ſecundum naturam conſtant, intemperiem. Conf. *liber Galeno adſcriptus, de medicis definitionibus.* Item morbum in eo conſiſtere, quod ab agente cauſſa in ſubiecto poſt mutuam actionem & paſſionem maneat impreſſum; vti legas in *Laur. Iouberto* f. 212.

12. *Galenus* in morbo definiendo minime felicior fuit: ille enim vel per operationis, vel per ſtructuræ læſionem eumdem deſcribit. Et alibi dicit: morbum eſſe adfectum præter naturam, qui actionem impediat. *Vid.* eius *liber de diff. morb. cap. II.* it. *lib. de diff. ſymptomat. cap. I.* & *lib. I. de ſanit. tuenda cap. V.*

13. Haec definitio quia multis adriſit, eam magis perpolire ſtuduerunt, dum ad mentem anteſignani morbum explicant, quod ſit adfectus corporis, actionem eius primo & immediate ſenſibiliter lædens. *Conf. Horſtii opp. tom I.* f. m. 233. *Paul. Sorbait Iſag. med.* f. 43. *Brunonis dogmata med. generalia p. 110.* Sed ſi conſideremus, quod νοσος & παθος apud *Galenum* aliosque Medicos græcos ſint ſynonyma, quodque in plerisque morbis actiones, præcipue vitales, non lædantur, ſed augeantur; tum facile pateſcit, & genus & differentiam huius definitionis claudicare.

14. Vrgent non nulli, morbum potius ſtatum *contra*, quam *præter* naturam eſſe definiendum: ſed ſiue materiale vitium, ſiue motus in morbis ſpectemus, a naturali ſtatu ita non deflectunt, vt *contra* naturam abſolute haberi poſſint. Præterea vocabula technica, vſu recepta, valent vt nummi. Porro ſi conſideremus vulgares de morbis conceptus & enunciationes, quibus motus moleſtos præcipue accuſant, tantum abeſt, vt *contra* naturam morbus ſit, vt potius *pro* illa militet. Certiſſimum enim eſt, morbum plerumque id dici, quod potius eſt medicina contra morbum. e. g. febres cuiuscunque indolis. *Conf. tab. de diff. morbor.*

15. Quod vero ad *cauſſas* attinet; neceſſe omnino eſt, præter cauſſas *materiales*, *motuum* quoque in morbis penitiorem inire rationem: videlicet penſitare, a qua cauſſa efficiente motus ita dirigantur, vt iam intenſi, iam remiſſi, iam de nouo excitati adpareant, vſque dum materialis noxa ſubacta & eli-

minata fuerit. Numquam enim memoria excidat, auctiorum motuum alium non eſſe finem, quam materiarum noxiarum excretionem. Quod adeo verum eſt, vt ii quoque Medici, qui ſapientem motuum directorem in corpore non agnoſcunt, ſed puro mechaniſmo inhærent, directam eorum ſuppreſſionem iudicent pernicioſam; quam rem cautiones de febribus præmature non ſupprimendis ſatis confirmant.

16. Quantum in morbis prærogatiuæ habeant motus *auctiores* præ *deficientibus*, nemo Practicorum ignorat. Vnde in motuum excitatione nimium ſæpe, quam par eſt, non nullos occupatos videas. Qui ſane conatus luculenter teſtantur, motum eſſe *actum* certis finibus deſtinatum, ac proinde a materia minime exſpectandum.

17. Itaque perpetuo recordari conuenit, in morbis, exceptis paucioribus, aliquid *actiui* concurrere, quod prudenter æſtimandum, ſobrie diiudicandum & ad finem ſalutarem ſynergetice promouendum ſit.

18. Quamdiu autem aurea hæc veritas in artis & ſanitatis detrimentum abſcondita fuerit, Medicorum ſcripta paſſim teſtantur. *Hippocrates* quidem hanc naturæ energiam probe agnouit, diſerte ſcribendo: naturam eſſe, quæ ſanitatem in nobis tueatur & morbos pellat. *Vid. Stahlii diſſ. de medicina ſine Medico.* Sed multa poſt ipſum ſæcula hoc vtiliſſimum dogma præteruiderunt.

19. Sicuti vero & energiam & ſynergiam naturæ in morbis agnoſcere multum intereſt Practicorum; ne motus cauſſæ *materiali* tribuant, qui ſunt *efficientis* & *ſapientis principii*; ita *actiua* hæc ſymptomata a *paſſiuis* ſollicite diſcernere conueniet, vt circumſpectus naturæ miniſter euadat & contra motus rationaliter inſtitutos & finaliter agentes nihil quidquam temere ſuſcipiat.

20. Quo magis cauſſæ *materiales* in morbis manifeſtæ ſunt: eo maiorem ſui expoſcunt conſiderationem. Quo minus autem eædem adparent: eo magis motuum ratio habenda eſt; ea tamen diſcretione, ne materias peccantes plane prætermittamus: ſub ipſis enim motibus noxios humores generari certum eſt.

TAB.

TABVLA II.
DE
DIFFERENTIIS MORBORVM.

I. D*EFINITIO.*

Differentia morborum eſt technica eorumdem diuiſio, quæ a cauſſis, ſubiectis, motuum gradu, aliisque circumſtantiis deſumitur.

II. *DIVISIO.*

1. Morborum diuiſio, vti ferme videtur arbitraria: ita etiam ab auctoribus multifariam ſolet inſtitui. Nos eos diſpeſcimus in morbos potiſſimum
   1) *Quantitatis*
   2) *Qualitatis*
   3) *Motuum:* minime inficiando, dari quoque morbos, qui vel maxime *mixtæ* dici debeant *indolis.*
2. Difficile præterea eſt, ſed methodi cauſſa inuentum, morbos motuum a prioribus ita ſeparatim proponere, quaſi his nihil cum illis eſſet commune: ſed cum humorum tam *abundantia,* quam *ſpiſſitudo* inſigne non ſolum augmentum, verum etiam notabiles ſæpius motuum exacerbationes inducere ſoleant; tum inde diſcimus, morbos inter ſe admodum eſſe connexos.
3. Licet autem *motus,* materiæ morbificæ ſubigendæ proportionatos, morbi *ſymptomatibus* adnumerauerimus, vti ex *definitione* tabulæ præcedentis patet; tamen *ανομαλῶς* agentes re vera morborum ſolent fieri cauſſæ, quando v. g. fiunt
   1) citra proportionem ad materialem noxam, atque vehementia ſua malum morbi in deterius peruertunt, & ſub nimio augmento nouas materias noxias progenerant, & iam præſentem adaugent.
   2) Quando nulla materia adfligente variis in negotio vitali turbis anſam præbent; quod in animi pathematibus, &

ira

ira potiſſimum diſpalescit; vbi experientia teſte, colicam, febres bilioſas, inflammationes, conuulſiones, paralyſin, apoplexiam prouocare ſolent.

3) Sæpe materia morbifica quidem adeſt, ſed quieta & quaſi ſopita deliteſcit, vti obſeruamus in calculo, arthritide, hæmorrhoidibus; accedentibus autem motuum exacerbationibus, per cauſſas externas ſuſcitatis, illico dolores calculoſi, arthritici & colica hæmorrhoidalis, apud teneros inprimis, ſæuire incipiunt.

4) Non ſolum autem adcuſandi ſunt motus, quando, ſub bona licet intentione, nimium excedunt & cum impetu adminiſtrantur, ſed etiam, ſi ad debita organa ſecretoria & excretoria non dirigantur; vel iuſtas temporis periodos non obſeruent & præpoſtere exerceantur; vel quando erronee, timide, dubie aut tergiuerſando inſtituantur; vel plane deficiant. Ex quibus abunde conſtat, ipſos motus, qui morbos curare debent, morborum cauſſas fieri, ſi ανομαλως & peruerſe adminiſtrentur.

4 Conſiderandum inſuper, quod motus a natura inſtituantur vario ſcopo: mox enim propter ſolam humorem *quantitatem* excedentem ſuſcipiuntur congeſtorii & euacuantes; mox autem propter *qualitatem* peccantem, reſolutorii, conquaſſatorii; mox propter vtramque vel ſimpliciter vrgentem, vel ob natam exinde læſionem, attritorii, colliquantes, abſtergentes & per varia organa ſimul euacuantes, qui tamen hac occaſione intenſionis gradu, continuationis menſura, temporis opportunitate ita ſæpe delinquunt, vt vnus idemque morbus non numquam dici poſſet morbus quantitatis, qualitatis & motuum.

5. Quod ſi iam talem morbum quantitatis dixeris ſolum; habebit alter, quod iure moneat; cum & qualitatis malum adpellare congruum ſit. Nec reprehendendus eſſet tertius, qui ad morbos motuum eumdem referret.

6. Exemplo ſit adoleſcens ſeptemdecim annorum, manifeſto plethoricus, qui ſub lautiori diæta & otio non ſolum humorum abundantia, ſed tanta etiam ſpiſſitudine adgrauatus fuit, vt per venas iterato apertas effluxum denegarent. In-

cidit ergo in famoſum malum hypochondriacum, & crebris conuulſionibus diu exagitatus tandem exſpirauit. Facta cadaueris ſectione hepatis ſcirrhi & pulmonum tophi luculenter adparuerunt.

7. Hunc itaque morbum, cuicumque claſſi ex tribus indicatis aliquis adnumerauerit, nullus errabit. Tam difficile eſt, quoslibet morbos adeo accurate in claſſes redigere, vt nihil ſuperſit, quod contra eiusmodi partitionem & diuiſionem opponi queat. De hac re in primis teſtantur febres, vtpote quæ non raro quantitati & qualitati, iunctim peccantibus, a natura opponuntur. Solent autem auctores hic diſtinguere antecedens a conſequente, vt cauſſas morborum remotas & ordine primas a proximis ſeu ipſum morbum continentibus clarius disiungant.

8. Interim quia & methodi & ſyſtematis ratio poſtulat, vt morborum obuiorum nomina cum tironibus communicentur, hinc in tres modo dictas claſſes illos quidem huc ponemus, ſed eam cautionem, quam modo præmiſimus, repetemus, ne quis præceps nimis nos arguat de illegitima & non ſatis fundata morborum in claſſes diuiſione. Licet enim ex plethora & ſpiſſitudine quam plurima mala deriuemus: tamen cacochymiam in multis ſubiectis ſimul concurrentem, nulli negamus; interim a potiori denominationem fieri debere iudicamus.

9. Quibus expeditis iam ſigillatim enumerandi veniunt

1) *Morbi potiſſimum quantitatis*, ad quos præcipue pertinent

(1) *Hæmorrhagiæ* variæ, tam legitimæ, quam anomalæ, in vtroque ſexu occurrentes, nempe hæmorrhagia narium eiusque ſuppreſſio, ſputum cruentum, hæmoptyſis, vomitus cruentus, hæmorrhoidum fluxus ordinatus, nimius, ſuppreſſus, fluxus hepaticus, menſes nimii, imminuti, ſuppreſſi, hæmorrhagia vteri, varices manantes, ſudor ſanguineus.

(2) *Congeſtiones* ad varia loca; vnde partim variæ dolorum moleſtiæ, partim autem ſtaſes, inflammationes, infarctus, ſcirrhi, exulcerationes ſequuntur. Hinc cephalalgia ſanguinea, ſeroſa, clauus hyſtericus, cephalæa,

vertigo, ophthalmia, epiphora, hypopium, cataracta, otalgia, tinnitus & ſuſurrus aurium, auditus grauitas, parotides, odontalgia, vari, gutta roſacea, rheumatiſmus, coryza, phlegmatorrhagia, grauedo, ptyaliſmus, branchus, defectus ſaliuæ, raucedo, catarrhus, tuſſis, aſthma, angina, prunella, aphthæ, palpitatio cordis, inflammationes, phlegmone, eryſipelas, abſceſſus, furunculus, panaritium, gangræna, phthiſis, vomica, empyema, viſcerum inflammationes, de quibus ſub febribus. Malum porro hypochondriaco-hyſtericum, infarctus, ſcirrhi pulmonis, hepatis, lienis, horumque exulcerationes, glandularum indurationes, atrophia, nephritis ſimplex, calculus renum & veſicæ, renum exulceratio.

(3) *Febres continentes*, ſeu *ſanguineæ:* ephemera ſimplex, ephemera plurium dierum, ſynocha ſeu continens ſtricte dicta.

2) *Morbi qualitatis* potiſſimum

(1) *Febres continuæ, intermittentes, chronicæ:*

α) *Continua primaria* ſ. febris continua ſimplex.

β) *Continuæ ſecundariæ* ſeu inflammatoriæ ſymptomaticæ: phrenitis, pleuritis, peripneumonia, paraphrenitis, hepatitis, ſplenitis, febris cholerica, cauſus, catarrhalis benigna.

γ) *Malignæ:* e. g. catarrhalis maligna petechizans, petechialis, hungarica ſ. caſtrenſis, miliaris, vrticata, ſcarlatina, variolæ, morbilli, dyſenteria, peſtis.

δ) *Intermittentes:*
Quotidiana ſimplex & duplex, tertiana ſimplex & duplicata, quartana ſimplex & duplex, quintana, octana. Quibus addendæ tertiana & quartana continua.

ε) *Febris* lenta & hectica.

(2) *Morbi lymphatico-ſeroſi:* œdemata, cachexia, chloroſis, anaſarca, hydrops pericardii, ouarii, aſcites, tympanites, hydrocele, phthiriaſis, achores, cruſta lactea, tinea, herpes, ſerpigo, ſcabies, ſcorbutus, ſtomacace, icterus, fluor albus, gonorrhœa, lues venerea,

rea, lepra, vlcera, cancer, ſudor nimius eiusque ſuppreſſio, ſudor fœtens, ſtranguria, dyſuria, iſchuria, incontinentia vrinæ, diabete.

(3) *Morbi primarum viarum:* adpetitus excedens, anorexia, nauſea, fœtor oris, ſoda, cardialgia, flatulentia, colica, paſſio iliaca, vomitus, obſtructio alui, diarrhœa.

3) *Morbi motuum*

(1) *excedentium:* vt *ſpaſtico-arthritici* morbi, hemicrania, cephalagra, gloſſagra, pleuritis ſpuria, hemicrania, chiragra, gonogra, podagra. Porro *ſpaſtico-conuulſiui* morbi: ſpaſmus cynicus, riſus ſardonius, tetanus, emproſthotonus, opiſthotonus, catalepſis, priapiſmus, ſatyriaſis, incubus, ſingultus. Denique morbi vere *conuulſiui* & *epileptici.*

(2) *Deficientium:* paralyſis, paraplexia, hemiplexia, apoplexia, aphonia, tremor artuum, catarrhus ſuffocatiuus, leipothymia, ſyncope, coma, lethargus, carus.

4) *Quarta in claſſe* continentur morbi ſingulares e. g.

(1) *Morbi animi:* memoriæ debilitas, melancholia, mania, erotomania, furor vterinus, noſtalgia, hydrophobia, lycanthropia, noctambulatio, chorea S. Viti, tarantiſmus, philtrum, ebrietas.

(2) *Caſus reſeruati* reliqui. e. g. venena, fulmine tacti, ſtrangulati, aqua ſubmerſi.

(3) *Morbi mulierum* & *infantum.*

a) *Grauidarum.*

b) *Parientium.*

c) *Puerperarum.*

d) *Lactantium.*

e) *Infantum.*

10. Differentia morborum *accidentalis* a variis petitur circumſtantiis. Vnde

1) *ratione ætatis*

offerunt ſe morbi puerorum, adoleſcentium, virorum, & ſenum; qui ſi in ea ætate ſubiectis obtingunt, in qua ordinarie obtingere ſolent, *congrui* dicuntur, vt ſi infanti-

 lem

lem aut puerilem corripiant variolæ & morbilli: ſi ſecus euenerit, *incongrui* audiunt, quando v.g. pueris aut adoleſcentibus hæmorrhoides fluunt aut viri variolas patiuntur, aut ſanguinem e naribus fundunt. *Conf. Hoffmanni diſſ. de morbis incongruis Halæ 1702. Schelhammer de morbis ætatum Ienæ 1694.*

2) *Ratione ſexus*
notabilis quorumdam morborum eſt differentia, quæ tamen ex antecedentibus facile dignoſci poſſunt. *Conf. Adolphi diſſ. de morbis frequentioribus & grauioribus per ſexus differentiam Lipſiæ 1727.*

3) *Ratione tempeſtatum* ſunt vel
(1) vernales,
(2) æſtiui,
(3) autumnales, vel
(4) hiemales, quos ſigillatim enumerat *Hippocrates in aphoriſmis.*

4) *Ratione vitæ generis*
multi diuerſique adfligere ſolent morbi, de quibus *Conf. tab. de ſubiecto morborum.*

5) *Ratione cauſſæ*, ſunt
(1) *hæreditarii*, vt hæreditaria phthiſis, arthritis, auditus grauitas, calculus &c. *Vid. Stahlii diſſ. de hæreditaria diſpoſitione ad varios adfectus. Hoffmanni diſſ. de morbis hæreditariis eorumque origine Halæ 1699.*
(2) *adſcititii*, ab humorum quantitate, qualitate aut motuum vitiis ſuborti. Porro vel
(3) *immateriales*, ſeu ab imaginatione & animi pathematibus producti. *Conf. F. H. Werckmeiſteri diſſ. de imaginatione morborum cauſſa Halæ 1694.*
(4) *Materiales* ad vnam quatuor claſſium no. 9. referendi.

6) *Ratione adſuetudinis*, quidam ſunt
(1) *recentes* & transeuntes, alii vero
(2) *habituales*, inueterati, obfirmati, de quibus *conf. Stahlius de morbis habitualibus.*

7) *Ratione inuaſionis* multos occupantis:

(1) *epi-*

(1) *epidemici,* qui ex communibus cauſſis integras regiones inuadunt & oppido paucis parcunt.

(2) *Endemii,* ſeu certis regionibus aut locis proprii, vt maris accolis ſcorbutus, polonis plica, pannoniis tſömör, tirolenſibus ſtrumæ *Conf. Langii diſſ. de morbis endemiis Lipſiæ 1694. Hoffmanni de morbis certis regionibus & populis propriis Halæ 1705.* His contradiſtinguuntur morbi.

(3) *Sporadici,* qui nec certo populo proprii, nec vno eodemque tempore plures corripunt, nec apud omnes communem ſui cauſſam agnoſcunt.

8) *Ratione ordinis*

(1) *periodici,* qui præterlapſa certa menſium, hebdomadarum, dierum aut horarum periodo revertuntur & ſubiecta inuadunt. *Vid. Stahlius de adfectibus periodicis.*

(2) *Vagi* contra, qui vel ſæpius vel rarius inuadunt, nulla temporis periodo obſeruata.

9) *Ratione indolis* variique reſpectus ſunt

(1) *ſalutares,* quos firma ſtabilisque ſanitas excipit, & qui grauiora mala auertunt, vt ſunt hæmorrhoides ordinate fluentes, ſudores ſpontanei, febres pleræque. *Conf. Alberti de ſalubritate morborum Halæ 1723.* His opponuntur *lethales,* qui mortem non modo minantur, ſed etiam inferunt.

(2) *Benigni,* quorum

a) ſymptomata non adeo grauia multo minus lethalia ſunt.

b) cauſſæ etiam opera naturæ et Medici adhuc ſuperari poſſunt, vnde

c) decurſus plerumque placidus & tranquillus.

(3) *Maligni* vero habentur illi, in quibus contrarium per omnia obſeruatur. *Contagioſi,* qui per ſubtiliſſima effluuia aut mutuum corporum contactum inuadunt & plures homines trucidant.

(4) *Magni* vocantur, qui viſcera vitalia occupant & periculum portendunt, vt inflammationes internarum partium gangræna.

Leues, qui medelam facile admittunt & cito tolluntur.

(5) *Curabiles*; qui autem ob cauſſam inexpugnabilem aut concurrentis ſynergiæ naturæ defectum, Medici operam fruſtrant, ii dicuntur
Incurabiles. *Conf. Stahlius de incurabilibus adfectibus.*

(6) *Legitimi*, in quibus ſymptomata eſſentialia, quæ morbum, alias ordinate decurrentem, conſequuntur, obſeruamus. Vbi autem conſueta ſymptomata deſunt, morbi
Spurii vocari ſolent.

(7) *Simplices*, quorum ſymptomata & habitus vnum tantum morbum adeſſe indicant.
Complicati autem, qui ſubiectum vno eodemque tempore adfligunt: quando v. g. cancro mammarum febris ſuperuenit, aut phthiſicus in acutam incidit. *Vid. Magirus de morbis complicatis Vltraiecti 1698.*

(8) *Corrupti*, qui ex aliis legitime decurrere ſolitis poſt prægreſſos varios medicationis & diætæ errores ita degenerant, vt ſchema poſthac longe peius induant & refractariam magis indolem oſtendant. *Conf. Stahlius de morbis corruptis.* Qui autem contrraio modo ſe habent, illi vocantur *incorrupti*.

(9) *Ratione ſedis*, quam morbi cauſſa occupat, ſunt vel
1) *idiopathici*, qui cauſſam morbificam in ſubiecto morbi ſpecialiſſimo hærentem habent.
2) *Symptomatici*, qui corporis partes nondum læſas adfligunt propter aliam, quæ iam patitur, vt vomitus in capitis vulneratione & nephritide, tuſſis propter vitium in hypochondriis.

(10) *Ratione conſtantis euphoriæ & ominoſi recurſus*
1) *curati* ex fundamento; vel
2) *recidiuantes*, aut de nouo cum omnibus ſymptomatibus ingruentes.

(11) *Ratione frequentiæ* vel
1) *vulgares* & ſemper obuii, vt febres, malum hypochondriaco-hyſtericum.

2) *Rari*,

2) *Rari*, vt hydrops pericardii, ſphacelus autocratice curatus, gonorrhœa epidemica citra delictum ſubiectorum, quam demonſtrare non dubitat *Henr. Baſſius in obſ. dec. IV. obſ. 5. Conf. Stahlius de morbis raris.*

(12) *Ratione mutatæ ſedis* vocantur

1) *retrogradi*, quando v. g. partibus ignobilioribus relictis, nobiliores occupant & in vicem verſam. Quibus oppoſiti omnes,

2) qui ab hac indole alieni ſunt. *Vid. Diſſ. de morbo retrogrado* ſub *Stahlii* præſidio 1697 habita

(13) *Ratione ſubiecti ſpecialiſſimi* ſunt

1) *vniuerſales*, totum corpus occupantes, ut ſcabies, febres malignæ, purpura, variolæ, ſcorbutus, lepra.

2) *Particulares*, vt morbi oculorum, aurium, dentium, linguæ, &c. quorum ferme centuriam enarrrauit *Ioh. Maur. Hoffmannus in diſquiſitione corporis hum, anatomico-pathologica ſpecim. XIX. XX.*

(14) *Ratione artificis* adhibendi alii dicuntur

1) *medici κατ᾽ ἐξοχὴν*, vt ſunt omnes morbi interni.

2) *chirurgici*, quales ſunt morbi partium ſolidarum, ſpeciatim

a) *Conformatio præternaturalis* quoad

(a) *magnitudinem*

1. *excedentem*, quando quædam Corporis pars iuſto maior eſt, vt caput, oculi, dentes, lingua, naſus.

2. *Deficientem*, vbi contrarium obſeruatur, vt manus pueriles in viro.

(b) *figuram* imperfectam, vt videmus in illis, quorum crura & pedes præternaturaliter introrſum vel extrorſum reflexa ſunt, vel qui planas habent manuum volas & pedum plantas, aut quibus coaluerunt digiti.

(c) *ſitum* a naturali deflectentem vt anus, vagina, vterus propendens.

(d) *numerum*, quo referas ſex digitis præditos, tres

tres mammas habentes, triorchides, aut illos, qui debito numero laborant.

b) *Læſio*

(a) *vnitatis in partibus ſolidis*

1. *mollioribus*, in quibus vtpote continuum lædi ſolet per contuſiones, vulnera, rupturas & vlcera.

2. *Durioribus*, quæ fiſſuris, fracturis & carie adfici obſeruantur ſæpius

(b) *contigui*, vbi plures partes patiuntur, veluti in luxatione, & artuum diſtorſione palam fit. Licet in omnibus recenſitis malis concurrere poſſit & ſæpe debeat medicus: tamen plerumque ſoli chirurgi horum medelam in ſe ſuſcipiunt, vnde etiam chirurgici morbi adpellantur.

(15) *Ratione dominantium inter homines* vitiorum, dantur e.c. morbi bibonum, de quibus *Conf. Diſſ. de morbis bibonum Altorfii 1720.* Morbi veneris cultorum. *Vid. Hoffmanni diſſ. de morbis ex nimia & intempeſtiua venere Halæ 1728.*

11. Ceterum plures morborum differentias adcumulare operæ non duximus pretium: placuit quidem aliis, morbos vlterius in *manifeſtos* & *occultos*, in *auſtrinos* & *boreales*, in *fientes* & *factos*, in *planetarios*, & *ſidereos* imo in morbos a *veſtitu*, vti *Riuinus*, & alios diuidere, ſed exiguo cum diſcentium fructu; quare omnibus eiusmodi differentiis ſuperſedere tuto poſſumus.

12. Vidimus hactenus *morborum* differentias; quare de *Symptomatibus* etiam eorumque differentiis quædam erunt adiicienda.

13. Quemadmodum autem morbus non raro cum ſymptomatibus confunditur: ita notabilis etiam ſymptomatum inter ſe differentia non ſatis attendi ſolet. Equidem *genus* ſymptomatis recte omnes ſtatuunt, quod ſit præternaturalis actionum conſtitutio: vbi vero *differentiam* & *cauſſas* explicant, ſanam expoſitionem raro inuenies. *Vid. Antonidæ van der Linden Medull. medic. part. II. ſect. III. p. m. 113. ſeq.* vt vero ex hoc

hoc labyrintho eo felicius nos extricemus, diuidemus ſymptomata in

1) *actiua*, quæ ſcilicet ab ipſis naturæ motibus therapeuticis, propter ſuperandum morbum inſtitutis, originem ducunt, & tamquam alterationes motuum excretoriorum in finem ſalutarem ſuſceptæ iudicari debent.

2) *Paſſiua*, quæ vel a materia morbifica, vel ab ipſis motibus, morbo oppoſitis, proueniunt, & tamquam morbida ac vera actionum læſio conſideranda ſunt.

15. Exemplo ſit febris intermittens. Hanc natura adgreditur motibus, tamquam ſuis armis, quibus noxiæ materiæ intendit reſolutionem, colliquationem, ſecretionem, abſterſionem ac tandem excretionem: cum vero ordinarii motus minus ſufficiant, ideo inſtituuntur auctiores. Quoniam autem in febre materia quædam viſcida & tenax in primis viis, aut circa illas, hærens adeſt, ante omnia neceſſe eſt, vt illa præparetur, ſeu emolliendo, diluendo, conquaſſando mobilis & ad eliminandum apta reddatur. Atque hoc ipſum perpetratur

1) largiore laticis aquoſo-ſeroſi adfuſione

2) partium adfectarum & materiæ mutua alliſione & quaſſatione.

16. Vtrumque vt obtineri poſſit, varii a natura ſuſcipiuntur motus, variæque motuum alterationes, quæ, quid ſymptoma actiuum, quid paſſiuum ſit, induſtrio obſeruatori haud obſcure indicant. Ita

1) *actiua ſymptomata* in hac febre habentur

(1) *conſtrictio peripheriæ* per intenſioris motus tonici actionem, vt humores introrſum, nempe ad primas vias, materia febrili grauatas, reprimantur, & ſic largior copia liquoris diluentis per poros & tunicas glanduloſas materiæ emolliendæ adfundatur.

(2) *Vomitus*, per quem materiæ febrilis pars, excretioni apta, eliminatur.

(3) *Relaxatio peripheriæ* & *expulſio humorum* ex interioribus ad externas partes. Quia enim humorum coacervatio in interioribus, infarctibus & ſtaſibus anſam facile

porrigere poſſet, natura ad auertendam talem noxam conuenientes huic ſcopo motus ſuſcipit; nempe motum progreſſiuum magnopere auget, ſanguinem ſpiſſum conquaſſando in ſerum reſoluit, ad peripheriam expellit, cutim antea ſtrictam relaxat, ſudorem promouet. Et per ſitim defectum compenſat.

2) *Paſſiua autem ſymptomata* hic habenda ſunt

(1) *reſpectu materiæ febrilis*, flatulenta oppletio anguſtans & diſtendens, oris amarities & ſiccitas, fœtor per os iam acidus iam nidoroſus.

(2) *Reſpectu motuum vitalium*, & ſpeciatim reſpectu

a) habitus externi *conſtricti* & humorum ad interiora *reſtrictorum:* vaſorum & totius habitus ſubſidentia, pallor & inſigne frigus; ſpiſſitudo humorum, per moram in partibus interioribus producta,

b) *progreſſionis* humorum ad peripheriam: habitus externi & vaſorum turgeſcentia, color floridus rediens, æſtus, tamquam immediatus intenſiorum motuum effectus.

c) habitus externi *relaxati;* finito paroxyſmo ad animalem motum & ſenſuum exercitium non modo notabilis hebetudo, defatigatio & ſomnolentia, ſed & impotentia obſeruatur, ob prægreſſam toni intenſionem & inſecutam viciſſim relaxationem.

III. *VSVS.*

1. Ne imperitioribus ſterilis videatur ſuſceptus in proponendis morborum differentiis labor, monere expedit: quod vtique multum interſit futuri practici, morbos legitime & ſecundum *eſſentiales* differentias, quæ ſimul veras cauſſas pro fundamento habent, diſtinguere. Nam his cognitis expeditior feliciorque erit medicatio.

2. Ex ſimplici quoque hoc diagrammate eluceſcit, quod humorum *quantitas* plures morbos producere ſoleat, quam eorumdem *qualitas.* Illa enim cum ſuperabundat & liberiorem per vaſa progreſſum ac per poros transpreſſionem remoratur:

tur: tum vniuerſa maſſa tardius circumagitata neceſſario ſpisſeſcit, & qualitatis morbos progenerat plures; ſi in primis vitæ & diætæ ratio ad augendum & obfirmandum acceſſerint. Quo perſpecto denique clarum eſt, quantitatem ceu fœcundam malorum matrem primum eſſe reſpiciendam.

3. Vnde & hoc fluit, illos ſuam perdere operam, qui qualitati ſolummodo variis artificiis mederi ſtudent, vbi quantitas adhuc peccans ſubfuerit. Fruſtra enim fructus malus ſuccidi-tur radice manente illæſa.

4. Quia porro Medicus facilius in motus quam in materiam agere valet; morbos motuum prudenter ac circumſpecte moderetur, ne exoptatum medicationis ſuæ ſucceſſum, perperam tractatis motibus, cum ægri periculo impediat. Nam his turbatis, natura facile ad extrema, aut nimium intendendo, aut plane eos omittendo delabitur: quod ſi euitare didicerit, eximium inde habebit vſum practicum.

5. Prognoſin denique hæc de morborum differentiis doctrina magis expeditam reddit. Vti enim certius curari poſſunt morbi congrui, adſcititii, recentes, ſimplices, benigni, incorrupti: ita difficilius longe tolluntur incongrui, complicati, maligni & corrupti.

6. Ita *ætatum* morbos diſtinctius noſſe, multum refert, ſed fundamentum eorum perſpicere in praxi prodeſt plurimum. *Vid. Stahlius de morborum ætatum fundamentis pathologico-therapeuticis.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Solemne fuit ſuperiorum temporum Medicis, *Galeni* ductum ſequi & huius auctoris libros de *differentiis morborum & ſymptomatum*, fundamenti loco ponere; vnde multum legas de morbis *intemperiei, ſimilaribus, organicis, ſimplicibus, compoſitis* &c. quos cum ſubſidio mnemoneutico operoſe expoſuit *Io. Iac. Weckerus* cuius conferri poſſunt *Medicæ Syntaxes Baſil. 1562.*

2. Plures Sæc. XVII. ſcriptores morbos non ſecundum *differentias eſſentiales*, ſed corporis anatomice conſiderati generaliſſimam diuiſionem diſpoſuerunt. Exhibent enim *primo*

morbos capitis, deinde medii ventris, poſt hos infimæ cauitatis ac tandem ægritudines artuum. *Conf. Caſp. Peucerus, Sennertus, Platerus, Horſtius, Ionſton* in ſuis *operibus ſyſtematicis.* Hinc factum eſt, vt febres vel in fronte vel, quia ſedem earum cor credebant, in media cauitate collocarint.

3. Parum vero apte & minus ſcientifice hanc morborum diuiſionem factam eſſe, ex ante dictis iudicari poteſt. Immo dum podagram ad articulorum morbos ſimpliciter referunt, quia in illis ſe manifeſtat; communis inde in multorum animis ſubnatus eſt error, ac ſi reuera morbus eſſet chirurgicus, qui variis cataplaſmatibus, emplaſtris, variisque vnguinoſis debellari deberet remediis: quam in fauſte vero talis medicatio ſemper ceſſerit, triſtis experientia ſatis eloquitur. Quantum contra ad feliciorem podagræ curationem conferat, illud noſſe, quod morbus quantitatis ſit, prolixius demonſtrare haud expedit.

4. Non præterea mirentur tirones, ſi omnes & ſingulas voces, quibus aut morbus aut ſingulare ſymptoma exprimi ſolet, in hac tabula congeſtas non legant. Non enim vocabularium noſologicum, ſed præcipuos morbos introductionis loco adponere voluimus. Nam prolixius diſſerere, quid v.g. ſit alopecia, myopia, ectropium, chalazia, encanthis, rhyas, phlyctænæ, ſudamina, eſſeræ, epinyctides, leuce, alphus, phyma glandularum & multa alia, inſtituti vetat ratio.

5. De *quarta morborum claſſe*, animi, mulierum & infantum morbos complectente, hoc obſeruandum, quod non ideo poſtremo loco hi morbi poſiti ſint, ac ſi cum prioribus nullam haberent cognationem, quam omnino habent maximam, vti facile probari poſſet; ſed quia conſuetudo ſyſtematum ita iam pridem tulit, eamdem obſeruare nulli dubitauimus.

6. Quod morbi *hæreditarii* tam difficile tolli queant, id efficit inueterata in parentibus motuum conſuetudo, quæ proli quaſi ingenita antiquam retinet indolem. Sicuti enim conſuetudo altera quaſi fieri poteſt natura, quæ perquam difficile cedit: ita in his morbis plurimum Medicis faceſſere negotium videmus. *Conf. Stahlius de conſuetudinis efficacia in actibus vitalibus ſecundum naturam & præter naturam.*

7. Quam-

7. Quamquam vero iſtius modi morbi generatim mature ſatis ſe manifeſtent: tamen occurrunt quædam ſubiecta, quæ ab eorum inſultibus ad ætatem vſque iuuenilem libera manent; cum in aliis iam ab incunabulis eorumdem aſperitatem obſeruare liceat.

8. *Vernales* morbi medicationem promtius admittunt, quam autumnales & hiemales. Verno enim tempore aucto indies calore macrocoſmi, microcoſmus quoque ad vberiorem tranſpirationem diſpoſitus, humores a centro ad peripheriam pellit, atque ita eos ſecernendo & excernendo curationem expeditiorem reddit.

9. *Endemii* ob ſingularem pertinaciam & cauſſas non naturales difficilius ſuperantur, quam epidemici non maligni: obſeruatum ſiquidem eſt, quod endemio malo adflictis, extra ſolum patrium conſilium Medici ſalutare, promtius conducat, quam quidem in ipſa patria.

10. *Morbi ſimplices*, ſalutares, benigni, per imperitam medendi methodum & peruerſum ægrotorum regimen ſæpe in complicatos, lethales & malignos degenerare, experientia comprobat.

11. Languente aut prorſus denegata naturæ energia, omnis morbus, quantumuis leuior iudicatus, fieri poteſt incurabilis.

12. Non pauca exempla teſtantur, morbos ob veras cauſſas minus perſpectas, adeoque ab artifice non adgreſſas, nedum ſublatas, habitos fuiſſe incurabiles, qui tamen, legitima methodo adhibita, poſtliminio curati ſunt.

13. Iſta autem de morbis. Iam de *ſymptomatibus* probe obſeruandum: dari omnino *ſymptomata ſymptomatum*, hoc eſt, motus ſalutares, qui morbum oppugnant, illi ipſi quasdam procreant moleſtias, variæ ſenſationis variique euentus, vti ſub *diff. 16.* ſub ſymptomatibus *paſſiuis*, a motibus vitalibus oriundis, iam adnotauimus. Quæ res etiam aliter fieri nequit; nam in quouis certamine occurrunt moleſtiæ, quas ſubire tam victor, quam deuictus coguntur. Nec ille, qui vincit, a plagis, doloribus, æſtu & defatigatione immunis eſt; quid? quod victores ſæpe ita lædantur, vt morti fiant proximi. Ita

exercitus tam defenſoris, quam adgreſſoris, omnibus, quas belli tempore peragrant, regionibus ingentes creare ſolent moleſtias.

14. Nemini ergo admirationem moueat iſtud circa ſymptomata phænomenon, quod nempe alia ex aliis prodeant. Natura enim rei id ipſum ſibi poſtulat, nec aliter hic agitur quam in moralibus, vbi omnia, ſudoribus parta, multo labore tuenda ſunt.

15. Notari præterea meretur, quod ſymptomata in veros abire morbos poſſint & ſæpius ſoleant. Quando v. g. humores ad diluendam materiam febrilem in interioribus coaceruati & extra motum aliquamdiu conſtituti, ob indeptam indolem ſpiſſeſcentem paſſim ſtagnant & in viſceribus ominoſos infarctus producunt, ſcirrhorum & ſubinde exulcerationum prodromos. Atque ita cognoſcimus, morbo ſua eſſe ſymptomata pediſſequa, ex quibus ſub certis circumſtantiis, veri tandem progenerari poſſint morbi.

16. Diſquirunt ceterum pathologi opera magis curioſa, quam vtili, *an omne ſymptoma ſequatur morbum?* quidam id negant, prætexentes, grauia ſequi poſſe ſymptomata v. c. oſſiculi deglutitionem, citra præexſiſtentem cauſſam morbificam. Sed reſpondent alii, hanc ipſam deglutitionem ſatis eſſe cauſſæ, vt ſolidarum partium læſionem inducat, quam ſequi poſſunt non modo ſuffocationis periculum, ſed inflammatio, febris, conuulſiones, vlcus, gangræna. Porro obiiciunt, ſi ventriculus, cibis nimium infarctus, moleſtam quantitatem in ſano homine reiiciat, id eſſe ſymptoma ſine morbo. Cui dubio ab altera parte ita ſatisfit: quod nimirum tale accidens adhuc ſub latitudine ſanitatis comprehendatur, neque re ipſa dici mereatur morbi ſymptoma.

17. Quæri præterea ſolet, *an ſymptoma conſiſtere poſſit abſente morbo?* quale quid obſeruatur in ictericis, quorum color ſubflauus, poſt morbum aliquamdiu curatum, peripheriam adhuc fœdare ſolet; ex quo phænomeno in affirmatiuam eunt ſententiam, & ſymptomatis, ſublato iam morbo, adſtruere nituntur exſiſtentiam. Verum, diſtinguunt alii in eiusmodi caſi-

caſibus inter morbum *inchoate* & *conſummate* curatum: quo itaque obſeruato facile colligitur, ne hic quidem ſymptoma eſſe ſine morbo.

TABVLA III.
DE
SVBIECTO MORBORVM.

I. DEFINITIO.

Subiectum morbi eſt homo ſeu corpus viuum eiusque partes tam ſolidæ quam fluidæ, quæ variis læſionibus ſecundum materialem ſui conſtitutionem, mixtionis & ſtructuræ, obnoxiæ ſunt.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Subiectum *generale* morbi hominem eſſe diximus; non quod animalia non æque ægrotare ſoleant, ſed quia neque tam ſæpe, neque tam varie, veluti homo, morbis laborant. Præter ea illis frequentius a cauſſis externis, huic vero magis ab internis ægritudines oboriri ſolent; quemadmodum hæmorrhagiarum & febrium negotium id ſatis confirmat. Conf. *Stahlius de frequentia morborum in corpore humano præ brutis.*
2. Subiectum *ſpeciale* conſtituunt ſingula indiuidua, quæ præ aliis promtius & frequentius, ægrotare ſolent.
3. Rationes indiuidualis morborum frequentiæ & differentiæ, obſeruamus varias. v. g.
   1) *naturales.*
      (1) *Diſpoſitio* ad morbos in vno indiuiduo præ alió generatim magis conſpicua, in primis vero illa, quam plures quaſi hæreditario iure a natiuitate acceptam habent.
      (2) *Aetas.* Quamuis enim cuiuis ætati ſuos eſſe morbos ſciamus: tamen infantes & ſenes, ob deficiens partium ſolidarum robur tonicum ac inde dependentes actus ſe-

cretorios & excretorios impedite ſuccedentes, variis expoſiti ſunt malis, quæ reliquas ætates ordinarie non tangunt.

(3) *Sexus;* de quo notandum, quod maſculinus non adeo promte, nec tam frequenter morbis ſubiiciatur, quam quidem ſolet fæmininus, qui ob plurium circumſtantiarum rationes multis morbis ſibi propriis expoſitus eſt.

(4) Vtriusque ſexus indiuidua; quæ plurimum ſenſibilia ſunt, facilius morbis tentantur, quam minus talia. Huc pertinent, qui debiles & textura ſua teneri ſunt.

(5) Homines ſanguinis & ſeri euacuationibus antea adſueti, poſthac autem earumdem vel impeditum ſucceſſum vel ſuppreſſionem experti.

(6) Conſuetudine ægrotandi & habitu quaſi præditi.

2) *non naturales.*

(1) Quod ad aërem attinet, illi, qui loca paludoſa, maritima aut aliis noxiis exhalationibus inſalubria incolunt, & impuram auram hauriunt, præ aliis, qui in montanis degunt, & aëre puro fruuntur, morbis expoſiti ſunt.

(2) Illi, qui ciborum varietate & quantitate genium immodice demulcent, ipſumque ventriculum obruunt, & ſic ad cruditatum geneſin occaſionem præbent. Immo & alii, diætam ſcrupuloſe & exquiſite legalem obſeruantes.

(3) Qui meditationibus perpetuis incumbunt & ob frequentiores lucubrationes ſomno detrahunt, viriumque tam corporis, quam animi iacturam faciunt.

(4) Otioſis vitæque generi ſedentario dediti & nihilo minus pleno victu fruentes.

(5) Animi pathematibus nimium indulgentes, ſpeciatim ad iracundiam, triſtitiam, terrorem & metum proni.

(6) Qui excernenda diutius retinent & retinenda iuſto celerius euacuant.

(7) Omnes illi, quorum vitæ genus ad peculiares morbos diſponit, vt ſunt metalli foſſores, de quorum morbis *Vid. Fr. Hoffmanni diſſ. de Metallurgia morbifera Halæ 1695.*

1695. Alberti de præſeruandis metallicolarum morbis 1721. Schacher de morbis eruditorum, Wedel de morbis concionatorum, Bern. Ramazzini diatriba de morbis artificum, vbi quinquaginta duo vitæ genera horumque morbos recenſet.

4. Subiectum morbi *ſpecialiſſimum* eſt pars corporis, in qua vel vera læſio, vel quæcumque alia cauſſa morbifica hæret, & propter quam motus excitatur.

III. *VSVS.*

1. Subiecta noſſe & diſtinguere, tam eximium habet in praxi medica vſum, vt qui hæc probe dignouerit, planiorem ad curationem viam habeat.
2. Quoad diagnoſin hoc inde artifex capit emolumenti, vt mala ſexui & ætati propria non tamquam incongrua iudicet, ſed prudenter illis medeatur; ducendo naturam eo, quo tendit, aut diuertendo motus, qui in ſalutarem quidem finem ſæpe ſuſcipiuntur, ſed irregulari conamine multis moleſtiis anſam præbent.
3. In prognoſi formanda multum iuuat ſubiectorum conſideratio, e. g. morborum ætatum vel facilem ſpondere poſſumus ſolutionem, vel pertinacem prædicere continuationem, vel graues ominari inſultus; de quibus minore certitudine diſſeret, qui ſubiectorum quoad enumeratas circumſtantias ſolidam non habuerit cognitionem.
4. Diſtincte cognitis ſubiectis facilis datur tranſitus ad eruendas & feliciter detegendas veras morborum cauſſas, quæ, neglecta doctrina de ſubiectis, plus difficultatis ſecum vehunt.
5. Vti enim in morbo ſexui & ætati congruo facilius obtinetur curatio; ſic in alio incongruo reſtauratio difficilius ſuccedit: hic enim alia ſupponit curatius indaganda, quæ reſpicere debet practicus ante, quam ad præſens malum operam ſuam dirigat.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Quemadmodum circa res ſpecie vel genere easdem exſiſtere ſolent contraria, ita rationi quoque congruum eſt, idem,

 quod

quod ſanitatis, etiam morbi eſſe ſubiectum: vnde ex vero adfirmatur, hominem id eſſe, ſeu corpus viuum.

2. Conſentiunt hac in re Medici, & licet *Fernelius* tamquam ſingulare placitum foueat, partes tantum ſolidas eſſe proprium morbi ſubiectum, generatim tamen corpus viuum agnoſcit. Quam inconueniens autem ſit hæc adſertio, id pridem monſtrauerunt *Caſp. Hoffmannus*, *Iac. Panc. Bruno*, aliique. Refutatur præterea ſola conſideratione corporis ſtructi, quod partes ſolidas vbique fluidis perfuſas oſtendit, vt neutiquam alterutræ ſolæ pro ſubiecto morborum venditari poſſint.

3. Subiectum morbi ſpecialiſſimum, morbo adfectum, quo nobilius ac magis vitale eſt, eo grauiorem indicat morbum maiusque portendit periculum, & in vicem verſam.

4. Subiecta, quæ hæreditariam ad morbos diſpoſitionem habent, rarius ita curari poſſunt, vt aliis pancratice valentibus fiant ſimiles.

5. Homines præterea exquiſita ſenſibilitate præditi, vti ſibimet ipſis ſatis eſſe ſolent moleſti: ita optima ſæpe eludunt Medicorum conſilia, ſiquidem remedia ſæpe contrarios in his effectus edere obſeruantur.

6. Quibus longa adſuetudine morbi quaſi familiares ſunt, ii facilius eos tolerant, quam qui raro aut numquam ægrotarunt; vnde ab vnica febre hos proſterni & ſubinde vita priuari videas, cum valetudinarii contra plures & diuerſos morbos ſuperare valeant.

7. Intemperantia & otium non tantum mala ſunt morali ſenſu, ſed etiam medico reſpectu; Inde enim plurima originem trahunt pericula, de quibus vid. *Hygiein. noſt. tab. de cibo & potu & de motu ac quiete.*

8. Quod vero laborioſi interdum corripiantur morbo, hoc non mobili eorum vitæ generi tribuendum, ſed cauſſis, quæ rarius aliæ deprehenduntur, quam externæ. Quia enim multos diætæ errores perferre ſe poſſe ſciunt, hinc multum quoque audent, ſie ſtürmen auf ihre Geſundheit los vnd verlaſſen ſich auf ihre gute natur. Dum itaque

1) ventriculum primasque vias nimium quantum adgrauata

habent,

habent, febre intermittente tentari ſolent. Quoniam vero agreſtibus moribus omnia peragenda putant, morbum ſalutarem quantocyus depulſum optant, & buculcos, agyrtas, veſpillones, carnifices & omnis generis artifices conquirunt, qui morbum non curant, ſed deteriorem reddunt.

2) Non raro etiam in acutas incidunt, quando nimirum tempore nundinarum, encæniorum, diebus item feſtis aliisque ſympoſiis, præter cibos & alia potulenta ſpiritus inſuper ardentes adeo immoderate ingurgitant, vt tantos diætæ errores non poſſint non grauiores ſubſequi morbi, ſi inprimis vehemens acceſſerit motus ſaltatorius.

3) Nec aliter ſe res habet cum malis eorum chronicis, quæ plerumque a cauſſis externis oriri ſolent. Nam vbi v. g. tempore fœniſecii aut meſſis, vrente ſole, inter ſtrenuos labores, humores in corpore non calent, ſed verius feruent, illi autem, a ſiti vexati, largiſſimis hauſtibus frigidam ingurgitant, atque ita variis infarctibus, ſtagnationibus, viſcerum indurationibus occaſionem ſuppeditant, hinc pertinaces quartanæ, hydrops, phthiſis, lenta tabes eo certius prægreſſos errores excipiunt, quo magis ipſis ſolemne obſeruatur, ineptiſſimas medicationes adhibere.

4) Plures valetudinarii fiunt poſt perpeſſos violentos ictus, lapſus, contuſiones, quas vel ab equis, vel ſub rixis, certaminibus, laboribus & onerum geſtationibus reportant; alii labem ſibi contrahunt ex immodica poſt corporis præcipue exagitationem refrigeratione. Vt adeo morbis accidentaliter magis ſubiiciantur, raro ab interna cauſſa deriuandis. *Conf. Io. Henr. Fuchſii diſſ. de adfectibus ruſticorum Duisburgi 1714.*

9. Illos tandem, qui pathematum vehementia abripiuntur, iure meritoque morborum ſubiectis præ aliis accenſeri, quotidiana experientia confirmat, & podagrici, calculoſi, hypochondriaci ad iram proni inprimis id confirmant.

10. Præterea obſeruandum, quod pars ſæpe corporis ſubiectum ſpecialiſſimum morbi exſiſtat, cum tamen alibi cauſſa morbifica prognata ſit. Ita in ſcabie cutis ambitum huius mali ſub-

 iectum.

iectum conſtituere notum eſt; at corruptionem, ſerum & lympham fœdantes, cauſſam eſſe, inter artis peritos ſatis conſtat.

TABVLA IV.
DE
CAVSSIS MORBORVM.

I. DEFINITIO.

Cauſſæ morborum ſunt res, ſiue *veræ* ſiue *fictæ*, quæ corpus viuum ad morbos vel diſponunt, vel illos vere producunt.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quia cauſſarum notabilis ſe offert diuerſitas: neceſſe eſt, vt de iis diſtinctius exponamus.
2. Commode autem cauſſæ diſtinguuntur in *naturales*, *non-naturales* & *præternaturales*. Quarum rerum aliæ *materiales* ſunt, aliæ *immateriales*.
3. Ex *materialibus* maxime & generaliſſime adcuſamus *plethoram*; quæ tamquam fœcunda mater plurimos morbos generat. *Conf. tab. de plethora. Io. Hadr. Sleuogtii diſſ. de plethora Ienæ 1726.*
4. Ad cauſſas *immateriales* primario refertur *peccatum:* nam ex venenato fonte omnia motuum vitia & ingentes naturæ errores promanant, id quod infra ſpecialius monſtrabimus.
5. Ad *naturales* cauſſas pertinent:
   1) *Diſpoſitio* illa *materialis*, ſecundum quam corpus præcipiti corruptioni expoſitum eſt; præcipue autem *ſanguis* ſtricte dictus, qui, licet floridiſſimus, in ſphaceloſam tamen corruptionem, quotiescumque motu ſuo priuatur, præceps ruit, & cum reliquis humoribus idem vitium communicat.
   2) *Aetas;* cuius periodi differentes, differentes quoque & ſibi proprios ſiſtunt morbos, niſi quidem cauſſæ externæ &

& accidentes aut vagabundi naturæ errores hunc ordinem turbent. Hæc veritas ingentem medicinæ lucem adſpergit, licet a plerisque præteruideatur. Sic obſeruamus ætate *infantili* & *puerili* motus humorum congeſtorios præcipue ad *caput* ſeu ſupremam cauitatem contingere; ætate *adoleſcentiæ* & *iuuentutis* mediam cauitatem ſeu *pectus* occupare; ætate *virili* & *ſenili* infimam cauitatem ſeu *abdomen* cum *artubus* moleſtare.

(1) *Infantia.* In ætate *infantili* humorum congeſtiones ad caput fiunt largiores, eo fine

a) vt cerebrum & reliquæ partes perfectius efformentur.

b) vt cranii apertura ſeu fonticulus pulſatilis commode claudatur

c) vt pili progerminent

d) vt dentitionis negotium promoueatur.

e) Ab his congeſtionum cauſſis facile proueniunt ſtagnationes, ſtaſes, corruptiones lymphatico-ſeroſæ, præcipue ſi errores regiminis accedant, aut dentitionis negotium impedite ſuccedat.

f) Speciatim achores, cruſta lactea, tinea, impetigo, parotides, obſtructio narium mucoſa, aphthæ, oculorum & aurium manatienes ſeroſæ.

g) Quo frequentius præterea intercurrunt eiulatus ſingultuoſi, eo maior ad caput compreſſio & circa illud ſanguinis obtingit reſtrictio, quam turgida facies eryſipelatodea & oculorum rubores clare reſtantur.

(2) *Pueritia.*

a) In hac ætate tantum abeſt, vt congeſtiones ad caput ceſſent, vt potius crebriores obſeruentur, & ad ſanguinis per nares eruptiones diſponere ſoleant.

b) Quoniam enim cerebri ad rationis, memoriæ & phantaſiæ actus, maior vſus eſſe incipit, & præterea ſanguis in hac ætate floridus ad agilitatem tonicam multum iuuat, partes copioſius adluendo easque lymphatico ſeroſarum portionum admiſſione diſtendendo & poros permeabiles efficiendo, aliter fieri nequit

quit, quam vt varia ſe manifeſtent congeſtionum incommoda.

c) Quod ſi memoriæ ſtudium & plurimis conſueta voracitas, crebræ item diſcurſitationes iunctæ fuerint reliquis circumſtantiis, frequentes ſane capitis dolores nariumque hæmorrhagiæ eueniunt & ob leues cauſſas recrudeſcunt.

d) In quibus autem ſubiectis ſpiſſitudo ſanguinis regnat, aut meatuum anguſtia nimis turgefacto ſanguini ſufficientem aditum denegat, & eruptionem ipſam impedit, in illis ſanguis circa caput reſtrictus varias moleſtias producit, quales ſunt dolores lancinantes, tendentes, vibrantes, æſtus & ardores eryſipelaceo inflammatorii, ophthalmia, odontalgia, parotides, cephalalgia acuta, adflictiones faucium anginodeæ, febres ephemeræ.

e) Qui *ſero* magis abundant, corruptiones lymphatico-feroſas & catarrhales moleſtias experiuntur: nempe his frequentes ſunt coryzæ acres, grauedines, capitis, faciei & aurium internarum vlcerationes, tonſillarum tumores, torpor & ſomnolentia; cum quibus maxime conſpirant ſcabioſæ in peripheria eruptiones.

f) Tandem ſi expreſſionum harum ſucceſſus ex voto non procedit, aut externis medicationibus incongrue ſupprimitur, tunc interdum ſuperueniunt conuulſiones, quæ hanc ætatem plus exercent, quam quæ tranſitoriæ ſunt in periodo infantili.

(3) *Adoleſcentia* & *iuuentus.*

a) His ætatibus ceſſare ſolent hæmorrhagiæ narium & maior fit ſanguinis inpetus ad *pectus*. Vnde mutatio vocis claræ, altæ, in raucam, aſperam, grauem incipit, & vſque ad ætatem virilem increbeſcit.

b) Cauſſa huius mutationis *inſtrumentalis* circa ſuperiorem laryngis partem potiſſimum hærere videtur. Cum enim congeſtiones manifeſtam laxitatem inferant: tum

tum mirum haud eſt, ſi glottidis arctus & tenſiuus motus non magis poſſit exerceri.

c) Hæmoptyſin per has ad pectus congeſtiones naturam reſpicere, certum quidem eſt; ſed licet bona ſit illius intentio, mala tamen & periculoſa *viarum* eſt inuentio. Nam ſanguinis per hæc loca eruptiones in ſyſtemate pulmonum facile vlcerationes & phthiſica conſectaria producunt.

d) Interim quando ſanguis ad exitum hic non pertingit, tum itidem periculoſum eſt, & humores congeſti materiam anſamque præbent

α) *interne* tuſſi ſiccæ & efferæ, palpitationi cordis, ſpaſmodico, periodico & paroxyzanti aſthmati, cum variis moliminibus irritantibus, prementibus, ſtagnantibus aut paruis vomicis & phthiſico hecticis vlcerationibus, immo latioribus inflammationibus peripneumonico-pleuriticis.

β) *externe* adfligere obſeruamus ſpaſmos & tenſiones modo tolerabiles, modo valde dolentes, circa ceruicem, nucham, ſcapulas, humeros & thoracem. Vnde adoleſcentibus & iuuenibus familiaris pleuritis ſpuria, quæ ſub imprudente medicatione in veram tranſire ſolet.

e) Vbi autem conſtitutio cholerico-melancholica, iracunda cum vita ad modum ſedentaria in has ætates incidit: ibi malum hypochondriacum & molimina hæmorrhoidalia præmature quaſi inuitantur.

f) Ex eodem cauſſarum fundamento, circa iuuenilis præcipue ætatis declinationem, dolores lumbares accedunt, qui vulgo pro calculo haberi atque pellentibus remediis male tractari ſolent; quo ipſo autem hoc efficitur, vt copioſior ſanguinis ad renes congeſtio, relaxatio & expreſſoria conſtrictio renum tonica ſequatur. Vnde in poſterum largior humorum acceſſus, penitior ingreſſus, infarctus, ſtaſis, inflammatio & nephritis originem ſumunt. *Vid. Stahlii diſſ. de morborum ætatum fundamentis pathologico-therapeuticis.*

(4) *Vi-*

(4) *Virilis ætas.*

a) Hæc motus cum primis experitur hæmorrhoidales, ex eo fundamento, quia conſueta magis negotii generationis exſecutio, huic ætati quaſi propria, illos motus promouet, & hoc quidem eo certius, quo frequentius apud plures diæta lautior, vita otioſa, veneris abuſus & animi pathemata intercurrere ſolent.

b) Quando itaque hæmorrhoides ſufficienter fluunt, pauciores ſentiuntur moleſtiæ; vbi vero contrarium eminet: ibi experiri coguntur ſubiecta varios dolores ſpaſticos circa illa loca, ſpeciatim malum hypochondriacum, iſchiadicum, hæmorrhoides cæcas, mictum cruentum, renum exulcerationes & calculi adflictiones. Decreſcente autem ætate, dolores latius ad inferiora ſe extendunt & gonagram podagramque prouocant.

(5) *Senilis ætas.*

a) Præter illa mala, quæ ætatem præcedentem adfligunt, aſthmaticis etiam ſpaſtico-vellicatoriis pathematibus & contracturis, immo apoplexiæ, pro temperamenti differentia, vel ſanguineæ vel ſeroſæ obnoxia eſt. *Vid. Stahlius de ſenum adfectibus.*

3) *Sexus.* Vterque quidem ſexus pluribus ſubiacet morbis; interim negari nequit, quod

(1) *femininus* pluribus morbis, quam *virilis,* ſit expoſitus, partim ob menſium negotium, partim ob grauiditatis ſtatum, quem puerperii & lactationis periodi excipiunt; vbi ſingulares non moleſtiæ modo, ſed grauiores quoque morbi adfligere ſolent, quorum expertes viuunt viri. Qui vero morbi mulierum ſint, ſigillatim enumeratos vide in *therapia noſtra ſpeciali tab.* CXXXIV. *ſeqq.*

(2) *maſculinus* quidem ſexus peculiares patitur morbos, quos tamen ita non habet proprios, quin ſequior ſexus eosdem interdum incurrat, e. g. hæmorrhoides, podagram & reliquum arthritidis ſchema.

4) *Temperamenta.*

Horum ratio quantum ad peculiarium morborum geneſin conferat, ex illis, quæ in *phyſiologia* diximus, eluceſcit. Hoc autem loco in tironum gratiam ſequentia adnotaſſe iuuabit.

(1) *Sanguineum* vti admodum habile eſt ad alendam plethoram: ita ſi eius a natura tentetur imminutio, fit illud

a) vel *per ſinceram* excretionem; vnde hæmorrhagiæ frequentes immo nimiæ, aut earum ſuppreſſiones; partim ob humorum ſpiſſitudinem, partim ob exilia vaſa, quæ a partibus ſolidis oppreſſa, effluxum denegant, quas alia ſequuntur mala ſub ætatibus paſſim indicata.

b) vel *per conſumtoriam* illius *agitationem;* atque hinc febres præcipue acutæ oriuntur. Intermittentes autem, quando ex aliis cauſſis accedunt, earum paroxyſmi admodum æſtuoſi obſeruantur.

c) vel *per moleſtas translationes:* vnde variæ congeſtiones & harum incommoda pediſſequa, de quibus *vid. tab. de different. morborum*

(2) *Cholericum* a ſanguinei temperamenti incommodis multum participat & præterea ad prodigas euacuationes, ad febres acutas, bilioſas, inflammatorias valde pronum obſeruatur; in reliquis etiam morbis grauiora experitur ſymptomata, & motus inſuper tonici alterationibus impetuoſis, conuulſiuis, præcipue expoſitum eſt.

(3) *Melancholicum*, ob vaſorum amplitudinem, ad hæmorrhagias inclinat, minus tamen frequenter easdem experitur, propter humorum ſpiſſitudinem. Cum itaque ex voto non ſuccedant, earum vices moleſta molimina explent hæmorrhagica; præcipue ſi vitæ genus acceſſerit ſedentarium, tum anguſtias præcordiorum, malum hypochondriacum aliaque pathemata hæmorrhoidalia, inflationes, infarctus, indurationes lienis, hepatis, nec raro deliria hypochondriaca, ac tandem hecticam experiuntur.

(4) *Phlegmaticum.* Hoc ad plures morbos diſpoſitum eſſe, peculiaris eius habitus, in *phyſiologia* deſcriptus, ſatis declarat. Generatim vero catarrhalibus adflictionibus magis, quam ſanguineum, ſubiicitur. Vnde frequenter congeſtiones patitur ſeroſas, quæ coryzæ, capitis, item faciei, faucium, tonſillarum & parotidum vlcerationibus anſam præbent. Præter ea tuſſi humida pertinaci & multis aliis malis corripiuntur, v.g. cruditatibus ventriculi, vomitu, diarrhœis, flatulentia, cachexia, hydrope, œdemate, febribus intermittentibus & lentis magis, quam acutis. Senes vero phlegmatici ad morbos ſoporoſos & apoplexiam ſeroſam præ aliis inclinare ſolent.

6. Ex *non-naturalibus.*

1) *Aër*; cuius principes qualitates ſunt calor, frigus, humiditas, ſiccitas. Quos vero effectus edere & quantopere ſanitatis ſtatum turbare poſſint, in *Hygieine* diſtincte propoſuimus. Conf. *Balt. Nic. Burckhardi diſſ. de morbis aëreis Lugduni Batau. 1701.*

2) *Cibus* & *potus.* De horum quoque qualitatibus, abuſu & malis inde manantibus, quantum ſatis viſum, loco citato a nobis actum eſt.

3) *Somnus* & *vigilia.*

(1) a *ſomni exceſſu* augmentum plethoræ, quæ alias ſomni filia audit, torpor, humorum ſpiſſeſcentia, motuum vitalium fegnities, impuritatum coaceruatio, flatulentia, ſomnolenta ſtupiditas & ſoporoſa pathemata ortum ducunt.

(2) a *ſomni defectu* ſeu nimiis vigiliis, virium conſumtio, languor, debilitas, ſecretionum & excretionum, inprimis tranſpirationis turbatio, febres, oedemata, deliria proueniunt.

4) *Motus* & *quies.* De hiſce valet inprimis, quod *nimium* vitio non careat. Sed notandum hic eſt, quod morbi ex nimia quiete ſeu motus voluntarii neglectu multo ſint frequentiores, quam illi, quos eius exceſſus prouocare ſolet.

Plura

Plura autem hic dicenda de nouo non repetemus ex *Hygieine*, vbi de hoc argumento prolixe expoſuimus.

5) *Pathemata animi* cum notorie ad immateriales cauſſas pertineant, eo etiam merito referuantur.

6) *Excernenda*, ſi in vtriusque ſexus ſubiectis retinentur, non tantum morbos adferunt, ſed etiam vitam ſubinde auferunt. Hinc locus quidem eſſet de excretionibus ſanguinis, ſeri, ſeminis, lactis, imminutis aut plane ſuppresſis verba facere; ſed quia in *conſpectu* noſtro *med. theoretico pract.* de his iam ſigillatim egimus, harum rerum ſtudioſos eo ablegamus. Pari ratione *retinenda* ſi excernantur, varia prouocare ſolent mala, quemadmodum ſanguinis nimiæ profuſiones, ſudores excedentes, ciborum expulſio in lienteria, & chyli iactura in fluxu cœliaco abunde commonſtrant.

7. Ex *præternaturalibus* aliæ

1) *in corpore generantur:*

(1) *Vermes.* Hi omnis ſexus & ætatis homines mirum quantum adfligere ſolent, in quocumque loco corporis hæſerint. Nocent enim *viui*, quia præter obſtructiones inteſtinorum, vitia adpetitus & concoctionis, cardialgiam, vomitus, diarrhœas, colica pathemata & atrophiam inducunt; &, quod potiſſimum, ad conuulſiones exſtimulant. *Mortui* autem & putreſcentes febribus malignis materiam & occaſionem ſuppeditant. Vt perniciem illam non attingamus, quam inferunt, cum aliis morbis complicati, ſiue acuti illi fuerint, ſiue chronici. Vid. *Boneti ſepulchret. tom. I. lib. I. ſect. I. obſ. 116-120. lib. II. ſect. VIII. obſ. 19. 25. tom. II. lib. III. ſect. VII. obſ. 15.*

(2) *Calculi.* Horum prouentus non ſolum in renibus & veſica vrinaria frequens eſt & copioſus, ſed alibi etiam in corpore generari, ex cadauerum ſectionibus conſtat. Vbicumque vero lateant, ſemper curationem difficilem reddunt. Comites enim habent pertinaces obſtructiones & plerumque vlcerationes, quibus facile conuulſiones & grauiſſima accidunt ſymptomata. Teſtantur hoc tot obſer-

uationes de calculis cerebri, bronchiorum, pulmonum, cordis, veſiculæ felleæ, hepatis, ventriculi & inteſtinorum, e quibus ſubinde vltra ducentos per aluum excreti ſunt. Vid. *G. Horſtii opp. tom. II. lib. IV. obſ. 47. Franckenau de ſtudiorum noxa p. m. 582. Io. Maur. Hoffmanni diſquiſitio corp. hum. anatomico-pathol. ſpecim. XIV. §. 18.*

(3) *Flatus*, in primis inteſtinorum tonum ſeu motum periſtalticum alterantes, quam moleſti ſint, id varia, quæ inde pendent, pathemata comprobant, vt ſunt: dolores diſtendentes, inteſtinorum quaſi rupturam minantes, colica flatulenta, alui obſtructio, cardialgia, anguſtiæ præcordiorum & ructus; quæ ſingula quibusuis moleſta ſunt, grauius tamen adfligunt hypochondriacos, hyſtericas & quæ lochiorum ataxias expertæ ſunt, de quibus in pathologia ſpeciali iam egimus. *Conf. Stahlii diſſ. de flatulentia.*

2) Aliæ *extrinſecus* corpori inſinuantur:

(1) *Miaſmata* contagioſa, vna cum aëre infecto hauſta aut in conuerſatione cum ægris contracta: vnde morbi epidemici, maligni & valde acuti.

(2) *Venena adſumta* ex quocumque tandem regno fuerint; narcotica item, draſtica ανω vel κατω aut vtroque modo ſimul operantia. Omnia, quæ huius cenſus ſunt, partibus tam ſolidis quam fluidis pernicioſa fiunt, motus vitales vehementer turbant, & hos nunc exacerbando, nunc ſiſtendo, niſi ars mature ſuccurrat, vitam tollunt.

(3) Alia *fortuito deglutita*, v. g. oſſicula, ſpinæ, vitri fragmenta, aciculæ, hirudines, ſperma ranarum, bufonum, nummi, fructus ignoti & res aliæ, quæ vel ex errore vel adpetitu peruerſo adſumuntur, & morboſos effectus exſerunt.

8. De *immaterialibus* morborum cauſſis, quæ in vitiis motuum præcipue conſiſtunt, plenius nunc agendum erit.

1) *Peccatum* iure meritoque primum hic obtinere locum ſupra diximus. Per hoc enim mors in mundum penetrauit, & hic venenoſus aculeus, corpus, quod inhabitat, multi-

fariam

multifariam lædit. Si enim peccato corruptus homo non eſſet, nullum in corpus noſtrum ius morbi haberent, immo ne quidem exſiſterent. Præcipue autem ex venenato hoc fonte fluunt, quæ in animi pathematibus & reliquis noxia deprenduntur.

2) *Animi pathemata*; quorum vehementia tanta eſt, vt non ſolum illi ſubiecto, in quo excitata ſunt, noceant, ſed etiam in aliud corpus transferri poſſint, quod lactentes poſt iracundiam matris aut nutricis ſatis experiuntur. Sed de his patheticis motuum vitalium alterationibus & peſſimis earum effectibus in *Conſp. Hygieines* pleniſſime expoſuimus.

3) *Senſuum internorum abuſus* immediate pathemata producit, imo iam fouet, quia ſemper aliquod illorum ſubeſt & ſubiecta ad immoderatam adplicationem ſollicitat. Sicut autem ſenſuum internorum nimia intenſio ſanitati generatim inimica eſt: ita ſpeciatim de illorum noxa dicemus.

(1) *Phantaſia* quando nimium exercetur, adpetitus proſternitur & digeſtionis ac nutritionis negotium ſufflaminatur. Vnde habitus euadit macilentus, vires fatiſcunt & non raro vomitus, obſtructiones alui, febres & deliria ſuccedunt. Quid phantaſia valeat in fœtus formatione turbanda, omnibus notum eſt. Præterea imaginatio in ſenſibilibus ſæpe vomitus, catharſes, febres tam intermittentes, quam acutas producere ſolet. Conſtat de viro quodam, eum toties coryzam pati, quoties aliquem coryza laborantem adſpexit. *Conf. Irenæi Vehr diſſ. de phantaſia morborum parente & medico Francof. ad Viad. 1681. Fr. Hen. Werckmeiſter de imaginatione morborum cauſſa. Halæ 1694. Alberti de valetudinariis imaginariis.* it. *de therapia imaginaria.*

(2) *Memoria* eosdem pæne effectus exſerere ſolet; vnde occurrunt, qui impenſe rogitant, ne in ſermonibus mentio fiat perpeſſi morbi, aut olim ſumti medicamenti cathartici, emetici. Et alii ex ſola narratione ante actorum, aut iniuriarum calamitatumque perlatarum, ira accendi, febre corripi, aut colica adfligi obſeruantur.

4) *Propenſio naturæ ad male operandum*, cuius fundamentum in lapſu & peccato poſitum eſt. Nam ex hoc fonte fluunt

(1) *craſſa ignorantia*, vt ſæpe conſilium deficiat, nec ſuppetat, qua ratione, qua proportione & quamdiu in morbis operandum ſit.

(2) *malitioſa tergiuerſatio*, ſub qua ad motus erroneos, interruptos, & inſufficientes pronior eſt, quam ad legitimos, conſtantes & adæquatos.

(3) *Impotentia*, quæ in multis motuum anomaliis crebro ſe prodit, quæque efficit, vt ſæpius a morbo, cuius magnitudini valide ſatis reſiſtere non poteſt, natura vincatur.

(4) Damna, quæ ex his tribus vitiis in praxi obſeruanda ſe offerunt, nunc indicabimus.

(5) *Intempeſtiui* ſæpe cientur motus.

(6) Nimium trepidantes & *inſufficientes* reſpectu materiæ, graduum, durationis, cum ſummo vitæ periculo ſuſcipiuntur. Nulla enim, exceptis læſionibus viſcerum ſonticis, materia tam peſtilens, tamque maligna ac deleteria eſt, quam natura non valeat ſuperare per motus ordinatos, proportionatos & conſtantes. Tot namque a morbis malignis & febribus acutis inflammatoriis autocratice, ſeu ſine vllo artis adminiculo curantur, vt ſatis inde eluceſcat, mortem ſub his morbis non tam materiæ, quam potius vitali principio, morbum male oppugnanti, eſſe adtribuendam.

(7) *Errores* in *eligendis* & *adplicandis* organis contingunt. Interdum enim electio tam erronea eſt, vt neceſſario funeſtus ſequi debeat euentus. Alio tempore legitima quidem eliguntur organa, ſed male adplicantur, ſub motibus nimirum iam valde impetuoſis, & pertinacibus, iam iuſto remiſſioribus, quo vtrouis modo nihil, quod ſalutare eſſe poterit, obtinetur.

5) Ex *immaterialibus* rebus duæ reſtant conſideratu digniſſimæ, nempe *ſenſibilitas* & *conſuetudo*. His enim neglectis multa in morbis phænomena non poſſunt explicari.

(1) Ad

(1) Ad *ſenſibilitatem* quod attinet, non adcuſamus illam, quæ omni homini ineſt, ſed quam indiuidua nonnulla habent ſingularem. Hæc vti non ſemper in debilitate quadam aut teneritudine, vt quidam volunt, ſed potiſſimum in exquiſita actiuitate, intenta organorum adplicatione, attenta obſeruatione, perceptione, æſtimatione & huic ſuperſtructa motuum alteratione conſiſtit: ita ad morbos varios, graues, intricatos, non ſolum diſponit, ſed eos quoque introducit & ſuſtentat. Maior longe exemplorum, quæ id probant, eſt numerus, quam vt in medium hic proferri expediat. Hoc tantum notamus, quod temperamentum & ſexus multum omnino hic contribuant.

(2) Ceterum obſeruanda eſt illa ſenſibilitatis diuerſitas, qua quidam facile morbos cutaneos incurrunt, cum alii capitis & faciei potius experiantur adflictiones; nimirum congeſtiones, inflammationes, tumores.

(3) Sunt porro, qui promte ſatis variis primarum viarum moleſtiis, cardialgia, vomitu, colica, diarrhœa vexantur, ſi vel minima adfuerit ſuſpicio aut æſtimatio commiſſi alicuius in diætam legalem peccati, adeo, vt ne medicamentis quidem aliquid effici poſſit. Quo etiam illa in praxi obuia difficultas ſpectat, quando quidam emplaſtra, vnguenta, pulueres, pilulas & varia odorifera cane peius & angue auerſantur, & libentius pati, quam curari volunt. Septem ſingularia ſenſibilitatis exempla recenſentur in *Conſp. therap. general. tab. I. obſ. 23.*

(4) *Conſuetudo ægrotandi* ſeu promta motuum extraordinariorum, ob leuiores cauſſas, ſuſcepta repetitio & habitualis quaſi continuatio, citra materialem noxam, aut vere præſentem, aut eiusmodi motibus minus dignam; ſenſibilitate & præpoſtera æſtimatione ſubinde colludentibus. Hinc ſæpe poſt febrilem materiam, quamuis ſufficienter euacuatam, nihilo minus obſeruatur motuum continuatio, nec neceſſaria, nec vtilis, ſed ex conſueto tantum facta; quemadmodum hoc ſubiecta

variis

variis negotiis hæmorrhagicis implicata præ aliis euincunt, ſi præcipue moralis eorum indoles conſpirat, ſecundum quam multi adeo præcipitem in agendo alacritatem oſtendunt, vt agendi cupiditate ardeant, nec adquieſcere poſſint ante, quam intentioni ſuæ crebro motuum exercitio ſatis fecerint. *Conf. Alberti diſſ. de conſuetudine* & *inſuetudine ægrotandi.*

9. De Metaphyſicorum tandem *quatuor cauſſarum generibus* hoc obſeruandum, quod

1) *cauſſa materialis* hic nobis denotet materiam vel læſionem, quæ corpori ſtatum morbidum inducere & naturam ad præternaturales motus exſtimulare poteſt.

2) *Cauſſa formalis* autem dicitur eſſentialis determinatio, per quam materia illud fit, quod eſſe debet & per quam ab aliis diſtinguitur.

3) *Cauſſa efficiens* eſt illud in corpore agens principium, a cuius vi ſola actio & motuum, propter cauſſam materialem inſtitutorum, initium ac continuatio dependent. Cum vero *efficiens* inſtrumentis certis vtatur, ſciendum, quod *cauſſæ* eiusmodi *inſtrumentales*

(1) vel *materiales* ſint, vt partes corporis organicæ,

(2) vel *immateriales*, nempe ipſi motus.

4) *Cauſſa finalis* illa habetur, propter quam *efficiens* agit.

10. Hæ ipſæ vero cauſſæ ad morbos quidem frequenter adplicantur, ſed ob diuerſas auctorum hypotheſes ita paſſim confunduntur, vt alii *materiali* cauſſæ tribuant, quod alii ab *efficiente immateriali* deducunt. Sic porro formalis ratio, quæ *efficientem* cum *finali* connectit, ob eamdem principiorum diuerſitatem, diuerſo plane modo explicatur.

11. Ceterum cauſſæ ſunt reſpectu *ordinis* vel *propinquæ*, vel remotæ.

1) *Propinquæ* iterum ſunt

(1) vel *antecedentes*, quæ in corpore deliteſcentes & a remotis excitatæ, *proximam* conſtituunt.

(2) vel *proximæ*, quibus vtpote poſitis morbi effectus ponitur.

(2) *re-*

2) *remotæ* ſeu *procatarcticæ*, quæ latentem in corpore diſpoſitionem excitare valent, vt morbus fiat.

12. Litigant auctores de cauſſa *proxima* & *continente*, quam hi pro vna eademque declarant, alii autem curate eas ab inuicem diſtinctas volunt; paruo cum rei medicæ emolumento. Eo etiam pertinet illa controuerſia: an vnius morbi plures eſſe poſſint cauſſæ antecedentes? vtrum antecedentes extendi queant ad remotas? & quæ huius cenſus alia ſunt oppido ſterilia.

III. *VSVS.*

1. Cum morbos curare idem ſit, ac eorum cauſſas tollere; ſponte conſequitur, eum, qui veras cauſſas non perſpicit, cæca empiria vel ventum ferire, vel ſatis impedite curationes inſtituere.

2. Magni vſus eſſe hanc de cauſſis doctrinam & penitiorem earumdem cognitionem, ne antiquos quidem ſcholæ medicæ antiſtites fugit. Hinc Medicum ad morbum ſanandum ſufficere crediderunt tantum, quantum ad cognoſcendam cauſſam ſuffecerit. *Conf. Hippocrates de arte.* Et in *libro de flatibus* adfirmat, quod Medicus, cauſſis cognitis, potens demum ſit, ea corporibus adferre, quæ illis conducant.

3. Singularem vero vtilitatem exſerit hæc doctrina in formandis *indicationibus*, quæ numquam conuenientiores excogitari poſſunt, quam vbi morbi cauſſa vere perſpecta fuerit.

4. Præter ea cognita cauſſa, certior formari poterit *prognoſis*. Exemplo ſint morbi ætatum & temperamentorum generatim. Nam

   1) *ratione temperamenti* Medicus hominem intuens præſagire quodam modo poteſt, quibus morbis eſſe poſſit expoſitus. Sic

   2) *ratione ætatum* diiudicat, quibus vmquam obnoxius fuerit, quibus nunc & in poſterum futurus ſit. Qui enim vna ætate alicui morborum generi ſubiecti ſunt, illi ſequentibus ætatibus, aliis iterum pathematibus, quæ

ad id genus pertinent, corripi ſolent. *Vid. Stahlius de morbor. æt. fund. cap. I. & II.*

5. Rem porro illuſtrabimus per conuulſionum negotium. Quando enim in ſubiectis iunioribus plethora cum humorum ſpiſſitudine, horum motuum cauſſa eſt, tum venæſectione & debitarum excretionum promotione facilius curabuntur, quam aliis quibusuis decantatis antiſpaſticis, antepilepticis ſpecificis. In quibus autem vermes in cauſſis ſunt, aut commotiones patheticæ, aut febres, in iis longe aliter procedendum eſt.

IV. OBSERVATIONES.

1. Ex indicatis cognitionis cauſſarum vſibus patet, earum ſcrutationem pathologiæ ſtudioſis eum in finem commendandam eſſe, vt mature tam veterum, quam recentiorum aberrationes perſpicere & a fictis vera dignoſcere diſcant.

2. Licet recenti æuo frequentes cadauerum ſectiones non nihil ad ampliorem cauſſarum materialium notitiam contulerint; futuro tamen practico cauendum eſt, ne morborum producta pro ipſis cauſſis temere adripiat, & ſibi aliisque imponat. Nam defunctorum anatome potius mortis, quam morborum cauſſas detegere ſolet.

3. Naturalis *diſpoſitio* corporis ad ægrotandum primum locum in cauſſis naturalibus occupat; ſed obſeruatu valde dignum eſt, quod nihilo minus ſinguli quique homines per totam ſuam vitam rarius ægrotent, licet tam a *priori*, quam a *poſteriori* clare demonſtrari queat, quod vi huius diſpoſitionis per quam facile morbis corripi poſſint. *Vid. Sthalius de infrequentia morborum perſonali.* Quod vero actu tam ſæpe non ægrotent, hoc vitali energiæ tribuendum eſt. Hanc natura præſtat

1) *remotione* & *depulſione* quarumcumque particularum e nexu ſuo ſecedentium, ne immanente actiuitate fermentatiuam ſolutionem perpetrare poſſint.

2) *re-*

2) *reſtauratione* quotidiana, qua id, quod ſub motibus fatiſcit & per eosdem eliminatur, commode ſuppletur atque hiſce modis impeditur, quo minus diſpoſitio in verum morbum tranſeat.

4. *Aetas* & *temperamentum*, quatenus certorum morborum cauſæ exſiſtunt, & ſymbolizantes alios ſequente ætate inuitant, tanto attentius obſeruari merentur, quanto frequentius præteruideri ſolent. Inter antiquos *Hippocrates* magnam ætatibus vim attribuit in morbis, quoniam ad faciliorem difficilioremque curationem eorum notitiam multum conferre credidit & morbos quosdam ætatis mutatione ſanari recte monuit. *Galenus in comment. ad Hippocrat.* de *humoribus* f. m. 28. cum ætatibus *humorum* quoque *migrationes* fieri docuit.

5. Et iſta quidem veteres. Recentiores autem practicos ab eo tempore, ingens iſtarum rerum obliuio cepit, a quo alienis fictionibus ab *Helmontio*, *Syluio*, *Tackenio* & ieiunæ mechanico-automaticæ pathologiæ ſtatoribus prolatis ingenti feruore inhiarunt. Quo ipſo etiam factum eſt, vt omnibus omnia quaſi communia facerent, & hæmorrhagias in primis, admodum peruerſe tractare, minus dubitarent, quia earum cauſſas, & ſecundum ætates dependentiam non perſpexerunt. *Conf. Stahlius de nouitatibus medicis in genere.* §. XV-XX.

6. De cauſſis *non-naturalibus* generatim obſeruandum, quod omnino morbis cauſſam præbere valeant, raro tamen ſub alia conditione, quam ſi ſubiecta iis abutantur, & incongruum vitæ genus concurrat.

7. *Præternaturales* eo maius periculum inuoluunt, quo nobiliores ſunt partes, quas infeſtant.

8. Cauſſæ *immateriales* quia vitæ inſtrumenta immaterialia, nimirum *motus*, maxime lædunt, turbant & peruertunt, citius ac vehementius nocere ſolent, quam *materiales*.

9. De *peccato* ſpeciatim hic notandum, quod res e longinquo petita haud ſit, ſi morborum cauſſis immaterialibus primo loco inſeratur. Ethnico enim animo circa hanc doctrinam verſari, & omnia mala certis tantum materiis adſcribere, Medico chriſtiano valde foret indignum.

10. In *tabula de differentiis morbor.* iam docuimus, dari *morbos motuum*, vario modo ανομαλως agentium; & ſupra ſub *different.* denuo quædam addidimus; ex quibus palam fit, quod motus, ſine quibus alias nulla morbi curatio ſiue autocratica, ſiue artificialis fuerit, abſolui poteſt, nihilo minus grauium morborum & funeſtorum euentuum cauſſa fieri ſoleant; ſi contra ordinis, quantitatis & temporis normam peccauerint. Nec adeo mirum hoc eſt, licet maxime videatur paradoxon, quod ipſa medicina naturæ, ſeu motus conſeruatorii interdum deſtructorii & mortiferi fiant: cum idem plane obſeruare liceat in ſpiritalibus, veluti *S. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. VII, 10. 13.* conqueritur, optimam nimirum legem, quæ ad vitam data ſit, ceſſiſſe in mortem, quia peccatum ſe ſe immiſcendo peſſimos hoſce effectus produxerit.

11. Præterea probe tenendum, naturam ſub hiſce quoque anomalis motibus nihilo ſecius eo reſpicere, vt corpus ſuum conſeruet; licet veram methodum deſerendo opus ſuum debite non abſoluat. *Vid. Stahlius de erroribus naturæ medicis.*

12. Ceterum ipſi morbi aliorum morborum cauſſæ ſæpius fieri ſolent; id quod peſſimis conſectariis ſuppreſſarum hæmorrhagiarum & febrium male curatarum exemplis demonſtrari poteſt, quas non numquam repentinus phlegmonωdes tumor, interdum dolores articulationum, vera œdemata, hydrops & febres acutæ excipere ſolent. *Conf. Stahlius de morbis conſequentibus. Frid. Hoffmannus de morbis ex aliis prodeuntibus. Halæ 1716.*

13. Tandem auditu ingratum, ſed longe veriſſimum eſt, medicationes, imprudenter adhibitas, grauiorum morborum

rum fieri cauſſas; de quibus tamen prolixe hic commentari non licet, quia amplior campus eſt, quam vt vnius obſeruationis cancellis includi poſſit. Interim conferri merentur *Frid. Hoffmannus in diſſ. de imprudenti medicatione multorum morborum cauſſa Halæ 1715.* it. *de Medicis morborum cauſſa 1728. Nenteri theoria hominis ægroti ſect. II. cap. XIII.*

TABVLA V.
DE
PLETHORA.

I. *DEFINITIO.*

Plethora eſt ſanguinis abundantia, debitam proportionem, quæ ad quotidianum & neceſſarium vitæ vſum exquiſite requiritur, excedens, corpusque humanum ad multa morborum genera diſponens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quamuis indicata ſanguinis copia verus morbus non ſit: merito tamen de illa in pathologia, tamquam de præcipua plurimorum morborum cauſſa, tractari debet, quia cognita cauſſa, expeditior eſſe ſolet morbi diiudicatio & medela.
2. Plethora ab auctoribus diſtinguitur in *ſimplicem* & *complicatam*.
   1) *Simplex, legitima, naturalis,* quam & *polyhæmiam* vocant, eſt
      (1) vel *ad vaſa,* quando nimirum ſanguis in corpore minus ſpongioſo ita abundat, vt vaſa turgida & diſtenta efficiat.
      (2) vel *ad habitum,* quæ in ſubiectis, vaſis minoribus præditis, partes poroſas intimius penetrat, vt inde habi-

tus ob ſanguinem per cutim quaſi transparentem floridus ac rubicundus reddatur.

(3) vel *ad vires*, quando viribus grauis euadit & actiones tam vitales, quam animales impeditiores reddit, cum artuum grauitate, laſſitudine & torpore: & hæc quoque dici ſolet *vrgens*.

2) *Complicata, ſpuria, præternaturalis*, dicitur, in qua, præter ſpiſſitudinem, aliorum quoque humorum impuritates commixtæ obſeruantur; vnde quid ſit *plethora bilioſa*, quid *ſeroſa?* facile colligitur.

3. Ratione conſequentium moleſtiarum, magis toleratur

1) *plethora* ſibi *relicta*, quia ſtatum vere morbidum non inuoluit; e contrario autem

2) *plethora commota* varias ſæpe congeſtiones, infarctus, inflammationes & febres producit.

4. Differt plethora ab *habitu pleno*, ευσαρκω, qui frequenter quidem plethoræ ſociatus deprehenditur, ſed ſine inſigni plethora ſubinde occurrit.

5. Neque confundenda eſt plethora cum πλησμονῃ, quoniam hæc non humorum aut ſanguinis, ſed proprie ciborum bene nutrientium abundantiam & ſatietatem denotat. *Vid. Hippocrates lib. IV. de rat. vict. ſect. III. ſ. 41.*

6. Quæ ceterum non nulli adferunt de plethora *vniuerſali* & *particulari*, oppido ſterilia ſunt: quemadmodum illa plethoræ diſtinctio, qua in *abundantem* & *exundantem*; item ad *iuſtitiam* & *pondus* diſpertitur, iam ſub *differentiis* ſupra poſitis comprehenditur.

III. *SIGNA*

1. *Plethoræ ſibi relictæ.*

1) Bonæ valetudinis & roboris præſentia.

2) Color faciei

in *ſanguineis* floridus & rubicundus,

in *cholericis* & *melancholicis* vaſorum iuflatione & adſpectu viuidiore manifeſtus.

3) Ad-

3) Adpetitus optime ſibi conſtans.
4) Somnus quietus & in loco temperato profundior, quam in calido, vbi facile reddi ſolet inquietus.
5) Pulſus plerumque magnus & plenus.
6) Artuum grauitas & facilis eorum obdormitio.
7) Torpor ad motus voluntarii exercitium & promta defatigatio, cum ſenſu contuſorio, a partium fibroſarum diſtenſione; cui ſæpe peculiaris illa accedit ſenſatio in cute, quaſi ſeta pungerentur.
8) Oculorum humiditas fere continua.
9) Sudatio facilis, etiam ſub leuiore corporis motu.
10) Frigoris & æſtus ſingularis & promtus ſenſus, maxime in feminis, quæ ſæpe frigus in capite perſentiſcunt, ac ſi glaciei fruſtum vertici incumberet.

2. *Plethoræ commotæ :*

1) Plethoram ſiue per calorem atmoſphæræ, ſiue per motum voluntarium, potus ſpirituoſos aut animi pathemata commotam ſequitur ſomnus inquietus, interruptus, cum corporis crebra iactatione & in quibusdam cum pauoribus.
2. Inſomnia anxia de corporis proprii immobilitate & grauitate, de oneribus prementibus, incendiis, ſuppliciis cruentis; aut tranſitu per flumina rubra & quæ ſunt alia. De quibus ſcite iam *Galenus* monuit: quod plethoræ & ſanguinis euacuationem iſthæc indicent. *Vid. eius liber de dignotione ex inſomniis.*
3) Vertiginoſa adflictio magis, quam alias in graueſcens cum tranſitoria viſus obnubilatione & aurium tinnitu.
4) Difficilior & anheloſa reſpiratio.
5) Aeſtus & palpitatio cordis diutius continuans.
6) Quibus omnibus ſubinde efferæ accedere ſolent hæmorrhagiæ.

IV. *SVBIECTA.*

1. Iuniores magis quam ſenes, & ſexus femininus præ virili-

2. Ho-

2. Homines de temperamento ſanguineo plurimum participantes potius, quam alii.
3. Otioſi aut vitæ ſaltem ſedentariæ dediti.
4. Victu vtentes lautiori, pleno & polyhæmiæ admodum velificanti.
5. Illi, qui naturalium excretionum ſanguinis ſuppreſſiones patiuntur, aut artificiales negligunt.
6. Tandem & illi, qui laborioſo vitæ generi, alias adſueto, nuncium mittunt, & in otio genium demulcere ſtudent.

V. *CAVSSAE.*

1. *Procatarcticæ* cauſſæ ex iis, quæ in ſubiectorum denominatione adlata ſunt, facile perſpiciuntur.
2. *Antecedentes*
   1) *Naturales*, ſunt
      (1) *Aetas.*
         a) Quantum ad *tres* priores attinet, non temere prætermittenda eſt illa de abundantiæ ſanguinis neceſſitate obſeruatio. Nam corpus, cuius partes inde a natiuitate notabili augmento creſcere, ſecundum omnes dimenſiones extendi & ad futuros vſus aptæ firmæque reddi debent, indiget materia huic negotio idonea & conueniente, quæ aliunde ſumi nequit, niſi ex ſanguine eiusque lympha nutritia.
         b) Perficitur autem corporis incrementum perpetua partium extenſione & dilatatione, ad quam neceſſario maior ſanguinis copia requiritur, quam in præſens partium continentium capacitas exquiſite admittit, quia ſufferciendo & ſuſtentando extenſionis actus iuuari ac promoueri debet. Quantum vero quotidie pro incremento extenſum eſt, tantum ſanguine iterum expleri debet, alias ſubſequeretur extenſi collapſus, & corporis augmentum foret impeditum: vnde ineptitudo ad functiones vitales & animales per plurium annorum interuallum ſuccederet, contra naturæ ſcopum & intentionem. Et quia tribus primis ætati-

ætatibus natura nouæ indies ac vlterioris extenſionis ſtudioſa eſt, ſanguinis quoque parandi negotium quam maxime viget. Atque hinc ratio patet, cur adpetitus in iunioribus tantus ſit, vt apud quosdam in voracitatem degeneret.

(2) *Sexus*

a) *Maſculinus.* Licet in hoc corporis incrementum iam abſolutum ſit, tamen labores, quibus præ ſequiori deſtinatus eſt, requirunt, vt ſemper ſufficiens & paulo abundantior ſanguinis copia adſit, ne humorum imminutio, ſub quotidianis motibus conſumtoriis, virium debilitatem poſt ſe relinquat, & varia ſanitatis impedimenta producat.

b) *Femininus* abundantia quadam ſanguinis omnino gaudere debet, ob arduum & inſtans generationis ac nutritionis negotium, ne fœtui deſit, vnde alatur. Et quoniam temperamenti ratio in hoc ſexu generatim conſpirat, plethoram in feminis tam ad habitum quam ad vires præcipue obſeruare licet.

(3) *Temperamentum*

Sanguineum, in primis ſi purum eſt, aut reliquorum tenet principatum, admodum habile obſeruatur ad producendam & fouendam plethoram. *Conf. Phyſiologia tab. de temperamentis;* collata *diſſ. Stahlii de temperamentis phyſiologico-phyſiognomico-pathologico-mechanice enucleatis.*

2) *Non naturales.*

(1) *Cibus* & *potus.* Horum vſus ſimpliciter adcuſandus non eſt, tamquam plethoræ cauſſa; ſed immoderatus abuſus, ſeu gulæ cultus, qui per ciborum varietatem & ſaporum illecebras ſemper in nimium tendit, præcipue apud illos, qui non tam de vita alenda, quam de corpore ſaginando ſoliciti ſunt.

(2) *Motus* voluntarii *neglectus* & quietis ſomnique intemperans ſtudium, ſi victui pleniori accedant, plethoram

ad exceſſum vſque apud plures augere ſolent. Vbi præcipue hoc obſeruandum, quod natura, intentione admodum prouida hic agat, dum plethoram etiam in iis auget, quorum corpora pridem formata ſunt, & præter conſeruationem, nouo incremento haud indigent. Quia enim ipſa vita per continuas ſecretiones & excretiones conſeruatur, ſub quibus notabilis ſemper humorum pars fatiſcens decedit; hinc adpetitus viget & conſumtarum portionum reſtauratio ſine vllo ſanitatis incommodo contingit. Quoties vero dicti motus vitales ſegnius exercentur, tum ob motus voluntarii intermiſſionem, quos tamen *natura* in hoc negotio *ſupponit*, toties inualeſcit plethora, adgrauantur vires & ipſa ſanitas periclitatur.

(3) *Excernenda* conſueta, ſi retenta fuerint, eximie plethoram adaugent, aliaque inde pendentia incommoda multiplicant, quod innumeris exemplis probari poteſt eorum, quibus narium hæmorrhagiæ, hæmorrhoides, menſes, conſueti ſudores, diarrhœæ, coryzæ & anniuerſarii vomitus ſupprimuntur; & quos vicisſim retentorum moleſtiæ adfligunt. Hæc breuiter *Galenus* complectitur, dum in cauſſis plethoræ habet *ſuperiorem vitam in otio copioſioribusque eſculentis ac poculentis traductam & excretionum conſuetarum retentionem. Vid. eius liber de plethora cap. I. f.m. 50.*

3. *Efficiens cauſſa* eſt prouida natura, quæ optima intentione plethoræ generationem, etiam poſt plene abſolutum corporis incrementum, porro continuat, minime autem vt inde corpus adgrauetur & vita tot exponatur periculis, ſed vt eius conſeruatio, motibus vitalibus perpetranda, & voluntariis adiuuanda, expeditius fiat ac diutius continuari poſſit. Agit hoc principium vitale tanto promtius, quanto liberius huic negotio a pluribus annis iam adſueuit, & conſuetas ſemel intentiones & ſub his certos motus difficilius intermittere ſolet. Nam homo præ aliis animalibus hanc habet indolem, vt magno niſu, ingenti deſiderio & pertinaci intentione id agat, expetat ac moliatur, quod iam olim ſæpius ob-

obtinuit, vt pridem inculcauit *Stahlius de venæſectionis patrocinio ſect. II. cap. IV. p. 22.*

4. Ex quibus omnibus inter ſe collatis & debite expenſis, eluceſcit, quod tam in corpore augendo, quam complete formato abundantia quædam ſanguinis, ob certos fines, in promtu eſſe debet, adeoque natura erroris haud ſit adcuſanda.

5. Vnde magno conatu nihil certe egerunt, qui cum *Helmontio* plethoram negare ſuſtinuerunt. Quod enim dicant,

1) Deum nihil agere fruſtra, hoc quidem veriſſimum eſt.

2) Quando autem de natura idem adfirmant, id non abſolute & ſemper verum eſt. Naturam enim ſæpe fruſtra, hoc eſt, ſine probabili nedum neceſſario fine & vſu aliquid agere, probari poteſt exemplis

(1) *Adpetitus*, ſecundum cuius ſtimulum plerique hominum longe plus edunt, quam neceſſitas poſtulat; & ſi cibis ſimplicioribus veſci obtingeret, vix quartam eorum partem adſumerent.

(2) *Pinguedinis nimiæ.* Huius enim nullus vſus, nec vlla neceſſitas eſt, cum corpori potius magnum inde onus accedat & varia mala partim producat, partim curatu difficiliora efficiat, vt nullum ſit dubium, naturam in quibusdam ſubiectis etiam in plethoræ nimio augmento omnino fruſtra agere.

VI. *VSVS.*

Vſum habere plethoram naturalem ſub cauſſis diſtincte propoſuimus. Quantæ vero noxæ e plethora indies augeſcente corpori & ſanitati ſuccreſcant, e *tab. de differentiis morbor. ibid.* ſub morbis *quantitatis* perſpici poteſt. Quare inculcandum hic ducimus multiplicem vtilitatem, quæ in Medicum ex negotii plethorici ſolida cognitione redundare poteſt. Hac enim probe imbutus

1. Facile diiudicabit vanas opiniones eorum, qui, *Helmontio* præeunte, rhetorice magis quam vere plethoram negant & ſanguinem pro vitæ theſauro ac balſamo habent, cuius numquam ad vitium vſque poſſit dari exceſſus. Sed de contra-

rio conuincimur per ſcholæ medicæ documenta, & tot plethoricorum ſubiecta, quæ in praxi offeruntur.

2. Neutiquam ſe patietur ſeduci ab axiomate illo vano & friuolo: *ſi datur plethora, poſcit euacuationem, non venæſectionem.* Huius enim parœmiæ patroni, quam ieiuni ſint tam in vniuerſa œconomiæ animalis theoria, quam in ipſa praxi, vel ex eo colligitur, quod iam veteres agnouerint, ſudorifera pariter ac purgantia minori efficacia in corpus plethoricum agere. *Conf. Stahlii Venæſectionis patrocinium Sect. II. cap. I. Vid. etiam Galenus de Venæſect. aduerſ. Eraſiſtrat. cap. VI.*

3. Perſpicere valebit veram ætiologiam, cur multi manifeſto plethorici, in quibus ſanguinis conficiendi negotium ob temperamenti rationem & diuturnam conſuetudinem tam promte ſuccedit, ſine vllo plethoræ incommodo vitam in ſeram vſque ætatem transigant, cum alii abundantiæ moleſtias perpetuo experiantur. Prius contingit illis, qui validis motibus adſueti iisdem quotidie vacant; poſterius obſeruatur in litteratis aut artificibus lepturgis, qui omnes vitæ ſedentariæ dediti ſunt.

4. Cognoſcet, quo modo plethora conſiliis potius ſalutaribus, quam auxiliis pharmaceuticis, commode minui & plena euphoria conſeruari poſſit.

5. Porro intelliget, quod plethora, præcipue cum ſpiſſitudine complicata, non ſolum per ſe ſanitati nocere & morborum agmini vias pandere poſſit; ſed etiam alios morbos, quibus accedit, contumaciores reddat. Manifeſtat ſe huius rei veritas in illis caſibus, vbi ſpecialis quædam corruptela e corpore eliminanda eſt. Tunc enim non tam liber nec tam frequens aditus ad colatoria & ſecretoria vaſa datur; vnde neceſſe eſt, vt febriles commotiones maiori cum impetu & duratione peragi debeant, ſi natura fermentatiuas portiones, remouere & vlteriorem corruptionem præcauere velit. Hoc & vulgus in epidemica graſſatione iam animaduertit, dicens: die vollblütigen Leute werden am hefftigſten angegriffen.

6. Ex

6. Ex fluxionibus ſpontaneis ſeu hæmorrhagiis, tacite & tranquille erumpentibus, addiſcet indicationes formare, intentioni naturæ conformes. Naturam enim ſequi eamque eo ducere, quo motibus legitimis & ſecuris tendit, miniſterio medico incumbit. Vnde quam maxime quoque cauebit, ne ſalutares eiusmodi plethoræ imminutiones turbentur aut ſupprimantur.

7. Plethoram ex ſuppreſſis fluxionibus auctam & commotam maiori longe circumſpectione tractabit, quam aliam ſimplicem ebullitionem: quia motus plethoricorum orgaſtici, ſi in primis ab animi pathematibus excitati fuerint, magnis anomaliis anſam præbere, & acutas febres producere ſolent.

8. Tandem & hoc comperiet, plethoræ incommoda longe citius & certius tolli poſſe per fluxiones naturales, quam per artificiales, quæ ſi circumſpecte ſatis non inſtituantur, malum in peius vertere ſolent.

VII. *OBSERVATIONES.*

1. Cum pauci ſint plethorici, qui abundantiam ſanguinis commode tolerare poſſint; plurimi vero occurrant, quibus a plethoræ moleſtiis perpetuo vexari contingat: multum disquiri ſolet de remedio efficaci, quod plethoræ prouentum impedire & tot malis homines liberare valeat.

2. Dubitant plerique de tali remedio, propria experientia edocti, quod, etiamſi ſudorifera, purgantia & venæſectiones adhibeantur, tamen incommoda minus ceſſent, ſed in annos maiora ſumant incrementa.

3. In *Hygieine* noſtra *tab. V. p.503.* & *in conſpectu theoretico-practico tab. de plethora* diſtincte propoſuimus, quod parcior victus a *priori*, & motus laborioſi a *poſteriori* methodus ſint plethoram minuendi & præcauendi longe præſentiſſima, breuiſſima & certiſſima. *Conf. Galenus de conſuetudine cap. V.*

4. Non enim neceſſitatis res eſt, vt omnes in ſtatum plethoricum, vires grauantem & reliquo vitali negotio moleſtum, deueniant. Quamuis enim quotidie edamus, & per nouum chylum ad humores augmentum admittamus: non tamen iuſta hu-

 morum

morum proportio turbatur, ſi per motum ſanguinis ordinarium & per corporis exercitia magis adiutum & intenſum tantum humorum iterum conſumitur, & in ſerum reſoluitur, quantum ex quotidiano cibo ſingulis diebus in venas admiſſum eſt.

5. De veteris Germaniæ incolis conſtat, quod vix alios morbos nouerint, quam qui ex vulnerationibus & contuſionibus ortum duxerunt. Nunc autem, immutata viuendi ratione, dudum deſiit iſta felicitas; iam enim non morbos, ſed morborum catalogos recenſere poſſumus. Ita ætas poſterior Germaniam a barbariei contumelia quidem vindicauit, ſed vna cum ciuilitate mollitiem, ignauiam & morborum agmina introduxit.

6. Plethoræ ſubiectis ſupra adnumerauimus illos, qui e laborioſo vitæ genere tranſitum fecerunt in otioſum, quietum & ſaginando ventri adcommodatum. Videtur hoc adſertum quibusdam ſufficienti fundamento carere, & potius ſtatuendum eſſe: quod illi, qui tamdiu ſub certo vitæ genere incolumes vixerint, tam confirmata ſanitate gaudeant, vt roboris penu tamquam in futuros euphoriæ vſus collecta ſolummodo frui, & porro valentes permanere poſſint, licet viuendi præſens ratio a priori deflectat.

7. Sed quorum animis huiusmodi opinio inſidet, illis obſeruandum commendamus,

1) quod omnis mutatio e meliori in peius, qualis hæc eſt, e motu in otium, vere ſit periculoſa.

2) quod natura in laborioſis iam adſueuerit eadem proportione cibos adſumere, & ſanguinem reſtaurare, qua antehac quotidie conſumebatur. Si iam labores neglecti fuerint, eam ipſam conſuetudinem tam in cibis adpetendis, quam in augendis humoribus firmiter porro obſeruat: atque hinc plethora & quæ eam ſequi ſolent grauiora oriuntur incommoda. Nemo itaque athletico habitu ſub quotidianis exercitiis præditus, falſo ſibi blandiatur, ac ſi neglectis laboribus eumdem diu retenturus ſit.

8. Quod

8. Quod ad remedia ſubſidiaria attinet, quibus plethoræ imminutionem intendimus, nempe ad venæſectionem & ſcarificationem, non pertinent illa ad pathologiam, ſed ad therapiam ſpecialem, vbi explicatius de illis diximus.

9. Male ceterum conſulunt plethoricis illi, qui ſecundum illud dicterium, *plethora, ſi datur, non venæſectionem, ſed catharticam euacuationem poſtulat,* curationem ſuſcipiunt. Talis enim methodus πλησμονη congrua eſſet, non plethoræ, vt *Hippocrates* iam docuit *lib. IV. de rat. vict.*

10. Itaque qui plethoræ negotium *perſpectum* & ſecundum ſuam originem, indolem & effectus ſolide cognitum habet, hos facile errores effugiet, & præterea ſollicitus erit, vt nihil temere & nihil ex præiudicio agat, ſed in hoc negotio naturam præeuntem, rationem ſuffragantem & experientiam confirmantem conſtanter ſequatur. *Conf. Frid. Wilh. Kloſii diſſ. de plethora eiusque præter naturam in corpus humanum productis effectibus. Argentorati 1724. Io. Andr. Fiſcheri diſſ. de plethora multorum morborum cauſſa. Erford. 1723.*

TABVLA VI.
DE
SPISSITVDINE SANGVINIS.

I. DEFINITIO.

Spiſſitudo maſſæ ſanguineæ eſt iuſto craſſior illius conſiſtentia, quæ a plethoræ abundantis vitio & motuum defectu plerumque originem ducit, ac variorum morborum cauſſam conſtituit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Ratione *quantitatis* ſpiſſitudo vel
   1) *vniuerſalis* eſt, quando vniuerſa humorum maſſa in toto corpore debitam fluxilitatem amiſit & ſpiſſeſcentia laborat.
   2) *particularis*, quæ in certis tantum locis obſeruatur, v. g. in vena portæ & viſceribus cum illa connexis, quemadmodum in hypochondriacis & hyſtericis id frequenter occurrit.
2. Ratione *qualitatis* ſeu indolis
   1) *Simplex* & pura dicitur ea ſpiſſitudo, quæ a dyſcraſia & ſpecificis impuritatibus libera eſt.
   2) *complicata* autem ſpiſſitudo, quæ ſpeciali inquinamento ſiue venereo, ſiue ſcorbutico, ſiue alii maligno iuncta eſt. Non vero de hac, ſed de illa in præſenti agendum incumbit.
3. Ratione *durationis* eſt, vel
   1) *incipiens* & correctionem facile admittens, vel
   2) *diutius adfligens* & altius radicata, quæ continuatam medicationem & perenne motuum exercitium efflagitat.

III. *SIGNA.*

Sunt maximam partem eadem, quæ in plethora ſe offerunt; in primis

primis autem obſeruantur in illis, qui ſanguinis ſpiſſitudine laborant, nempe

1. Animus anxius & ad agendum torpidus, abiectus & citra cauſſas morales externas meticuloſus & infractus. Hinc apud practicos ſolenne eſt dicterium: ſchweres Blut, ſchwerer Muth.
2. Grauitas artuum & totius corporis; vnde laſſitudo ſine præuio motuum exercitio.
3. Reſpiratio impeditior & ſub motu leuiore auguſtationis ſenſus circa præcordia cordisque palpitatio.
4. Somnus anxius, parum reficiens & terrificis inſomniis ſtipatus.
5. Crebræ pulſus & motus tonici alterationes, a quibus deinde caloris & coloris mutationes oriuntur, quæ corporis habitum modo ſtrictiorem & palleſcentem, modo magis turgidum & coloratum reddunt.
6. Secretionum & excretionum tardior ſucceſſus.
7. Sanguis per venæ ſectionem aut ſcarificationem eductus, reſpectu coloris, nigricat, reſpectu autem conſiſtentiæ admodum craſſus firmiterque cohærens eſt: vnde nec ſeroſam portionem tam cito dimittit, & ſæpe e vena ſecta fluere recuſat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Ratione *ætatis:*
   1) Senes ordinarie præ iunioribus. Vid. *Stahlii diſſert. de ſenum adfectibus* §. XXV.
   2) Iuniores tamen, quibus maturius hæmorrhagiæ naturales ſuppreſſæ ſunt, aut qui artificiales depletiones neglexerunt, ſæpe in eum delabuntur ſtatum, vt ratione ſpiſſitudinis humorum longe deterioris eſſe ſoleant conditionis, quam ipſi ſenes.
2. Ratione *ſexus*

Feminæ præ viris, & in illis præcipue, quæ ſeſſili opera ſuos labores perficiunt, aut plane otioſæ ſunt, quod apud illas obſerues, quæ de quotidiano victu numquam eſſe debent ſollicitæ.

3. Ratione *temperamenti:*

Temperamentum melancholicum & ſanguineo-melancholicum magis ſpiſſitudini fauent, quam cholericum & ſanguineo-cholericum.

4. Ratione *vitæ generis:*

1) generatim illi, quibus viuendi ratio otioſa aut vegetiorum motuum expers eſt, cuius aſſiduus comes plethora eſſe ſolet.

2) Speciatim litterati, artifices & opifices, qui ſedendo artis penſa abſoluunt.

5. Ratione *climatum:*

Illi, qui ſeptentrionalia incolunt, magis diſpoſiti ſunt ad humorum ſpiſſitudinem, quam qui in meridionalibus commorantur, tam ob aëris & diætæ, quam corporis & temperamenti rationem.

V. *CAVSSAE.*

1. *Cauſſa primaria* eſt abundantia ſanguinis; licet optimi, tamen ad ſpisſitudinem valde proni. Huius enim excedens in corpore quantitas motus proportionem lædit, ſpeciatim

1) *circulatio* tam frequenti circuitu abſolui nequit, cum maior quantitas tardius, minor autem citius circumagi valeat. Vnde

2) *energia* impulſus manifeſto læditur, prægrauatur & infringitur. Nam ſublata proportione humorum ad motus, aufertur quoque debitus mouendi vigor.

3) *Viæ & meatus* nimia oppletione ſemet ipſos offerciunt & quaſi obſtipant, ac neceſſariæ procedendi facilitati nouum impedimentum obiiciunt. Atque hinc

4) maior in dies motus progresſiui torpor inualeſcit; humorum fluxilitas perit; ſecretionum & excretionum ſucceſſus fit impeditior, ſuperfluorum redundantia, iuſtæ craſeos immutatio & ipſa tandem ſpisſitudo vera ſubnaſcitur.

2. *Cauſſæ ſecundariæ* duæ ſunt, quæ culpa voluntatis humanæ, rectius non inſtructæ, aditum inueniunt:

1) Eſcu-

1) Eſculentorum largior ingeſtio & potus diluentis minus proportionata adſumtio.

2) inſufficiens motus voluntarii exercitium, aut omnimoda neglectio, Quantum vero progresſiuum motum iuuet voluntarius, qui attenuatorius, transpulſorius & per arctos fibrarum poros transpreſſorius eſt, in *Hygieine noſtra* diximus. *Conf. Stahlius de proportione humorum ad motus* §. *XIV.* & *diſſ. eiusd. de Viribus* §. *IX.*

3. *Cauſſæ procatarcticæ* ſi iam recenſitis accedunt, ſpisſitudini maius incrementum addendo ad altius radicandum inſeruiunt. Tales autem ſunt

1) Animi pathemata, ſpeciatim triſtitia, metus, terror: de quibus vid. *Stahlius de paſſionibus animi corpus humanum varie alterantibus.*

2) Diæta ſicca & craſſa, acidorum & ſpiritus vini abuſus, qui in primis humores reddit lentos; iisque coagulum inducit; cuius rei teſtimonium luculentum ſanguis e ſecta vena profluens ſuppeditat. Nam ſtrenui ſpiritus vini potatores cruorem ſpiſſum, tenacem & quodammodo albicantem emittunt.

3) Refrigeratio immodica, ſiue per aërem imprudentius admiſſum, ſiue per frigidorum ingurgitationes facta, corpore inprimis vndique calente.

4) Sudores nimii ſedentariorum, per quos portionis diluentis aquoſo-ſeroſæ inſignis iactura fieri & ſpisſitudo conſequi ſolet. Laborioſi autem per copioſum potum hanc iacturam compenſant.

5) Sanguis hæmorrhoidalis & menſtruus, præter naturam retentus, *Conf. ſupra ſubiecta.*

VI. *VSVS.*

1. Ipſa omnino ſpisſitudo nullum habere poteſt vſum, quia tot malorum fomes eſt; ſed penitior cauſſarum cognitio eo maiorem in omni praxi adferet vtilitatem, quo nocentior earum eſſe ſolet ignorantia.

2. Præcipuum huius doctrinæ vſum *Stahlius* ponit in eo, vt probe cognoſcatur, veras & communes cauſſas eſſe illas, qua-

rum ſupra iam mentio facta eſt ſub *cauſſis* n. 1. & 2. non vero alias quasuis aliunde adductas; quoniam eædem quotidie in ſubiectis occurrunt, quæ ſpisſitudine adfecta obſeruantur. *Conf. Stahlii diſſ. de proportione humorum ad motus* §. *XIV.*

3. Aliæ e contrario cauſſæ, quas *occaſionalium* nomine recenſuimus, minoris ſunt efficaciæ per ſe, & ſolæ tantummodo agentes: at vbi efficaciores iam adfligunt, maius omnino pondus addere valent. Videmus enim plures animi mœrore adfectos, terroribus expoſitos, diæta vili vtentes, refrigerationibus corpora ſæpius exponentes, nimium ſudantes, ſed citra inſequens ſpisſitudinis vitium, quia omnes hos errores alio emendant modo, atque metuendam noxam motibus plerumque validis tuto auertunt.

4. Quia præterea cauſſam *primariam* eſſe diximus plethoram; clarum ſatis eſt, ſpisſitudinem certo præcaueri poſſe, ſi ipſius plethoræ inhibeatur prouentus, omnesque præcidantur occaſiones, quæ ad illius nutrimentum & augmentum aliquid conferunt.

5. Porro his edocemur, corporis motum longe quidem efficacisſimum eſſe ſpisſitudinis remedium, circumſpecte tamen adplicandum. Qua de re *vid. Conſpect. med. theoretico-pract. tab. III. obſ.*

6. Denique his causſis rite penſitatis agnoſcimus, ſpisſitudinem nequaquam ſubnaſci e vulgari & erronee ſuppoſita acrimonia. Acria enim plerumque penetrant & reſoluunt; vbi autem aliquando acrimonia cum ſpisſitudine concurſat, ibi potius illius effectus eſt etiam cauſſa.

VII. *OBSERVATIONES.*

1. Quibus *Tackenianum* placitum, vtut ferme exoletum, hodienum adhuc placet, ſecundum quod omnes morbi ex acido quodam ſpecifico & ſalinis potentiis, ad morbos excitandos aptis, deriuantur; illi & ſpiſſitudinem ſanguinis inde pullulare opinantur, iudicantes, abundantiorem acrimoniæ prouentum in corpore humano alium effectum edere haud poſſe, quam inſpiſſantem & coagulantem.

2. Ve-

2. Verum enim vero, vti primum fundamentum, cui *Tackenius*, eiusque hyperaſpiſtes *Syluius*, theoriam ſalſam ſecure ſuperſtruxerunt, friuolum maximeque lubricum eſt: ita vtriusque dogmata tot laborant difficultatibus, vt ſolis inuentoribus relinquenda eſſe, pridem eruditi ſtatuerint; quia nec commode conciliare nedum demonſtrare eadem valuerunt; cum ſalium contrarius effectus quibuslibet ob oculos verſetur.

3. Fundamentum autem illius hypotheſeos locus quidam *Hippocratis* præbuit, qui, ſi quisquam alius, profecto valde obſcurus eſt. Dicit enim ineſſe homini amarum & ſalſum & dulce & acidum & acerbum & inſipidum atque mille alia, quæ pro copia & viribus varias habeant facultates. Et hæc quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cerni poſſe, neque moleſtia quemquam adficere. At vbi horum quidpiam ſecretum fuerit, & per ſe exſtiterit, tunc & conſpicuum fieri & hominem moleſtia adficere. *Vid. lib. de medic. priſc. Sect. I. f. m. 14.*

4. Si iam ſecretionem intra corpus factam intelligit; falſum eſt, quod ſecretum, v. g. dulcis chylus, amara bilis, ſalſa vrina &c. poſt ſui ſecretionem conſpicua fiant, quia per notabilem moram adhuc in corpore retineri poſſunt, licet pridem ſecreta. Immo potius *non ſecreta* per effectus fieri poſſunt conſpicua; quod œdemata & icterus clare euincunt. Si autem per verbum αποκριθη, quo in textu vtitur *Cous*, materiarum ſapidarum excretionem & extra corpus eliminationem putat, iterum ſibi contradicit. Nam excretum & e corpore reiectum, nullo modo illud lædere & moleſtia adficere poteſt; quemadmodum hoſtis abſens nocere non ſolet. Atque ex his, pericopes huius perplexæ obſcuritas ſatis ſuperque cognoſci poteſt, quæ proinde indigna eſt, vt ad nouam pathologiam acidam & ſalſam procudendam adlegetur & fundamenti loco ſubſternatur. Ceterum verum eſt, quod peccantes qualitates in *mixtione* tantum non noceant, quantum quidem in *diſſolutione* ſeu *ſecretione*, generatim ſumta.

5. Non autem prolixius vrgebimus difficultates, quæ hoc *Tackenio-Syluianum* placitum porro premunt, quia manifeſto laborat generalitate *ſubiecti, temporis, loci, præiudicio experientiæ* & quæ ſunt huius generis plura, de quibus *vid. Stahlius de pathologia ſalſa.*

6. Quod vero ſpiſſitudo plerumque mater quaſi ſit acrimoniæ, vti reliquarum impuritatum, probari luculenter poteſt

1) *generatim* per deductionem ſub *cauſſis* ſuppeditatam. Nam motus progreſſiui ſegnities, quæ ab abundantia & humorum ſpiſſitudine dependet, magnum impedimentum adfert vniuerſo ſecretionum negotio; quo demum languente etiam excretionum ſucceſſus valde retardatur. Hinc ſerum ſalſum & acre, ſulphureis particulis fœtum, halituoſum, orgaſticum, magnam partem retinetur, & variarum corruptionum in humoribus cauſſa exſiſtit.

2) *ſpeciatim* per ſcorbutum; in quo ſpiſſitudo præcedit, & hanc grumoſam ſanguinis coagulationem ſequitur, ſemiputrida corruptio. Hanc dum natura corrigere adnititur, motus excitat vehementiores; & ſub his motibus tenſoriis, preſſoriis, arthritico-ſpaſticis, contra hoc malum inſtitutis, motus inteſtinus augeri & materiæ eiusmodi ſulphureo-ſalinæ acres largiter generari ſolent, vti in *phyſiologia* demonſtrauimus.

7. Quot ceterum incommoda immo & grauiores morbi ex humorum ſpiſſitudine prouenire ſoleant, id ὡς ἐν συνόψει cognoſci quidem poteſt e *tab. de differentiis morborum*, vbi qualitatis morbos ſigillatim enumerauimus. Hic vero in tironum gratiam generatim monere ſufficiet, quod a ſpiſſidine, tamquam a cauſſa materiali, oriantur

1) ſuppreſſiones depletionum ſanguinis naturales,

2) multarum impuritatum coaceruationes,

3) malum hypochondriaco-hyſtericum & polymorpha illa incommoda, ab eadem cauſſa oriunda.

4) Variæ

4) Variæ congeſtiones, ſtagnationes, ſtaſes, inflammationes, corruptiones, infarctus & læſiones viſcerum chronicæ, quibus diſcutiendis & auferendis, variis motibus natura vtitur, conſtrictoriis & propreſſoriis; vnde

5) tot motus tonici exacerbationes & ſpaſmorum genera, immo ſæpe conuulſiones.

6) Melancholia hypochondriaca & hyſterica & non raro ipſa mania.

8. Spiſſitudo præterea vniuerſalis difficilius longe curationi auſcultat, quam illa, quæ nuper circa quædam viſcera ſuborta eſt; ſi inprimis temperamenti ratio conſpirat & vitæ genus illam promouet.

9. Subito autem per repentinas corporis refrigerationes inducta, fieri ſolet lethalis; quemadmodum eius exemplum memoratu dignum *Nenterus* attulit *in pathologia p. 80.* Nec facile alium, quam funeſtum euentum ſortitur illud ſpiſſitudinis vitium, quod philtris & venenis originem debet.

10. Neque prætereundum, quod ſpiſſitudinem vix auferre liceat, ſi humorum quantitas prius non imminuta fuerit. Nam ad ſpiſſitudinem feliciter reſoluendam, liberior requiritur progreſſiuus motus; qui obtineri nequit, niſi ſpatio ad mouendum maiori, in vaſis antea nimium repletis, conceſſo, & turgeſcentia eorum ſublata: quod ipſum plus adferet commodi, quam ſalium volatilium ingens quantitas deglutita. *Conf. Fr. Hoffmanni exercitatio acroamatica de acidi & viſcidi inſufficientia cap. V. p. 21. cap. XII. p. 66.*

11. Porro obſeruandum, quod inualeſcente licet ſpiſſitudine, veræ tamen vaſorum ſanguiferorum obſtructiones longe rariores ſint, quam quidem vulgo creditur. Quod vero tam difficile etiam in minoribus vaſis contingant, id motus perpetuo reſiſtentes efficiunt. *Conf. Stahlius in diſſ. de obſtructione vaſorum ſanguiferorum* §. *VIII XI.* qui ſolide §. L. inculcat, quod illa mala, quæ alii a paſſiua obſtructione deducant,

cant, potius ſic dictæ regurgitationi, ſeu curate loquendo, ſanguinis a maioribus vaſis verſus minima *reſtrictioni* attribuenda ſint.

12. De curatione tandem velut in tranſitu generatim hoc notamus, quod illa plerumque opinione ſoleat eſſe impeditior. Vti enim talia ſubiecta in moralibus tam ad agendum, quam in agendo, trepida, timida, turbulenta eſſe & præpoſtero impetu aut tergiuerſatione negotium adgredi obſeruantur: ita & in vitalibus eundem morem ſeruat natura, & hoc quidem eo certius, quo maior eſſe ſolet labor obiectus, breuior opportunitas agendi, præſentius periculum & incertior totius conatus exitus. *Conf. Stahlii theoria p. 645.*

TABVLA VII.
DE
CACOCHYMIA.

I. D*EFINITIO.*

Cacochymia eſt malus humorum ſtatus, ſeu maſſæ ſanguineæ & debitæ eiusdem craſeos per varias impuritates deprauatio, a ſuppreſſis potiſſimum excretionibus originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differunt auctores in *genere* ponendo. Qui *Galenum* ſequuntur *in lib. de plethora cap. XI.* & cacochymiam prauorum humorum *copiam* eſſe putant, non plus rationis habent, quam qui contrarium adfirmant; quod nimirum adficiendi modus in cacochymia non dependeat ab ipſa abundantia, ſed a vitioſa qualitate.
2. Cacochymia, *ſtricte* ſumta, eam denotat ſanguinis *craſin,* cui particulæ heterogeneæ, ſulphureo-ſalino-mucoſæ copioſius intermixtæ ſunt. In *latiori* autem ſignificatu, præter dyſcraſiam mixtionis, *conſiſtentiæ* quoque vel iuſto ſpiſſioris, vel tenuioris vitium ſimul comprehendit.
3. Ratione *quantitatis* eſt vel
   1) *vniuerſalis,* quæ vniuerſam ſanguinis maſſam fœdat; vel
   2) *particularis,* quæ certam corporis regionem aut peculiare viſcus occupat. Hinc paſſim legitur de cacochymia cerebri, pulmonum, renum, vteri.
4. *Ratione indolis*
   1) *generalioris:*
      (1) *Simplex* dicitur illa, quæ alii morbo ſociata non eſt, qualis tamen rarius obſeruatur.
      (2) *Compoſita* ſeu *complicata,* quæ cum aliis morbis coniuncta occurrit; e. g. ſi cacochymicus ſimul ſit hypochondriacus, aut vexetur ſpaſmis & plethoræ vitio.

2) *ſpecialioris:*
(1) *Benigna* & quidem
a) *Salſa*, qualem obſeruamus in ſcabie.
b) *aquoſo*-ſeroſa, in leucophlegmatia, anaſarca, hydrope.
c) *mucoſa* in ſubiectis phlegmaticis, pueris & ſenibus.
d) *bilioſa*, in ictero.
(2) *Maligna*, ſeu vt aliis placet, *putrida*, qualis in lepro-ſis & venerea lue infectis manifeſta eſt.

5. Cum in cacochymia attendatur vitium *craſeos* in ſanguine, tamquam illius proprium: tum facile erit, eam a *ſpiſſitudine* diſtinguere, vtpote in qua *conſiſtentiæ* vitium in primis manifeſtum eſt.

6. A *Cachexia*, cum qua omnino adfinitatem habet, in eo differt cacochymia, quod in hac partes magis fluidæ, in illa vero tam fluidæ quam ſolidæ adficiantur.

7. Præterea diſtinguenda eſt *impuritas* ſanguinis cacochymici a vera eius *corruptione*, quæ per varias ſe prodit exulceratio-nes, de quibus dicetur in ſequentibus.

8. Quæ ceterum alii adferunt de cacochymia *primæ*, *ſecundæ* & *tertiæ coctionis*, illis fuſius exponendis hic merito ſuperſedemus.

III. *SIGNA.*

1. Adpetitus læſio.
2. Somnus interruptus.
3. Habitus corporis pallidus, tumidus & ſubinde liueſcentia conſpicuus.
4. Secretionum & excretionum impeditus ſucceſſus; in primis autem, ſudoris & aluinæ eiectionis.
5. Vrina pallida, & non raro turbida.
6. Laſſitudo in toto corpore quaſi vlceroſa, vt *Ioubertus* tradit in *Iſagoge methodi therapeutices f.* 410.
7. Præter alia incommoda, expulſiones, obſeruante *Stahlio*, vlceroſæ, ſubtiles, acres & ſerpiginoſæ.
8. Animi languor & virium imminutio.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Homines potiſſimum deſides & otioſi.
2. Spiſſitudine iam adfecti.
3. Diæta craſſa & vili vtentes.
4. Variarum excretionum ſuppreſſiones paſſi.
5. Cum perſonis ſcabie aut lue venerea infectis multum commercii habentes.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſæ materiales antecedentes & proximæ e ſubiectorum recenſione tam clare patent, vt ferme ſuperfluum videatur, plura de eodem argumento hic commentari.
2. Interim hoc notaſſe iuuabit, quod fictiones illæ de tot ſalium prouentu in corpore humano, nihil minus, quam veras cacochymiæ cauſſas conſtituant; cum illa *Hippocratis* verba, quibus pathologia falſa innititur, reuera in non ſatis clare intellectis reputanda ſint, quidquid etiam viri docti commententur. *Vid.* quæ *in tab. de ſpiſſitudine* de hac infelici phantaſia, vt *Stahlius* eam vocat, iam monuimus.
3. Et ne quid huius ænigmatis ſalini in animis diſcentium reliquum maneat, omnibus conſiderandum proponimus pauperiores de plebe, qui tali victu vtuntur, qui ſalium *Tackenianorum* geneſi, ſi quidquam aliud, admodum fauet: ſed tantum abeſt, vt illi in magno gradu cacochymici ſint, vt potius conſtantiori valetudine vtantur, quam hi ipſi, qui ſalina quam maxime auerſantur.
4. Quod ſi autem de verioribus diſquirendum ſit cauſſis; hoc probe notandum tironibus eſt: plethoram etiam in hoc malo, vti in pluribus *qualitatis morbis,* ſolidum & primum fundamentum ponere. Facilis enim eſt abundantium humorum degeneratio in ſpiſſitudinem & ex hac in veram cacochymiam prolapſus.
5. Cum præterea vitæ otioſæ & plethoræ conſectaria in ſuperioribus tabulis perſpicue iam tradita ſint; eadem, licet huc quoque pertinentia, non repetemus: id ſolum addituri, quod proportionis tam humorum ad motus, quam motuum

ad humores læſio *proximam* cacochymiæ cauſſam conſtituat. Hac enim obtinente, nulla ſecretio debite perpetratur, & excretiones quoque languent. Vnde fit, vt impuritates quæuis retineantur, & vniuerſam craſin conſpurcent atque lædant.

6. Suboluit hoc pridem quibusdam Medicorum, qui aperte confesſi ſunt, cauſſam efficientem genericam omnium cacochymiarum eſſe, quod ſecernenda naturalia debito tempore, modo & quantitate non ſecernantur a maſſa ſanguinea. *Vid. Iac. Pancr. Brunonis dogmata medicinæ generalia. p. 185.*

VI. *VSVS.*

1. Ex cacochymiæ pertractatione, ſi in primis ſubiecta probe conſiderentur, id præcipue vtilitatis in Medicum redundat, vt certisſimus eſſe posſit, cacochymiam re ipſa non eſſe productum fictæ ſalſedinis, ſed prægreſſarum anomaliarum in vitalibus noxium conſectarium.

2. Quo generatim cognito hoc malum per cauſſarum verarum ſublationem curabit, maximeque rationem habebit conſuetarum alias hæmorrhagiarum, earumque imminutionis aut ſuppresſionis. Nec inſuper habebit euacuationes artificiales, antea adhibitas & poſtmodum neglectas. Penſitabit porro diligentius ætatem, vitæ genus & quidquid ad cacochymiæ malum conferre aliquid poteſt.

3. Atque ita conuenientisſimas formabit indicationes, quarum fructum, ſi prudenter & tempeſtiue easdem adplicauerit, in ipſa curatione videbit longe vberrimum.

4. Religioni contra ſibi ducet, *ſalibus volatilibus* malum oppugnare, quia grauiores noxas certisſime inferunt. *Conf. F. Hoffmanni exercit. de acido & viſcido cap. V.* vbi noxam volatilium aliquot caſibus confirmat.

5. Poſthabita igitur falſa tam pathologia, quam therapia, in diiudicanda & percuranda cacochymia multo felicius aget, quam ſi vtriusque chimæras praxi intulerit, & *Andabatarum* more cum deprauatis humoribus dimicauerit.

6. Profecto enim vani & ſcopum therapeuticum minus attingentes

gentes ſunt illi conatus, qui præiudicio creditæ ſalſedinis acti, quiduis potius ſolent tentare, quam in cacochymiæ curatione depletionum ſanguinis & ſalutarium ſecretionum ac excretionum ſollicite promouendarum rationem habere; ſubiectorum diſidiam in laborem vertere & vicariis euacuationibus artificialibus, naturales ſupplere.

VII. *OBSERVATIONES.*

1. Cacochymiæ in foro medico varia fuit fortuna. Nam *Helmontius* eiusque admiratores eo proceſſerunt audaciæ, vt cacochymiæ exſiſtentiam plane negarent; ſed perperam: quod enim rarius occurrit, id minime videtur negandum. Aliis contra tutisſimum quaſi ignorantiæ enatum fuit aſylum. Si enim, quid ægrum male habeat, diſerte definire non valemus, neque cauſſam mali vllatenus perſpicere poſſumus, ad cacochymiæ, maxime ſcorbuticæ, nomen confugimus.
2. Tam dubiam & perplexam reddiderunt ſpisſitudinis & cacochymiæ pathologiam! Sed vtinam latius ſe non diffunderent, neque ad alios morbos adplicarentur erronei hi conceptus. A quo enim in materiis morborum vnice defixi hærere cœperunt Medici, nec motus materiæ oppoſitos pro dignitate conſiderarunt, varia in theoriam medicam introducta ſunt monſtra ſalina, ſulphurea, mercurialia, verminoſa, aſtralia, ſpirituoſa.
3. Varie quidem ſe vertunt & obiectam ignorantiam amoliri ſtudent, interſerentes litem eſſe theoreticam, quæ nihil in receſſu habeat, ſi modo reſtituatur æger. Verum enim vero, ſicut eiusmodi falſis hypotheſibus falſæ quoque indicationes & indicata plerumque ſuperſtruuntur: ita natura cum duplici hoſte, cum morbo ſcilicet & incongruo medicamine, certare debet, & non raro ſub peruerſis eiusmodi inuentionibus ſuccumbere cogitur.
4. De expulſionibus vlceroſis, acribus, eryſipelatodeis & furunculis ſpontaneis, quarum mentio ſub *ſignis* iam facta eſt, hoc porro obſeruandum, quod vulgo vniuerſalioris cacochymiæ producta credantur, cum tamen non niſi *enitentium*

excretionum, & in primis ſanguinearum, effectus ſint, aut reliquiæ; vt pridem obſeruauit *Stahlius in diſſ. de erroribus practicis cap. V. p. 30.*

5. Et hæc ipſa obſeruatio non plane noua, ſed perantiqua eſt. Obſeruarunt enim veteres, quod cacochymicis ſpeciatim interdum aliquid internorum viſcerum exulceretur; potiſſimum tamen cutis, quia in hanc excrementa, in reliquo corporis habitu collecta, a natura expellantur. Vnde cancri, phagedænæ ſerpentes, erodentes, carbunculi & vlcera chironia & thelephia vocata, oriri ſoleant. *Vid. Galenus lib. III. de temperamentis cap. III. f. m. 22.*

6. Cacochymia præterea vniuerſalis, & cum aliis morbis minus complicata, quando occurrit, facilioris ac certioris curationis ſpem relinquit, quam particularis & cum nobilioris viſceris labe coniuncta; quæ vti frequentior eſt: ita curatu quoque obſeruatur difficilior.

7. Plura ceterum, quæ obſeruatu quidem digna eſſent, commemorare hic intermittimus; partim quia in *Conſpectu noſt. theoretico-pract. tab. IV. de cacochymia*; partim etiam in *tabulis præced. de plethora* & *ſpiſſitudine* iam iam communicauimus.



TAB.

TABVLA VIII.
DE
HAEMORRHAGIIS NATVRALIBVS.

I. D*EFINITIO.*

Hæmorrhagia naturalis eſt principii agentis negotium vitale, quo ſanguinem ſincerum, & plerumque vere abundantem, per varia diuerſarum corporis regionum loca euacuat; non quidem ob prægreſſam violentiam externam, ſed ob internas directiones & tacitas commotiones, eo fine ſuſceptas, vt plethora minui, motus progreſſiuus expeditior reddi, & plura mala præcaueri poſſint.

II. *DIFFERENTIAE.*

Ex hæmorrhagiis, variis reſpectibus conſideratis, variæ naſcuntur differentiæ. Ita occurrunt

1. *Naturales*, quæ & *actiuæ* adpellantur; hoc nominis inde ferunt, non quod de hominis natura ac eſſentia ſint; ſed quod natura illis, tamquam adæquato remedio vtatur, moleſtam humorum abundantiam ſubtrahendi & ſanitatem conſeruandi. Si naturales eſſent priore ſenſu; tum omnes homines, cuiuscumque ſexus & ætatis, hæmorrhagias paterentur; quod tamen aliter fieri per experientiam nouimus. Harum aliæ ſunt

   1) *ordinariæ*, quæ per conſueta excretoria & viam quaſi ordinariam fluunt, vt ſunt *nares, vterus.*

   2) *extraordinariæ*, quæ per vias prorſus inſolitas prorumpunt, quemadmodum ex obſeruatiouum ſcriptoribus conſtat, quod notatu dignæ hæmorrhagiæ ſpontaneæ acciderint per oculos, palatum, aures, gingiuas, brachium, vmbilicum, ſuras, digitos pedis & vniuerſam cutem, vt in

in ſudore ſanguineo tam particulari, quam vniuerſali ſolet obtingere.

2. *Præternaturales* ſeu *paſſiuæ* hæmorrhagiæ habentur illi ſanguinis fluxus, qui a cauſſis externis, quæ violentiam inuoluunt, ſuſcitantur. Atque ita clarum eſt, omnes quoque hæmorrhagias, arte productas, ſub his comprehendi. *Conf. tab. noſtr. chirurgic.*

3. *Reſpectu ætatum* ita differunt, vt ſanguinem excernant
   1) *Iuniores* per nares.
   2) *Aetas media* per pulmones.
   3) *Prouectiores* per hæmorrhoides, ventriculum, renes & veſicam. Quo ipſo differentia ſecundum varia excretoria ſimul indicata eſt.

4. *Reſpectu ſexus*
   1) *ſexui* feminino propria ſunt: menſtrua ſanguinis per vterum excretio, lochia & aliæ vteri hæmorrhagiæ. Quamuis non deſint ſubiecta, quæ etiam alias experiantur hæmorrhagias, narium ſcilicet, hæmoptyſin, vomitum cruentum, mictum cruentum, hæmorrhoides & varicum manationem.
   2) *Maſculino* interim magis familiares ſunt hæmorrhagia narium, hæmoptyſis, hæmorrhoides, mictus cruentus. Rarius patiuntur vomitum cruentum aut varices manantes.

5. *Ratione temporis* aliæ ſunt
   1) *periodicæ*, vt menſes & in quibusdam hæmorrhoides aut narium hæmorrhagiæ. Vt hæmoptyſeos menſtruæ exempla in quibusdam feminis, præcipue grauidis, ſigillatim non recenſeamus.
   2) *vagæ*, vt plerumque narium hæmorrhagiæ & apud plures hæmorrhoidum fluxiones eſſe obſeruantur.

6. *Ratione indolis*, ex *nouem* hæmorrhagiarum ſpeciebus
   1) *Salutares* & neutiquam vt morbi conſiderandæ ſunt *quatuor*, nempe
      (1) *Hæmorrhagia narium*, ſi congrua ætate, debita quantitate & cum euphoria fluat. Si vero

a) ni-

a) nimio impetu aut nimis laborioſo molimine prorumpit,
b) iuſtam menſuram excedit, & virium iacturam infert,
c) in acutis parce & magis ſymptomatice quam critice fluit, aut
d) maturius ſupprimitur, tunc morbis iure meritoque accenſeri ſolet.

(2) *Hæmorrhoides*, ſufficienter & quantum licet periodice fluentes: quæ tamen ſi
a) nimiæ ſint, vel
b) in fluxum hepaticum, vel
c) hæmorrhoides albas, aut
d) cæcas degenerent, aut
e) plane deficiant, ſalutares dici nequeunt.

(3) *Menſes*, criticam periodum ſeruantes & debita quantitate profluentes, feminino ſexui ſemper conducunt, & ad ſanitatis conſeruationem plurimum conferunt; ſed
a) exceſſus præternaturalis,
b) eruptio dolorifica,
c) emanſio,
d) obſtructio, retentio, præmatura ceſſatio,
e) decoloratio, ob vere morboſam indolem, vt morbi conſiderari debent.

(4) *Lochia*, partum excipientia & legitime fluentia, puerperarum ſanitati optime proſpicuunt. At
a) nimia,
b) imminuta &
c) præmature ſuppreſſa ad præternaturalium pathematum claſſem referri omnino debent. De ſingulis autem *vid. tab. ſpecial. in conſpectu noſtr. pract.*

2) *Minus ſalutares*, & ob grauiora conſectaria magis noxiæ habentur *quinque* ſequentes:
(1) *Hæmoptyſis*
(2) *Vomitus cruentus*
(3) *Mictus cruentus*

(4) *Hæmorrhagiæ vteri* largiores,

a) abortum vel præcedentes vel ſubſequentes,

b) poſt legitimam menſium ceſſationem erumpentes.

(5) *Varices manantes* tam virorum quam feminarum; de quibus *Conf. Stahlii theoria p. 766.*

3) Hæ ergo ſunt differentiæ *eſſentiales*; quæ adhuc porro *accidentales* conſtitui poſſent, ſunt illæ, quæ a conſuetúdine indiuiduali pendent, quas curioſius recenſere ſuperfluum ducimus.

III. *SIGNA HAEMORRHAGIARVM.*

A. *Generatim.*

1. Hæmorrhagia *naturalis*, ab internis cauſſis oriunda, ſine vllis exquiſite ſenſibilibus commotionibus nedum impetu aut tumultu, ſed tacite & tranquille plerumque ſuccedit.
2. Si tamen aliquis ſenſus præcedit, aut concurrit, conſiſtit ille potiſſimum in quadam tenſione circa loca illa, per quæ eruptio fieri obſeruatur, vnde maior ſenſim diſtenſio, dolorem producens.
3. Propius ante eruptionem in conſtitutione corporis, ad hæmorrhagias idonea, peculiaris quædam ſentitur grauitas fatigans & laſſitudo, impotentiam quamdam mouendi inuoluens.
4. Habitus corporis externus, circa illa loca inprimis, in quibus ſtricturæ tonicæ, ſanguinem ad excretionem propius dirigentes fiunt, pallidus & extenuatus adparet.
5. Sicubi autem plethora vrgens fuerit, eruptio non ſolum difficilius contingit, ſed dolores quoque pungentes, lancinantes adfligunt in illa regione, in qua natura ſanguinis depletionem intendit.
6. Excretiones quotidianæ ac ordinariæ impeditius ſuccedunt, quamdiu natura ſanguinis imminutiones molitur.
7. Quamprimum vero euacuatio ſufficiens ſecuta eſt, quæuis moleſtiæ dolorificæ ceſſant, & ſudoris, vrinæ ac alui excretiones cum euphoria vigent.

B. *Spe-*

B. *Speciatim*

Hæmorrhagiæ narium. Hæc quia tacite & inopinato contingit, quemadmodum in multis ſolet, peculiaria ſigna Medicis obſeruanda vix relinquit: vbi vero paulo impeditius ſuccedit, pluribus ſignis manifeſta fit. Vnde

1. *circa caput* obſeruantur
   1) congeſtiones ſanguinis, ſpeciatim verſus alterutrum capitis latus.
   2) vaſorum colli & temporum inflatio.
   3) ceruicis dolor.
   4) facies turgida & genarum rubore conſpicua.
   5) oculorum prominentia, ſiccitas & rubedo.
   6) aurium ſonitus & ſibilus.
   7) dolor capitis grauatiuus.
   8) mentis ſubinde vacillatio.
   9) vertigo & adparens veluti ante oculos ſcintillatio.
   10) pruritus narium, quem mox excipere ſolet ſanguinis proruptio, ſæpe etiam ſine ſcalptione
   11) Inſomnia varia, de quibus *vid. tab. de plethora.*
2. *In partibus remotis* ob tonum magis auctum
   1) tenſio quædam in hypochondriis & in primis dextro.
   2) ſudoris ſuppreſſio.
   3) vrinæ imminutio & tenuitas.
   4) adſtrictio alui.
   5) ſenſus inferiorum partium ad tactum frigidulus.

Hæmoptyſeos

1. Congeſtio ſanguinis ad pectus vberior.
2. Coarctatio thoracis & moleſtus ſenſus ſpaſticus ad ſcapulas, humeros & hypochondria ſe extendens.
3. Anguſta reſpiratio.
4. Capitis oppletio temulenta & grauatiua.
5. Primarum viarum diſtenſio & borborygmi intercurrentes.
6. Somni debilitas vel defectus & tacita quædam anxietas ſeu animi deiectio.
7. Horripilationes in extremis & pectori vicinis regionibus.

8. Tacite & ſæpius ex improuiſo, ſine tuſſi, prorumpit ſanguis, in iis præcipue, qui antea narium hæmorrhagias paſſi ſunt.

9. Interdum tamen præcurrit & concurrit raucedo, prurigi-noſa titillatio & tenſio ſtagnatoria tam exquiſiti ſenſus, ac ſi nucleus tracheæ impactus eſſet. Et de his curioſe obſeruatum eſt, quod ſanguis, quem in hæmoptyſi excernunt, ex ſuperiore parte & ipſi laryngi propiore expreſſus ſit.

10. In quibus autem ſanguis profundius intra bronchia penetrat, in illis ſimilis ſenſus preſſorius, & in profundiore parte reniſus, diutius non ſolum præcedit, ſed dolore etiam ſubiecta adficit.

11. Tuſſis vero, ſi quidem in quibusdam præcedit, clangoſa obſeruatur, ſine aſperitate aut impetu, & hæc ſub ipſa ſanguinis excuſſione plane ceſſat. Quæ vero concurrit & excretionem comitatur, illa non ab aliqua efficacia excuſſoria oriri ſolet, ſed a ſanguinis erumpentis in profundum pulmonis admiſſione, quæ ſub proximis reſpirationibus contingit, deriuanda eſt. Vnde impetu viciſſim excuti debet, ne corruptionem ſubiens pulmonum fabricam lædat.

12. Ad ipſum tandem ſanguinem quod attinet reiectum, ille floridus & intenſius rubentis coloris eſt, præterea ſpumoſus & notabili copia plerumque conſpicuus. Nam ab vna alteraue vncia ad libram interdum & quod excedit, fieri ſolet augmentum.

Vomitus cruenti

1. Anguſtiæ circa præcordia, ſubiectis alias familiares, imminente propius vomitu manifeſtius & ſenſibilius obſeruantur; promtiſſime autem ſe exſerunt, ſi per validiores motus, potus ſpirituoſos aut animi pathemata exacerbantur.

2. Inſultus ſpaſtici, hypochondrium ſiniſtrum coarctantes, & per interualla præuie adfligentes.

3. In quibusdam manifeſtat ſe vertiginoſa capitis adflictio, lipothymia & deliriis concurrentibus.

4. Sequitur porro nauſea ſimplicior, quam

5. Conatus vomendi excipit, ordinario longe vehementior.

6. Non numquam reiiciuntur cibi prius; vtplurimum tamen ſanguis congrumatus in largiori copia, plus minus nigricans, euomitur.

7. Quo propius inſtat paroxyſmus, eo ſenſibilius adfligunt ſpaſtico-cardialgica pathemata.

8. Alui præter ea non tam ſiccitas, quam vera occurrit conſtrictio, & quidem non tantum inferiorum inteſtinorum, ſed ſuperiorum quoque. Vnde ab adſumtis tali tempore cibariis graues preſſiones & angores oriuntur.

9. Sanguis autem non eo ipſo momento, quo in ventriculum exprimitur, ſimul per proximam œſophagi & oris viam reiicitur, ſed intercedentis quietis tempore in ventriculo colligi ſentitur, per conatus de nouo ſuccedentes demum elidendus.

10. Qui hoc modo excernitur ſanguis, plus rubet, ſi poſt moram in ventriculo non adeo longam excuſſus fuerit: magis vero nigricat, & tenacem ſpiſſitudinem induit, ſi diutius ibi hæſerit, ob aciditates, maxime ſanguinem coagulantes, & piceum quaſi colorem grumis inducentes.

Hæmorrhoidalis fluxus,

1. *Imminentis*

1) Sentiuntur ordinarie congeſtorii motus ſpaſtici vel mitiores, vel vehementiores circa hepar, ventriculum, lienem, meſenterium & ipſa inteſtina: immo exſerunt ſe varii dolores circa lumbos & coxas, qui ad femora nonnumquam & pedes ſe extendunt.

2) Quidam recenſitas moleſtias ante hæmorrhoidum proruptionem non ſentiunt, ſed hæmorrhoidibus iam fluentibus ſuperuenientes experiuntur.

3) Interim, vbi optime ſuccedit, etiam ſine ſenſu ſanguis profunditur; quos vero mediocris ſenſus adfligit, ille teneſmodes exſiſtit, velut irritationis alicuius, quæ expreſſionem ſollicitat.

4) Alii tamen exquiſitum ſæpe ſenſum percipiunt, tamquam intus hærentis rei durioris, & vt vulgo loquuntur, inſtar nuclei profundius circa inteſtini exitum impacti.

5) Quanto altius introrſum eiusmodi ſenſus hæret, tanto impeditius obſeruatur vniuerſus huius excretionis ſucceſſus.

2. *Præſentis*

1) Celebratur iſthæc excretio cum alui quidem depoſitione: ſed ſanguis non tam cum ipſis ſcybalis excernitur, quam vltimo loco poſt ipſorum reiectionem, ſub ipſis poſtremis deſidendi conatibus vacuis, ſine moleſtia.

2) In quibus hicce fluxus libere procedit & frequentius reuertitur, illi ſanguinem excernunt fluxilem & floridum; qui tamen magis nigricat ſpisſiorque deprehenditur in aliis, quibus idem rarius contingere aſſolet.

3) Ex obſeruatione *Foreſti* illi, quibus parcius fluunt hæmorrhoides, faciem oſtendunt e flauo virideſcentem, & vrinas reddunt craſſas, quarum ſedimentum roſei coloris eſt, & interdum tartaream concretionem exhibet.

Mictus cruenti

1. Mictus cruentus, qui a nulla vi externa illata, neque a calculi acumine vias vrinarias lædente, aut fortioribus diureticis productus eſt, ſed ſponte ſua cooritur, ille tacite, dum vrina redditur, citra ſenſibiles moleſtias aut dolores ſuccedit, niſi quod aliquando ſpaſticæ ſenſationes & grauatiuæ in lumbis & circa inguina tenſiones percipi ſoleant.

2. Sicubi autem cum dolore ſucceſſerit iſta euacuatio; ibi iuſta ſuſpicio ſubeſt, vel de calculi præſentia, vel de ſanguine ſaltem congrumato & in vreteribus hæſitante, qui cum maiori demum niſu & non euitando dolore exprimitur.

3. Aluus, vti ſub aliis moliminibus hæmorrhagicis, adſtricta eſt.

4. Sanguis in ipſo mictu ſpontaneo vna cum vrina excretus floridus eſt, & in notabili quantitate prodit; ſubinde tamen colorem ab vrinæ ſalſedine mutatum oſtendit.

5. Cum

5. Cum diutius ſanguis in vreteribus congeſtus hæſerit: tum coagulatur & in figuram vermis teretis concreſcit, inque eadem forma eliditur.
6. Vrina, ſubcruenta & ichoroſa materia permixta, non eſt mictus cruenti, de quo hic agitur, ſignum ſincerum, ſed exulcerationis in veſica aut vrethra factæ indicium.
7. Quod ſi ſanguinis per vrinarias vias excretio, citra vllam vaſorum læſionem aut prægreſſam calculorum eliſionem, contigerit; tunc ex hæmorrhoidibus prouenire haud inepte concluditur. Certior autem euadit res, ſi ſubiecta de præſente hæmorrhoidum ſuppreſſione conquerantur, & ipſe mictus periodice recurrere obſeruatur.

Menſtrui fluxus

1. Cum pubertatis initio hic fluxus ordinarie ſua ſumit primordia. Quamuis negandum non ſit, quod aliquæ otioſam vitam agentes & plena vinoſaque diæta enutritæ, iam duodecimo anno hunc fluxum experiantur, vt ſæpe obſeruauimus.
2. Si recte ſibi conſtat, placidiſſime prodit & ſuccedit, vt ferme nullum ſenſum coniunctum habeant, niſi ſimplicem & vltimum manationis.
3. Senſibiles tamen aliquam fatigationem & reſpirandi difficultatem ſub inſolitis motibus perſentiſcunt; quemadmodum animo eſſe ſolent faſtidioſo & impatiente, frigoris quoque & caloris alternationes incommode ferentes.
4. In habitu corporis externo obſeruatur partium ſubſidentia; vaſa alias ſanguine turgentia, nunc diſparent; oculi magis introrſum retrahuntur & genæ cum labiis palleſcunt.
5. Ipſe fluxus pro ratione temperamenti, vitæ generis aliarumque circumſtantiarum, in his paucioribus in aliis pluribus diebus durat, adeo vt certus dierum numerus definiri nequeat. *Conf. therap. noſtr. ſpecial. tab. XIV. & phyſiol. tab. XXIV.*

Lochialis fluxus

1. Sanguis maximam partem grumoſus prioribus puerperii diebus

bus larga ſatis quantitate e genitalibus prodit: circa quintum vero diem grauem ſpirat odorem, & ſequentibus moderate manat, ſenſimque tenuior ac ſubcruenta ſuccedit. Subſequitur tandem excretio magis ſeroſa, coloris & odoris expers, vſque dum penitus ceſſet.

2. Periodus dierum, quibus hic fluxus, etſi ceteroquin legitime & cum euphoria decurrat, durare ſolet, curate circumſcribi nequit, quia pro ſubiectorum conditione admodum inæqualis eſt, cum in his cito abſolui, in aliis autem diutius & ad decimumquintum vſque diem continuare ſoleat.

Hæmorrhagiæ vteri ſignum manifeſtiſſimum eſt, quando nimirum ſanguis

1. Vel in grauiditatis ſtatu largius prorumpit, & facile fluxum abortiuum inuitat, vti in *conſpect. theoretico-pract. tab. XVI & CXXXIV* oſtendimus:
2. Vel quando extra illum ſtatum & iam poſt quinquageſimum annum plethoricis præcipue mulieribus e genitalibus copioſe effluit.

Varicum manantium ſignum datur euidentiſſimum, quando varicum ruptio & ſanguinis inibi collecti profuſio contingit. De pluribus ſignis non eſt, quod multum ſimus ſolliciti, cum ipſa hæc hæmorrhagiæ ſpecies ſignum ſit hæmorrhoidum non rite ſuccedentium: de quibus infra dicemus.

IV. *SVBIECTA HAEMORRHAGIARVM*

A. *Generatim*

1. Reſpectu *ætatis*, iuniores.
2. Reſpectu *indolis*, illi præcipue, qui alacres, vigiles, ſenſibiles & ad patheticas animi commotiones faciles immo præcipites ſunt.
3. Reſpectu *conſtitutionis*, ſani, in quibus adpetitus optime viget & ſub pleniori victu ſanguis ad abundantiam vſque generatur.
4. Reſpectu *temperamenti*, cholerico-melancholici & melancholico-

lico ſanguine, quorum vaſa paulo capaciora viuidiori impulſui tam reſtagnationis, quam expreſſionis, præ reliquis apta ſunt.

B. *Speciatim*

Hæmorhagiæ narium

1. Homines plerumque intra ſecundum & tertium ſeptenarium conſtituti.
2. Virilis ſexus præ feminino.
3. Hæteditaria impreſſione ad id diſpoſiti.
4. Febribus laborantes, qui critica hac euacuatione leuari ſolent.
5. Interdum etiam ſcorbutici.

Hæmoptyſeos.

1. Ordinarie adoleſcentes, vti iam *Hippocrates* obſeruauit.
2. Ratione *ſexus*, virilis frequentius, quam femininus.
3. Ratione *temperamenti* cholerico-ſanguinei, cholerico-melancholici & melancholico-ſanguinei, quorum venæ plus ſanguinis, quam ipſi pori, continent.
4. Ratione *vitæ generis.*
   1) Illi, qui ex laborioſa in otioſum aut ſaltem ſedentarium tranſiuerunt.
   2) Illi, qui multum clamando & cantando pectus percellunt aut varia inſtrumenta muſica inflando maiorem ſanguinis copiam ad pulmones adliciunt.
5. Denique illi, quibus
   1) aut naturales aliæ hæmorrhagiæ præmature ceſſarunt, vel quoquo modo ſuppreſſo ſunt, aut
   2) qui artificiales conſuetas neglexerunt.

Vomitus cruenti.

1. Feminæ magis quam viri, & quidem ex illis
   1) Adultæ & intra ambitum euacuationis menſtruæ verſantes potius, quam puellæ iuniores.
   2) Plethoricæ, temperamenti ſanguineo-cholerici & animi agilioris ac præcipitis.

3) Prægnantes interdum ex menſium retentione.
4) Quibus ante conſuetum terminum menſes ceſſarunt

2. Viri autem ſi corripiuntur,
1) Hypochondriaci ſunt.
2) Illi inprimis quibus hæmorrhoides emanſerunt.
3) Qui venæſectionis alias conſuetas neglexerunt.
4) Aliquando ſcorbutici.
5) Qui febre quartana diu laborarunt.
6) Quibus antiqua vlcera conſolidata ſunt.

Hæmorrhoidalis fluxus.

1. Ratione *ſexus* viri plethorici multo frequentius hunc experiuntur fluxum, quam quidem feminæ.

2. Ratione *ætatis*, virilis & ſenilis hoc fluxu gaudet. Quæ enim obſeruationes pueros & adoleſcentes hæmorrhoidarios ſiſtunt, vel aliquid inſoliti referunt, vel diſpoſitionem hæreditariam manifeſto indicant.

3. Ratione *temperamenti*, ſanguineo-cholerici et ſanguineo-melancholici maxime ad hæmorrhoides diſpoſiti ſunt, ita tamen vt reliqua non penitus excludantur.

4. Ratione *prægreſſorum motuum hæmorrhagicorum* illi, quibus ſanguis e naribus fluxit, & qui congeſtiones ad pectus & hypochrondriaca pathemata experti ſunt. Si reliqua conſpirant, hæmorrhoides omnino in ætate conſiſtente & vltra fluentes habent.

5. Ratione *diætæ* illi, qui vino, aromatibus & allio abutuntur, & equitationibus grauiter ſe exercent.

Mictus cruenti.

1. Senes potiſſimum vegeti ac plethorici, rarius feminæ.
2. Quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt.
3. Diæta plena vtentes et veneri multum indulgentes.
4. Illi, qui diureticis fortioribus tractati aut externas violentias perpeſſi ſunt. *Vid. cauſſas.*

Menſtrui fluxus ſubiecta ſunt ſolæ feminæ quæ pubertatis terminum attigerunt, & de reliquo nec fœtum in vtero gerunt, nec

nec infantem lactant. Hic in illis, ſi rite & naturaliter omnia cedunt, ad ſeptimi vſque ſeptenarii finem periodice fluit, & ceſſante generandi energia, ſimul ceſſat.

Lochiorum ſubiecta cum puerperæ ſint, pluribus rem notam explicare non opus eſt.

Hæmorrhagiæ vterinæ.

1. Abortientes.
2. Ad menſes nimios procliues.
3. Commotionibus quibusuis patheticis expoſitæ & facile eis indulgentes.
4. Feminæ plethoricæ, quæ non amplius fluxum menſtruum patiuntur, aut peculiari vteri læſione aliisque impuritatibus laborant.

Varicum manantium

1. Homines plethorici & ad hæmorhoides diſpoſiti.
2. Inprimis illi, quibus hæmorrhoides poſt laborioſa molimina impedite fluunt, aut emanent.

V. *CAVSSAE.*

1. Hæmorrhagiarum cauſſæ generatim ab auctoribus *paſſiue* explicantur. & licet in ſpeciali determinatione diſſentiant: tamen in eo mire conſpirant, quod omnes ferme a *materialibus* cauſſis illas deriuent.
2. *Cauſſam materialem antecedentem* plethoram eſſe, ſaniores quique vltro largiuntur, e. g. *Ioubertus, Horſtius, Wedelius, Theod. Zuingerus*, & *Frid. Hoffmannus* qui plethoram quidem admittit, ſed non tam ſanguineam, quam magis ſeroſam. *Conf. med. rat. Syſtem. tom. IV. part. II. p. 5.* Quod vero ad paucos *Helmontii* & *Muſitani* aſſeclas, plethoram negantes, attinet, illi in cenſum non veniunt.
3. *Cauſſam proximam* hæmorrhagiarum, & *ſpeciatim narium*, illam pariter ſine controuerſia concedunt venularum apertionem vel

1) per ανασομωσιν ſeu orificii recluſionem.
2) per διαιρεσιν ſeu rupturam.
3) per διαβρωσιν ſeu eroſionem.
4) per διαπηδησιν ſeu tranſudationem.

4. Aliqui nullo reſpectu habito ad alias, quam *externas* cauſſas, his ſolis hæmorrhagiam narium adtribuunt; vnde tenellas & prominentes in naribus venulas facillime diſſilire aiunt ſub ſternutatione, frictione, ſcalptione, muci excuſſione & alia quauis violentia. Sed aliis in *humorum qualitate* apertionis cauſſam vnice quærere, placet, licet in diuerſas iterum abeant partes.

5. *Cauſſa* igitur *efficiens* a multis conſtituitur

1) *Acrimonia ſanguinis*, quæ per modum eroſionis tanto facilius venulas aperire creditur, quanto manifeſtior teneritudo vaſorum & perpetua humectatio emolliens in naribus obſeruatur. Sed fictionem hanc ſatis refellunt rationes ſequentes. Nam

(1) Hæc acrimonia ſanguinis aut *vniuerſalis* eſſet aut *particularis*. *Si prius*; quæritur,

a) Cur non pluribus in locis, vbi æque ſubtilia vaſcula occurrunt, aut

b) Multo crebrius in vno eodemque ſubiecto, eiusmodi eroſiones & ſanguinis eruptiones contingant? quod tamen ſecundum hoc acrimoniæ placitum neceſſario euenire deberet. Si *poſterius*; frequentiores videremus partium maxime internarum corruptiones & exulcerationes; vnde nihilo minus vniuerſa humorum maſſa ſenſim acrimonia inficeretur.

(2) Si acrimonia tanta præſto eſſet in ſanguine, vt venarum tunicas corrodere valeret; quid cauſſæ eſt, quod neruorum propaginibus, per vniuerſum corpus copioſe diſperſis, tam beneuole parcat, quibus tamen, teſte pathologia falſa, omnis acredo maxime inimica eſt. In ſubiectis enim, hæmorrhagias narium expertis, neque acutos dolores vellicantes, neque conuulſiones, quæ fre-

frequentiſſimæ eſſe deberent, facile obſeruantur, ſed in plerisque euphoria & noua poſt hæmorrhagias obtinet alacritas.

(3) Refellit acrimoniam porro ſubiectorum conſideratio. Ordinarie enim ſunt pueri aut adoleſcentes vndiquaque ſani, vegeti, qui nihil morboſi alunt; ſiue ſpectemus actiones, ſiue etiam ſanguinem, ſponte emiſſum aut venæſectione eductum, ſenſibus exploremus, in quo vtpote nihil ſuppoſitæ continetur acrimoniæ.

(4) Futilitatem hypotheſeos aperte etiam prodit illa circumſtantia, quod lue venerea infecti perquam raro hæmorrhagias narium patiantur; cum tamen in illis humorum lymphatico ſaliualium corruptio & acrimonia per partium exſanguium & glanduloſarum eroſionem ſe ſatis manifeſtet, ad hæmorrhagias narium autem minus exſtimulet.

(5) Cuius tandem indolis eſſet illa ſtatis periodis reuertens & vaſcula corrodens acrimonia? In his enim poſt octiduum, in iſtis poſt dies quindecim aut viginti, in aliis poſt menſem elapſum contingunt hæmorrhagiæ; & hac ratione intelligentia præditam concipere nobis deberemus acrimoniam.

(6) Omnem quidem mouere lapidem voluerunt viri docti paſſim, vt acrimoniæ adſertum tueri poſſent, ſed plane in caſſum; licet diſtinctius explicare illud adgreſſi ſint. Ita placuit quibusdam ſtatuere: quod *tria* in primis ſint, quæ hæmorrhagias excitare ſoleant:

a) *Bilis*,

b) *Lympha*,

c) *Sal* vtriusque commune, modo *lixiuioſum*, modo *acidum*, modo *ſalſum*. Atque ſic ſpeciatim

α) A bile deriuant *hæmorrhagias febricitantium*, in primis ſi lympha bili, vtpote quam pro primo fluxili habent, velificetur, vt in variolis & morbillis. Vel ſi lympha ſanguini incoquatur penitius, vt in ardentibus

tibus. Eo enim freno excuſſo, acrior ſanguis partibus illabitur, & poros promte findit. Hinc etiam *hæmorrhoides* arceſſunt, in quibus bilem circa lienem, meſenterium & inteſtina ad ſeparationem minus diſpoſitam & iuſto acriorem ſupponunt, quæ ad vaſa extima vliginoſa decumbit, & ſub motu fortiori & diæta vinoſa, humores rarefaciente, ſanguinem dimittit.

β) *Lympha* ſalſa ſeu ſale, lymphæ immerſo, & ſanguini eximiam fluxilitatem conciliante, deducunt hæmorrhagias ſcorbuticorum, fluxum hepaticum, menſes & lochia nimia: bile tamen non prorſus excluſa. Ab vtroque prouenire adfirmant ſputum cruentum.

γ) *Sali* vero cuidam peregrino, ſalſo, muriatico adtribuunt fluxiones ſeri, ſeminis, ſaliuæ, lacrymarum.

2) *Obſtructio vaſorum.* Hanc plures adoptarunt, cum animaduertiſſent, quam friuola eſſet illa de acrimonia opinio. Sed quamquam multis viſum ſit, eam pro adæquata hæmorrhagiarum cauſſa venditare: tamen

(1) Laborat hoc placitum principii petitione.

(2) Penitus infringitur per multiplicem experientiam, & menſtruum mulierum fluxum, quem a menſtrua obſtructione deriuare ipſi erubeſcunt obſtructionis patroni.

(3) Maximæ hoc placitum difficultates premunt, e quibus eiusdem patroni ſe extricare non valent. Nam

a) Determinare nequeunt, vbi locorum eiusmodi obſtructio occurrat.

b) Si vero certi quid ſtatuere audent, refutari illud poteſt facillime. Quod nemo ſolidius præſtitit, quam ipſe *Stahlius in diſſ. de obſtructione vaſorum ſanguiferorum.*

(4) De *arteriis* autem vt primum dicamus, harum obſtructionem eo minus adlegare conuenit.

a) Quia ſanguis, vti in aliis, ita in narium hæmorrhagia rariſſime ex iis profluit, ſed ex venis, quod vel ſpontanea conſolidatio condocet.

b) Si

b) Si reuera contingeret arteriolarum obſtructio, hoc eueniret, vt minutæ venulæ, quæ continuo ductu, vt αναϛομωσεων patroni volunt, ſanguinem ab arteriis accipiunt, inanirentur vacuæque reſtitarent, ob denegatum & per obſtructionem præpeditum influxum. Sed contrarium teſtatur venarum inſignis inflatio, quæ valde conſpicua eſt in illis, quibus hæmorrhagiæ imminent.

c) His accedit difficultas illa, quam perpetua ſanguinis per arterias propulſio obiicit & obſtructionem valide impedit.

d) Porro ſanguis ex arteria obſtructa in poroſas partes penetrare non poſſet, & ſic in certis ramulis hærere deberet, quoniam ob nouum perpetuumque adpulſum a tergo, omnis retrocedendi ſublata eſſet libertas. Inde vero creberrimæ ſtaſes & corruptiones inflammatoriæ ac ſphaceloſæ orirentur; quas tamen rariores eſſe nouimus.

(5) De *venis* itidem clarum eſt, quod iſtæ nullo pæne modo obſtrui poſſint. Nam

(a) Sanguis, qui in venas intrat, prius fuit in minimis arteriolis; ſi vero has penetrauit, in illis multo expeditius refluet vlterius, quia e minimis in maiora vaſa facillimus eſſe ſolet progreſſus.

b) In orificiis ſpeciatim eſſe nequit obſtructio, alias ſanguis per illa erumpere non poſſet.

c) In maioribus autem vaſorum ramis, qua ratione fieri & poſt celebratam hæmorrhagiam tolli iterum poſſet, ne mente quidem concipere nedum ſerio affirmare licebit.

3) *Tranſudatio* tertium figmentum eſt, ab illis fundamenti loco habitum, qui acrimoniæ & obſtructionis vaſorum futilitatem perſpexerunt. Per tranſudationem vero e.g. hæmorrhagiam narium ita fieri ſtatuunt, vt ſanguis nimium reſolutus & valde ſubtilis vaſculorum poros penetrare verumque

rumque profluuium producere poſſit. Verum enim vero vanam & hanc eſſe adſertionem, oſtendit

(1) Sanguinis ſiue ſponte excreti, ſiue per artem educti conſiſtentia ſpiſſiuſcula & gelatinoſa, quam paſſim a Medicis ein geſundes und ſubſtantiöſes Geblüt nominari audias.

(2) Sanguinem tantopere reſolutum, vt etiam per membranas venarum tranſudare poſſet, illico fermenteſcens tanta exciperet diſſolutio, cum qua nec vita nec ſanitas vllo modo conſiſteret.

(3) Nemo horum Pathologorum definire valet, quidnam illud ſit, quod in tanta reſolutione hæmorrhagiis modum, menſuram & quaſi limites ponat, vt ſponte poſt aliquam ſuperflui ſanguinis portionem emiſſam iterum ceſſent, cum neceſſario tamdiu durare deberent, quamdiu præſto eſſet reſolutio. Et ſi poſt hæmorrhagias demum coagulari ſanguinem dicant, quis quæſo fiendi erit modus & quomodo illum demonſtrabunt?

(4) Praeterea conſtat ex phyſiologicis, materiam, nutriendo corpori humano deſtinatam, non eſſe aquoſam, ſed lymphaticam, paullulum ſpiſſam & gelatinoſam. Si vero hæmorrhagiarum ſubiecta tam valde reſolutum haberent ſanguinem, tum neque commode nutriri, neque ſani eſſe poſſent. Sed contrarium in aprico eſt.

4) *Aequilibrium* ergo in auxilium vocatum eſt ab aliis, poſtquam prudenter obſeruaſſent, quod ficulneis reliquorum fundamentis, ex mechanica & phyſiologia tam facile conuellandis, nihil ſolidi inædificari poſſet. Atque hi contendunt, hæmorrhagias tum fieri, cum circulationis æquilibrium ſublatum ſit. Quia vero tale æquilibrium, ſanguis in tam diuerſis vaſis contentus non exhibet, ad illud prouocare incongruum eſt. Nam ſanguinis motus non ab eius grauitate, ſed a tonico ſyſtaltica cordis conſtrictione & mutuo motus tonici adiumento dependet.

5) Omnium tandem harum fictionum pertæſi recentiores, acriter

acriter paſſim inuehuntur in easdem, ſollicita mente interim cogitantes de tali hæmorrhagiarum cauſſa, quæ ad omnes ſpecies non modo commode adplicari, ſed ad veritatem etiam accedere propius poſſet. Et hanc eſſe credunt *motum ab extra ad intus conuerſum: vnde circulationis inæqualitas, & ex hac hæmorrhagiæ* oriantur. Putant nimirum, partes externas fibrarum contractione ita reddi anguſtas, vt ſanguis per venas refluere nequeat, ſed ad alia inconuenientia loca transferatur; ac tum quidem lateralia arteriolarum vaſa, quæ ordinarie non ſanguinem ſtricte talem, ſed tantum tenuem lymphaticum humorem vehunt, neceſſario diſtendi & tandem aperiri debere. Cum vero periodica & menſtruatim recurrens circulationis inæqualitas rationibus ſolidis demonſtrari nequeat, nihil ponderis eidem ineſſe per ſe iam liquet.

6. Sed aliena relinquentes dicimus, quod
  1) *Cauſſa materialis* hæmorrhagiarum
    (1) *remotior* ſit ætas, cuilibet ſpeciei illarum ſeorſum apta.
    (2) *propinquior* plethora, non quidem ſimpliciter talis, ſed per varios modos commota; alias omnes plethorici hæmorrhagias paterentur, quod tamen non contingit.
  2) *Cauſſa formalis* eſt ſanguinis abundantis ad loca hæmorrhagica maior per motum tonicum reſtrictio: vnde vaſorum inflatio, diſtenſio & perruptio.
  3) *Cauſſa efficiens* eſt ipſa natura, quæ omnes motus in corpore ſuſcitat, moderator & continuat.
  4) *Cauſſa finalis* eſt plerumque ſuperflui ſanguinis imminutio, vt ſanitas illibata conſeruari & varii morbi auerti posſint.
  5) Atque hæc generalis ætiologia facile nunc adplicari poteſt ad ſpecialem *narium hæmorrhagiam.*

7. *Hæmoptyſeos*
  1) *Cauſſa materialis*
    (1) *remota* eſt ætas iuuenilis, ordinarie intra annum XVIII-XXV conſtituta. Iuuenibus enim, obſeruante *Hippocrate*, eueniunt ſanguinis ſpuitiones *Aphoriſ. 29. ſect. 3.*

N (2) *pro-*

(2) *propinqua* eſt plethora. Qui enim hæmoptyſin patiuntur, neque tamen plethoram, neque ætatem conſpirantes habent, illi per externam violentiam in hoc malum coniecti ſunt, & paſſiue ſanguinem e pulmone excernunt.

(3) *proxima* eſt ruptio vaſculi ſanguiferi vel vnius vel plurium.

2) *Cauſſa formalis* eſt ſanguinis vberior in pectus, pulmonem & aſperam arteriam directio, congeſtio, reſtrictio & in iisdem locis retentio; vnde vaſorum nimia diſtenſio & inflatio, quæ accedente motu ſiue voluntario ſiue tusſiente ſubtilia vaſcula ad crepaturam ſollicitat & ſic ſanguinis profluuium producit.

3) *Cauſſa efficiens* eſt principium vitale, quod bona quidem intentione hic operatur, ſed quia in *viis* errat, tum per hæmorrhagiam hanc ominoſis euentibus anſam porrigit. Iam liceat ſpeciatim ſubiungere Medicorum placita, de quibus ſupra generatim expoſuimus. Sic ſuperioribus ſæculis præcipue accuſarunt

(1) *Salium acrimoniam*,

(2) *Efferueſcentiam* & *rarefactionem*, ita quidem, vt ſal duplex, acidum & alcali volatile, ſuo concurſu, actione & reactione, reliquas particulas per motum inteſtinum nimis commoueat. Vnde impetuoſæ efferuescentiæ, vehementes tempeſtates, tumentes inundationes ac vortices contingant, & ſanguis, velut procelloſum æquor, præſcriptos fines tranſiliat, venarum arteriarumque fibroſam texturam in pulmonibus teneram ſoluat, diuellat & ſic hæmoptyſin prouocet.

(3) Recente autem æuo, ſpretis eiusmodi fabellis, *inæquali ſanguinis circulo* & quidquid eum inæqualem reddere poteſt, hæmoptyſis adſcribitur. Huc refertur

a) *motus* partium ſulphurearum aëreo-ætherearum inteſtinus, expandens, a quo potentia ſyſtaltica & elaſtica in vaſis minuatur; vnde ſtagnatio & ruptura contingat.

b) *ſtri-*

b) *ſtricturæ* partium internarum & externarum ſpaſticæ.

c) *Obſtructio* vel infarctus viſceris alicuius; quoniam vi legum hydraulicarum, intercepto alicubi libero ſanguinis per vaſa tranſitu, impetus eius creſcat, & vbi minorem reſiſtentiam inueniat, copioſe confluat, & vaſa tandem perrumpat. Cum vero de mere paſſiuis cauſſis ſupra iam actum ſit, illis non immorabimur.

4) *Cauſſa finalis* ſæpe quidem ſimplex ſuperflui ſanguinis depletio eſt: non raro autem natura aliarum euacuationum conſuetarum & ſuppreſſarum defectum ſupplere contendit, id quod euidenter patet in illis grauidis, quæ durante grauiditate menſtruas patiuntur hæmoptyſes, & hæmorrhoidariis poſt talis fluxus ſuppreſſionem idem ſæpe contingit.

5) *Cauſſæ procatarcticæ* variæ ſe offerunt, v. g.

(1) immoderata animi excandeſcentia.

(2) Motus corporis vehemens, æſtuoſus, inſuetus, vt ſunt fortiores curſitationes, ſaltationes, colluctationes, prolixæ declamationes. Hinc olim laniſtas & athletas, hodie autem pro concione dicentes ſæpe hæmoptyſi tentatos nouimus.

(3) Referri huc debent ponderum cum ſpiritus retentione eleuationes, inebriationes, aliquando laborioſæ tuſſes aut vomitiones.

(4) Diæta vinoſa, tempeſtas calida.

8. *Vomitus cruenti*

1) *Cauſſa materialis*

(1) *remota* eſt ſanguineæ excretionis per reliquas venæ portæ propagines, maxime ob ſpiſſitudinem, impeditus ſucceſſus. Hinc hæmorrhoidibus & menſtruis vel parce fluentibus, vel plane ſuppreſſis, hic vomitus veſtigia legit.

(2) *Cauſſa proxima* eſt vaſis diſruptio.

2) *Cauſſa formalis* eſt ſanguinis hypochondriaci ab aliis venæ portæ ramificationibus, tonice conſtrictis, ad venæ ſpleni-

cæ extremitates ſeu vaſa breuia reſtrictio, detentio & reſtagnatio. Quo arctius autem alii venæ portæ rami ſtringuntur, eo magis reliqua moles ſanguinis in ſplenicum ramum incumbit, quæ facta prius tenerioris vaſculi perruptione & inſequente ſanguinis in ventriculum ſtillicidio per proximam viam reiicitur.

3) *Cauſſa efficiens* ſecundum quidem placita vulgaria ex ante dictis nota eſt, quare ſalſæ pathologiæ fercula ſæpius adponere non eſt animus, ne nauſeam excitemus legentibus. Quæ autem vera ſit huius vomitus *cauſſa efficiens*, ex antecedentibus cauſſis, præcipue ex formali facile concludere licebit, quod ſit aliquod principium, rationaliter & finaliter agens.

4) *Cauſſa finalis* eſt moleſti ſanguinis, cui per alia excretoria exitus denegatur, imminutio, ne abundantia ſua multis modis ſanitatem vitiet.

5) *Cauſſæ procatarcticæ*

(1) *internæ:* tacita iracundia, terror, hæmorrhoidum & menſium repentina ſuppreſſio.

(2) *externæ:* emetica fortiora, lapſus, contuſiones, compreſſiones abdominis violentæ; quæ tamen minori potentia agunt, quam internæ.

9. *Hæmorrhoidalis fluxus*

1) *Cauſſa materialis* itidem eſt plethora.

2) *Cauſſa formalis* eſt ſanguinis ad venas hæmorrhoidales tam internas, quam externas reſtrictio, quæ vaſa turgida reddendo anſam præbet, vt ſub deſidendi conatibus vena perrumpatur & aliquam ſanguinis quantitatem dimittat.

3) *Cauſſa efficiens* eſt prouida natura, quæ humoribus, ſanitati moleſtis, ſemper inuigilat, & per varia excretoria illos exprimere ſtudet.

4) *Cauſſa finalis* eſt plethoræ & ſpeciatim ſanguinis venam portæ adgrauantis, imminutio & ſanitatis a pluribus malis præſeruatio.

5) *Cauſſæ occaſionales.*

(1) Adſuetudo & diſpoſitio hæreditaria.

(2) Aliarum euacuationum naturalium per ætatis rationem aut alias cauſſas fortuitas ceſſatio, aut vero artificialium neglectus.

(3) Spirituoſorum, aromatum, aloëticorum & aliorum calidorum abuſus.

(4) Vita ſedentaria, ſub qua, compreſſo abdomine, truncum venæ portæ, qui pone ventriculum ad hepar adſcendit, premendo coarctant, adeoque libero ſanguinis tranſitui obicem ponunt, & copioſiori reſtitationi, ſpiſſitudini ac vaſorum diſtenſioni anſam præbent: vnde alias quærere vias ſollicitatur natura. *Conf. Stahlii diſſ. de hæmorrhoidum internar. motu & ileo hæmatite Hippocr. cap. IV.*

(5) Reliqui corporis in virili ætate maior firmitas & partium, per quas, teneriore adhuc ſtructura, promtior perruptio patere potuerat, notabilis denſitas, leniores alias & tacitas expreſſiones interuertens.

(6) Pertinax alui obſtructio, tempeſtas calida, animi pathemata & refrigerationes quando in ſubiectis, ad hanc excretionem diſpoſitis, concurrunt, ſuam quoque congerunt ſymbolam.

10. *Mictus cruenti*

1) *Cauſſa materialis*

(1) *remota* eſt abundantia ſanguinis

(2) *propinqua*, ſanguinis per hæmorrhoides excernendi a natura minus congrue ad renes facta translatio.

(3) *proxima* eſt vaſculi venoſi in renibus, interdum in veſica, disruptio.

2) *Cauſſa formalis* eſt ſanguinis abundantis ex iſchiadicis venis ad emulgentes vberior congeſtio & reſtrictio, qua facta, vaſa diſtenduntur, ac facile rumpuntur.

3) *Cauſſa efficiens* mictus cruenti ſpontanei & tacite prorum-

pentis eſt eadem, quam in præcedentibus iam explicatam dedimus. Tritam vero fictamque aliorum acrimoniam fermentatiuam attingere abſtinemus.

4) *Cauſſa finalis* eſt bona quidam intentione, ſed per inſolitas prorſus vias ſuſcepta excretio vicaria.

5) *Cauſſæ procatarcticæ.*

(1) Animi pathemata.

(2) Veneris abuſus.

(3) Diæta vinoſa, aromatica.

(4) Euacuationum naturalium defectus & artificialium neglectus.

(5) Equitatio vehemens & diuturna.

(6) Lapſus & ictus in regionem lumbarem, multa ac dura verbera.

(7) Calculi, renes & vreteres lædentes & exulcerantes.

(8) Diureticorum fortiorum improuida adplicatio & abuſus.

II. *Menſtrui fluxus*

1) *Cauſſa materialis*

(1) *remota* eſt plethora, iunioribus feminis ſpeciatim familiaris.

(2) *propinqua* eſt maior ſanguinis verſus vterum collecta quantitas, quæ fœtus nutriendi cauſſa a natura eo dirigitur.

2) *Cauſſa formalis* ſunt motus illi tonico-ſpaſtici, qui ſanguinem a peripheria ad vterum cogunt & per continuata molimina congeſtoria & propreſſoria venarum hypogaſtricarum & hæmorrhoidalium propagines diſtendunt ac perrumpunt, vt ſanguis per genitalia tranquille effluat.

3) *Cauſſa efficiens* quibusdam videtur

(1) *Plethora*, cui menſtruam talem euacuationem intrepide adſcribunt. Sed huic adſerto ſequentia obſtant:

a) Minus plethoricæ, & quæ mendicando ſæpe victum parare ſibi coguntur, eumdem fluxum æque ac diuites, plethora vere adgrauatæ, patiuntur.

b) Aliæ

b) Aliæ iterum valde plethoricæ aut obſtructum hunc fluxum aut ſuppreſſum adcuſant.

c) Tandem laborioſæ promtius & largius hanc excretionem experiuntur, quam otioſæ; vnde hoc de plethora placitum admodum conuellitur: Secundum iſtud enim laborioſis, vtpote per frequentem corporis motum ſanguinem quotidie conſumentibus parcius, otioſis vero multo largius fluere deberent menſes.

(2) *Influxus lunæ* magis placuit aliis. Et hi per principii petitionem adſtruunt, quod ſicuti luna fluxum & refluxum maris concitet: ita & in muliebri corpore ſuperflui ſanguinis expulſionem producat. Sed

a) Nemo ſolidis rationibus demonſtrare valuit, qui fiat, vt luna mulierum corpora potius, quam virorum ſub certis phaſibus tam inſigniter adficiat ac alteret.

b) Si etiam per fictionem hoc muliebri corpori concederetur, neutiquam tamen explicari poſſet fiendi modus, quo luna in corpus influat & menſtruatim alteret. Sed falſitatem prodit, quod multas feminas purgari ſciamus non ad lunæ phaſes, ſed ad menſtruam viginti octo dierum menſuram. Tacemus promiſcuam huius hæmorrhagiæ excretionem in pluribus obſeruandam.

c) Porro ſtante hac opinione, omnes eiusdem ætatis femellæ in vno eodemque climate habitantes, ſub eadem phaſi lunari purgari deberent, quod tamen ſuppoſitum per experientiam refutatur.

(3) *Fermentum* ſpeciale, vtero proprium & domeſticum, finxerunt alii; quod nempe per viginti, & quod excurrit, dies otioſe in vtero ſtertat, debito autem tempore euigilet, efferueſcat & particulas, ad maturitatem & turgeſcentiam deductas, excretioni paret, extremitates vaſorum irritando, concutiendo, oſcula aperiendo & verum fluxum inducendo. Verum & hanc fermentantem chimæram refellere nullius negotii res eſt. Nam

a) Demonſtrari nequit, vnde fermentum hoc circa annos pubertatis oriatur.

b) Vbi

b) Vbi antea delituerit, aut quomodo generatum ſit.

c) Quid cauſſæ ſit, vt in his decimo quarto, in aliis vero poſt viceſimum demum annum in actum deducatur, in quibusdam vero numquam plane ſe exſerat, ſine ſterilitatis incommodo.

d) Cur in nonnullis per menſem bis efferueſcat.

e) Per quod medium quouis menſe excitetur.

f) Quo ſe recondat finita menſtrua purgatione & grauiditatis ac lactationis tempore.

g) Vtrum quouis menſe de nouo generetur, vel ſemel generatum in vtero ſemper duret.

h) Vtrum in menſium ſuppreſſione morbum quoque patiatur, aut penitus aufugiat.

(4) Sed *tardior ſanguinis progreſſus in feminis, languidior perſpiratio & ſanguinis ſuperfiui coaceruatio*, ceu plethoræ fundamentum, a recentioribus præfertur omnibus iam recenſitis placitis; & ſecundum hoc adſertum requiritur:

a) Certa ſnguinis abundantis menſura, ad efficiendam eruptionem per vteri vaſa.

b) Certa temporis periodus ad colligendam hanc copiam; vt ſi collecta fuerit, quanta ad concitandum ſpaſmum & vteri vaſa perrumpenda ſuffecerit quantitas, perruptio ſequatur. Cum vero viginti & octo dies ad id requiri experientia doceat: tum nec citius, nec tardius illa contingere poſſet.

(5) Verum enim vero, & iſti ſenſim eo prolabuntur, quo plethoræ patroni ſe abripi paſſi ſunt. Et nihil durius omnique fundamento magis deſtitutum adferri poteſt, quam

a) Materiæ ſpaſmorum concitationem & vaſorum periodicam perruptionem adtribuere.

b) Omnibus ſine diſcrimine æqualem ſuperflui ſanguinis copiam, intra menſem collectam, vindicare. Si enim verum eſt de laborioſis; de otioſis ſtatuendum, quod

quod potius *bis*, immo *quater* hunc fluxum pati deberent, quia ſub otio & lauta diæta quadruplo maiorem copiam plethoræ adcumulant, quam aliæ, quæ laboribus vacant.

(6) Rectius autem adſeritur, *cauſſam efficientem* eſſe idem illud principium rationale, quod ad fœtum quidem nutriendum ſanguinem copioſius verſus vterum dirigit; ſi vero intentione illa exciderit, vti extra grauiditatem fieri ſolet, tum abundantes humores per menſtruam profuſionem imminuit.

(7) Ceterum *Stahlius* vero ſimile iudicat, excretionem hanc menſtruam aliquid *critici* fouere. *Conf. eius programma de fluxus muliebris quatenus menſtrui cauſſa.*

4) *Cauſſa finalis* eſt ſanitas, quam natura ſanguinis ſuperflui ſubtractione obtinere & hoc ipſo multa grauiora mala auertere ſtudet.

12. *Lochiorum*

1) *Cauſſa materialis*

(1) *remota* eſt plethora, durante grauiditate aucta.

(2) *propinqua,* partus.

(3) *proxima,* tot vaſorum ſub ſecundinarum ſeceſſione diſruptio.

2) *Cauſſa formalis* eſt abundantis ſanguinis vberior poſt partum ad vterum collectio & cooperantibus moliminibus ſpaſticis per vaſcula iam aperta excretio.

3) *Cauſſa efficiens* eſt principium agens, quod per labores partus ad commouendum, & quod corpori noxium eſſe poſſet, vlterius emouendum, excitatum eſt. Vnde huius fluxus initium quidem paſſiuis cauſſis innititur, vlterior autem illius directio actiue explicanda eſt; id quod variæ circumſtantiæ comprobant, v. g.

(1) Continuatio iſtius fluxus per plures dies, quæ aliis vulnerationibus minus ſolemnis eſt.

(2) Coloris & conſiſtentiæ mutatio. Primis enim diebus ſanguis grumoſus, deinde tenuis & leuiter rubicundo

colore infectus ſuccedit : tandem vero ſeroſus latex ſubſequitur & fluxionis finem facit.

(3) Si paſſiua eſſet lochiorum excretio, maturius multo ceſſaret, quia vtero ſubſidente, orificia quoque vaſorum hiantia & manantia per ſtricturas & corrugationes illico comprimerentur ipſamque lochialem hæmorrhagiam breui ſiſterent.

(4) Nulla plane eſt proportio inter quantitatem ſuperflui excreti & læſionem ſubtilium vaſculorum, quorum *pars quædam* ſolummodo in extremitatibus minus profunde læſa eſt ; nihilo tamen minus tam notabilis excernitur ſanguinis & humoris ſeroſi copia, quod non fieret, ſi actiua non ſubeſſet excuſſio. Vt alterationes patheticas non vrgeamus, quibus hic fluxus contra morem paſſiuarum hæmorrhagiarum facile ſupprimitur.

4) *Cauſſa finalis* eſt plethoræ imminutio & vteri ſufficiens expurgatio.

13. *Varicum manantium* cauſſas diſtincte cognoſcere licet ex illis, quæ ſub hæmorrhoidalis fluxus ſubiectis ſupra commentati ſumus, quare noua repetitione ſuperſedemus.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Hæmorrhagiarum negotium ad dignitatem a recentioribus Medicis non pertractatur. Vnde plura inuenias in antiquorum, quam illorum monumentis, qui ſæculo XVI & XVII. de hæmorrhagiis commentati ſunt. Qui neglectus effecit, vt contra veterum obſeruationes, hæmorrhagiæ naturales tamquam malum conſideratæ, &, exceptis catameniorum lochiorumque fluxibus ſtudio ſuppreſſæ ſint.

2. Anſam autem, hæmorrhagias tam peruerſe tractandi, dederunt putatitiæ illæ cauſſæ acres, fermenteſcentes, obſtruentes, rarefacientes, quas dum tollere in hæmorrhagiarum curatione adlaborant, hæmorrhagias ſalutares vehementer perturbant, atque hinc therapiæ ſuæ finem non raro infauſtum experiuntur.

3. A

3. A quo vero *Stahlius* hæmorrhagiarum cauſſam agere ac plerarumque ſalubritatem in œconomia vitali ſecundum naturæ intentionem finalem demonſtrare ſuſcepit; aliam longe faciem indepta eſt iſthæc doctrina. Nam

1) Medici, alias parum de hoc momento ſolliciti, earum vtilitatem magis animaduertere; fictas cauſſas perſpicere & de aliis cogitare cœperunt.

2) Plures, *Stahlii* veſtigia prementes, eamdem doctrinam non modo commentationibus illuſtrarunt, ſed multis quoque obſeruationibus practicis locupletarunt.

4. Potiora igitur & magis profutura cum tironibus communicanda duximus; eo ordine obſeruato, quo in ſignorum ſubiectorum & cauſſarum recenſione iam ante vſi ſumus.

5. *De hæmorrhagiis generatim* notandum, quod naturales per initia, antequam adſuetudine inſoleſcant, plerumque moderatæ ſint: ita quidem, vt placidiſſime fluant, neque quantitate, quæ vnica continua fluxione emittitur, facile excedant. Quæ ſine peculiari ſenſu cœperunt, illæ etiam ſponte ac tacite iterum deſinunt.

6. Notatu porro dignum eſt, quod inſignis alteratio, nedum debilitatio, ſubſequi non ſoleat hæmorrhagias ſpontaneas, etiamſi multum ſanguinis excernatur; modo illud repentino impetu non fiat; poſt hæmorrhagias autem paſſiuas & artificiales de debilitate querelas non raro audire licet.

7. Nec prætermittendæ ſunt illæ circumſtantiæ, quæ naturalibus ſanguinis excretionibus familiares ſunt. Nimirum

1) Quædam obſeruata temporis menſura reuertuntur.

2) Quo magis ſtatis adſueſcere ſolent periodis, eo moderatius ſuccedunt.

3) Statæ periodi redeundi & certam quantitatem excernendi a materialibus turbis non valde alterantur, ab animi autem pathematibus perquam promte illas mutari experientia edocemur.

4) Sed licet earum ſucceſſus a quapiam indicatarum cauſſarum

rum mutetur : manet tamen adſuetæ periodi obſeruatio, quæ per varia molimina ſe prodit.

8. Qui hæmorrhagias moderatas, faciles & ſtatas experiuntur, illi a pluribus morbidis pathematibus immunes, immo verius alieni viuunt. Præterea ſi aliis incommodis ſanitati moleſtis hæmorrhagiæ ſuperueniunt ſtatisque periodis redire continuant; tunc & illa mitigantur placideque tolluntur.

9. Quibus ægris morbi ex ſupreſſis hæmorrhagiis accedunt & recedunt, illi minus periculoſis minusque turbulentis aliis morborum generibus laborant & facilius pariter emergunt, ac generatim viuaciores exſiſtunt, quam alii, qui hæmorrhagiis minus adſueti ſunt.

10. Quemadmodum vero hæmorrhagiæ periodicæ, adſuetæ, & in locis congruis erumpentes, variam vtilitatem habent: ita impedite ſuccedentes, aut per incongrua artificia male tractatæ & ſuppreſſæ, longe grauiora mala poſt ſe trahunt: natura enim, nihil mitigata, a contentioſis ſuis moliminibus non facile ceſſat, ſed potius intentionem, quam per conſuetudinem, quæ omnis directionis motuum tyrannus eſt, confirmatam habet, tanto pertinacius proſequitur.

11. Rationi phyſiologicæ conſonum eſt, quod ſanguinis, nimium abundantis, depletiones neceſſariæ ſint, & occaſionem ſubtrahant grauiorum periculorum, reſtagnationum, ſtaſium, inflammationum, abſceſſionum aut ipſius ſphaceli. Cum hic facilius ſit cauſſæ actiua præoccupatio & euitatio, quam mali effectus otioſa exſpectatio & anceps expugnatio. Quos ceterum effectus directos *Stahlius* prolixe enarrat, illos vide in *theoria p. 715.*

12. Inſuper obſeruandum, quod ſecundum naturæ agentis intentionem omnes hæmorrhagiæ ſalutarem finem quidem reſpiciant, ſed ſæpe minus ſalutares ac valde ominoſæ euadant, ob excretoria parum circumſpecte electa; quod ipſæ ſanguinis excretiones per pulmones, ventriculum & vias vrinarias ſuſceptæ ſatis comprobant. Ob aliquos tamen naturæ errores vniuerſum hæmorrhagiarum negotium damnare velle, iniquum eſſet iudicium.

13. Si

13. Si præterea cauſſæ hæmorrhagiarum præſto ſunt, ipſæ vero actu non ſuccedunt; tunc euentus, ipſis hæmorrhagiis quouis reſpectu grauiores, ſequuntur: congeſtiones nimirum, dolores, æſtuationes, inflammationes, ſuppurationes, ſphacelationes, ſpaſmi, palpitationes, conuulſiones, febres diuerſæ indolis & dubii ſæpe exitus. Male autem ſuccedentis hæmorrhagiæ conſectaria ſatis moleſta recenſuit *Stahlius in Pathologia p. 716.* quo breuitatis cauſſa remittimus.

14. Simpliciſſima igitur methodus & via maxime commoda eſt, ſanguinem per ſinceram euacuationem imminuendi, ſoluta vnitate extremorum vaſculorum in locis nihil periculi portendentibus. Hac enim ratione cito & ſufficiens excerni poterit ſanguinis copia, qui alias non niſi in ſerum reſolutus, lentis ſucceſſibus ſubtraheretur.

15. Vti ceterum nulla neceſſitas ſimpliciter phyſica hæmorrhagiæ actum producere valet: ita moralis potius vtilitas easdem directe vtiles imo neceſſarias reddit. Et dum natura præſeruandi gratia eas ſuſcipit, damna illa aufert, quæ ab eius intermiſſione corpori alias imminent.

16. *De hæmorrhagia narium* obſeruandum commendamus, quod plethora commota tam materiam, quam occaſionem ad illas ſuppeditet, vt non tantum vere cooriantur, ſed magis vel minus ſtatæ fiant. Interim non ſub ipſis ſtatim commotioribus ex auctiori motu inteſtino turgefactoriis, ſanguis exprimitur, ſed tum demum, cum impetus ille euidenter ſubſedit, quod in diſpoſitis & ebrietati deditis euenire videmus, vtpote in quibus altero, poſt crapulam excuſſam, die ſanguis ſtillare ſolet e naribus.

17. Et quamuis regulariter pueri & adoleſcentes narium hæmorrhagiis expoſiti ſint: tamen multa harum ætatum ſubiecta plethorica hæmorrhagias non patiuntur, niſi vel peculiaris diſpoſitio hæreditaria, vel adſuetudo fortesque commotiones plethoræ acceſſerint.

18. Attendi quoque illa meretur circumſtantia, quod, vti externæ violentiæ etiam leuiori gradu nares ferientes, ad ſanguinis promtum profluuium diſponere poſſint: ita ſub ple-

thorica conſtitutione, datis etiam aliis internis occaſionibus, eumdem exitum natura adfectet. Et licet non adſequatur: ſedulo tamen molitur & aliis incommodis moleſtam ſcenam inſtruit. Cuius generis ſunt laſſitudo, grauatiuæ tenſiones, vertigines, congeſtiones, & ex his pullulantes vaſorum inflationes, oculorum rubores, ophthalmiæ, capitis dolores tenſorii, pulſorii, æſtuoſi, cum oculorum dolore plane ſingulari, qui bulbi ocularis intima adficit & ægros liberioris lucis impatientes reddit.

19. Hæmorrhagiæ narium ſi ætatibus, iuuenili, virili & ſequentibus eueniunt, tunc id fieri ſolet, vel

1) ob diuturnam vnius loci adſuetudinem, vel

2) per palindromen. Cum nimirum ſubiecta primis ætatibus narium hæmorrhagiæ adſueta, alias poſthac ſanguinis excretiones experta ſint, quæ ſi minus ex voto ſuccedant, tum talis contingit recurſus ad antiquum & ordine primum emunctorium, quemadmodum ſub menſium & hæmorrhoidum ataxiis ſæpius obſeruare licet. *Conf. Stahlius de conſulta hæmorrhagiarum vtilitate.*

20. Hæmorrhagiæ narium criticæ, quando ambitu temporis ad horas vſque exquiſito largiter profluunt, tunc vniuerſalis euphoria ſequi ſolet, cum totius febrilis impetus ſedatione. Quando autem debito quidem tempore, ſed inſufficiente quantitate ſuccedit, ſalutarem febris mitigationem non præſtat. Et quanto magis ab hac liberali & larga fluxione deflectit, eo peius cedit totum negotium, circa vlteriorem motuum ſucceſſum proportionate inſtruendum.

21. Tandem notandum, quod ſecundum vulgarem opinionem, hæmorrhagia narium pro re præternaturali habeatur, qua omnino tamquam magis noxia quam vtili carere poſſimus. Sed hi non ſollicite diſtinguunt commoda hæmorrhagiæ bene ſuccedentis a moleſtiis, quæ impeditum eius exitum ſubſequi ſolent, alias & menſes & lochia damnare deberemus. *Conf. Io. Fr. Depre diſſ. de Hæmorrhagiis naturalibus iuxta intentionem naturæ prudentia med. dirigendis Erford. 1725.*

22. *De Hæmoptyſi* conſtat, eam rarius multo contingere, quam

narium

narium hæmorrhagiam, eamque ſæpius a cauſſis internis, quam violentis externis ita fieri, veluti ex ſubiectorum & cauſſarum recenſione perſpicere licet.

23. Raro autem euenire hanc hæmorrhagiæ ſpeciem merito adfirmamus, quia e numeroſiſſima hominum multitudine *paucioribus*, & his ipſis per totam vitam paucis breuibusque inſultibus: vtut pulmonis habitus & texturæ teneritudo præ reliquis ad hanc excretionem diſponere videatur.

24. De *tuſſi*, quam paſſim cauſſis hæmoptyſeos adnumerant, experientia teſte nouimus, quod plurimi, qui vehementer illa laborant, hæmoptyſin nequaquam incurrant, etſi circumſtantes eamdem ſæpe ominari velint.

25. Niſus autem corporis fortiores, tollendorum onerum cauſſa ſuſcepti, ſanguinis expreſſionem per pulmones ſubinde prouocant: et hoc non tam per ſpiritus diuturniorem retentionem, quam per repentinam eius eliſionem. Sanguis enim in arteriam pulmonalem adactus & relaxata huiusmodi contentione in vaſa ſubito irrumpens, vero ſimilius talem perruptionem producere valet.

26. Hæmoptyſis præterea, licet reſpectu generali, tamquam ſimplex ſanguinis exoneratio conſiderata, & plethoricæ conſtitutioni ſubueniens, ceu vtilis pronunciari poſſit: tamen ratione fabricæ pulmonis, qui ob continuum reſpirationis actum, imprimendarum ſtaſium valde capax, & corruptioni tenerrimæque texturæ colliquationi obnoxius eſt, non modo inutilis, ſed vere erronea, morbida & periculoſa haberi debet.

27. Bene quidem ſuccedere dicitur hæmoptyſis, ſi
1) ſanguis facile,
2) citra nimis prodigam eius iacturam, egeſtus fuerit, &
3) tranquille iterum ceſſet, neque notabilem ac diuturnam tuſſim poſt ſe relinquat, neque
4) de nouo reuertatur. Atque ex his eluceſcit, quænam hæmoptyſis male ſuccedens audiat.

28. Sed licet ſecundum poſitas conditiones ceſſerit hæmoptyſis: tamen

tamen ne ſic quidem periculo caret ſucceſſuræ ſanguinis extrauaſati detentionis, qui vna cum parte, eum continente, vlceroſæ corruptioni & phthiſi proxime ſubiacet.

29. Ceterum diffitendum non eſt, quod defectum hæmoptyſeos quædam ſequi ſoleant mala.

1) Quando enim non omnis extrauaſatus ſanguis funditus e pulmonibus euacuatur, tum intra ſubtiles veſiculas obhæreſcens corruptionem inuitat.

2) Molimina hæmoptyica, ad ſinceram eruptionem non pertingentia, facile producunt aſthmata ſpuria, peripneumonias, anginas & interdum phthiſes.

30. Horum itaque reſpectu, excretio expeditiſſime actu ſuccedens minoris omnino periculi cenſetur, quam grauia illa conſectaria, quæ pertinacia molimina hæmoptyica ſequi ſolent.

31. Longe tamen optimum & ſanitati conducentiſſimum eſt, ſi aliis quibuslibet ſanguinis ventilationibus, ſiue naturalibus, ſiue artificialibus, hæc tam ominoſa hæmorrhagiæ ſpecies mature poſſit præoccupari.

32. *De Vomitu cruento* pridem obſeruatum eſt, quod hæc ſanguinis excretio ipſa hæmoptyſi rarior ſit.

33. Semel autem atque iterum ſuccedens perquam facile recurrere ſolet, in illis præcipue, in quibus negotium menſtruæ exonerationis adhuc viget. Et hiſce adnumeramus etiam illas, quæ ſtatum menſium fluxum non experiuntur, cauſſam vero tam neceſſariæ excretionis in corpore ſuo fouent.

34. Vomitus iſte in ſubiectis feminini ſexus promtius euadere ſolet *periodicus*, quam in viris, & in his plerumque maius periculum portendit, quam in illis. In quocumque vero ſexu ita ſemel inſoleſcit, vt frequente & copioſa eruptione excedat, in illo, ſub adſtringentium maxime abuſu, facile cachexiam, hydropem, hecticam, colicas conuulſiuas aliaque ſpaſtico conuulſiua pathemata poſt ſe trahit.

35. Aliquid tamen difficultatis habere videtur iſta ſanguinis per ventriculum excretio, ſiquidem curſus eius, a partibus per venas

venas refluus, eidem minus fauere animaduertitur. Verum ſi conſideremus valuularum in vena portæ abſentiam, & copioſiorem reſtagnationem, quam ſtrictura tonica, ipſi baſi ſplenico hæmorrhoidalis rami impendens, ſuſtinet, ex ipſo facto rem vtique fieri poſſe perſpicimus.

36. Quod ceterum de hæmoptyſi monuimus *obſ. 26.* id etiam de vomitu cruento maxime valebit.

37. De *Hæmorrhoidibus* adnotaſſe iuuabit, quod tam vniuerſum hoc excretionis negotium, quam ipſæ ſpeciatim venæ, ſanguinem fundentes, dici ſoleant *hæmorrhoides*, & quidem

1) *internæ*, quæ venæ portæ eiusque rami dextri, interdum & ſiniſtri, propagines ſunt, ac profundius intra corpus, inteſtini recti longitudinem ambiunt & perreptant.

2) *externæ*, quæ inteſtini oram & limbum, quatenus cuti connexus eſt, percurſant, & venæ cauæ, ſeu curatius determinando, venæ iliacæ & huius rami *interni*, qui & hypogaſtricus dicitur, ſoboles exſiſtunt.

38. Veteribus ſolæ hæmorrhoides internæ fuerunt cognitæ; per experientiam tamen & illud innotuit, quod exitus fluxus hæmorrhoidalis ſubinde magis extrinſecus & velut per ſuperficiem inteſtini recti ſeu eiusdem orificii factus ſit. *Vid. Stahlii diſſ. de motu ſanguinis hæmorrhoidali & hæmorrhoidibus externis.* Recentiore æuo vtrarumque exſiſtentiam demonſtrarunt *Veſalius*, *Laurentius*, *Bartholinus*, *Verheyen* & alii.

39. *Tempus*, quo exoriri ſolent hæmorrhoides, ordinarie iuuentutis eſt periodus; exitum vero ſortitæ exquiſitos ſæpe ſeruant circuitus, ea tamen differentia, vt

1) *internæ* maturius prorumpant,

2) *externæ* autem ſerius, vtpote quæ virilis, interdum vero ſenilis ætatis confinia exſpectant & periodos rariores, ſed ſatis ſtatas formant; ita quidem, vt

(1) *internæ* in viris præcipue menſtruatim ferme profluant,

(2) *externæ* autem tempore verno & autumnali potiſſimum erumpant.

40. *Menſura* pro differentia ſubiectorum & hæmorrhoidum fluentium variat. Sic

1) *internæ* & ſtatæ in primis largius fluunt, & facile ad prodigam euacuationem perueniunt. Sponte autem non facile fluunt, ſed preſſionem ſeu niſum, ſub fæcum excretione adhiberi ſolitum, plerumque præſtolantur. Conf. *Stahlius de hæmorrhoidum internarum motu & ileo hæmatite Hippocratis.*

2) *externæ*, vti rariores periodos habent: ita ob minora vaſa parcius etiam ſanguinem reddunt.

41. *Ratio* autem, cur per indicata loca ſpeciatim hæc fieri ſoleat euacuatio, abſolute ſufficiens dari nequit, niſi quis illam reſpicere vellet occaſionem, quam adparatus genitalis ei præbere videtur. Quam ſententiam confirmant

1) *ſubiecta, malo venereo infecta*, in quibus venereorum inquinamentorum cum locis hæmorrhoidalibus conſpiratio ſatis manifeſta obſeruatur, ſiquidem peculiares circa orificium inteſtini recti vlcerationes experiri coguntur.

2) *Veneris luxurians abuſus*, quem podagram, cum hæmorrhoidali negotio firmiter connexam, promte ſequi ſolere, etiam vulgus nouit.

3) Hoc ipſum magis illuſtrat ortus communis vaſorum membri virilis & hæmorrhoidum externarum a venis iliacis internis.

42. Si porro ætatem conſideremus, qua hæmorrhoides ordinarie erumpunt, eam annorum periodum eſſe obſeruabimus, in qua aliæ excretiones non amplius libere ſuccedunt; & ſicubi conatibus hæmorrhoidalibus euentus minus reſpondeat tum ad priſtina loca, quamuis remotiora, moliminum fit reuerſio.

43. *Effectus* hæmorrhoidum, expedite ſuccedentium, varii ſunt. Nam

1) *generatim* per depletionem ſanguinis abundantis & periculoſe commoti regurgitationes intempeſtiuæ ad alia loca praecauentur.

2) *ſpe-*

2) *ſpeciatim* obtinetur ventilatio impediti progreſſus ſanguinis circa venam portae, & praeoccupantur grauia illa incommoda hypochondriaca, quae ex humorum congeſtionibus & ſuſceptis moliminum motoriorum contentionibus ad perrumpendum ſubnaſcuntur.

44. *Euentus* autem minus proſpere ſuccedentis euacuationis haemorrhoidalis pendent ab eius

1) *exceſſu*, quando maturius iuſto fluere incipit, & diutius continuat, adeoque menſuram excedit & vires labefactat.

2) *defectu*, quando vel

(1) per aetatis rationem & ob manifeſta molimina hæmorrhoides omnino exſpectantur, ad exitum vero non pertingunt; vel

(2) poſt liberum ſui ſucceſſum & iam adſuetam periodicam euacuationem iterum ſupprimuntur, manente interim intentione exonerandi, & pertinaciter continuantibus moliminibus, quæ naturæ ſcopo ſubſeruiunt. Vterque horum defectuum plurima parit incommoda, grauiora tamen poſterior, quam prior. *Conf. conſpect. medicinæ theoretico-pract. tab. XIII. Stahlii theoria p. 756.*

45. Vti ceterum annoſiores in decernendo circumſpecti ſunt, nec facile, niſi præmiſſa deliberatione, opera ſua moliuntur, & ſcopi conſulto propoſiti admodum tenaces obſeruantur: ita in hoc conamine hæmorrhoidario, ad eximios vſus tam efficaci, auſibus ſuis contumacius inſiſtunt & impeditum ſucceſſum minime tolerant, nedum obliuiſcuntur.

46. Interim de iuuenili pariter ætate prætermittendum non eſt, quod ſubiecta, a tentaminibus hæmorrhoidariis repulſa, ad repentinos translationum impetus verſus interiora promtiſſime delabantur, & veras viſcerum inflammationes ſubeant. Quod adnotaſſe iuuabit, vt eo magis innoteſcat, præcipuam hanc eſſe cauſſam, cur iuniores a podagra, cito retroacta, inſequentibus internis inflammationibus, morti ſæpius ſuccumbant, quam ſenes.

47. *De mictu cruento actiuo* quem vtriusque ſexus ſubiecta patiuntur, notandum eſt, quod pluribus viris eueniat, quam

feminis: illi enim eumdem per occaſionales cauſſas ſæpius prouocant.

48. De mictu autem cruento *paſſiuo*, qui in primis a calculo acuto, renes, vreteres & veſicam lædente, prolicitur, experientia conſtat, quod calculoſorum ne viceſimus quisque adlegari poſſit, qui vmquam eum perpeſſus ſit, multo minus frequentem aut periodice redeuntem habuerit.

49. Quam eximie porro hic fluxus conſpiret cum hæmorrhoidibus, vel inde patet, quod in quibusdam ſubiectis illarum ſuppreſſionem paulo poſt excipere ſoleat. Quæ obſeruatio practicos docet, vt ab importunis & repentinis adſtrictionibus ſibi ſedulo caueant, ni malum in peius conuertere velint.

50. Vti enim in pulmone hæmoptyſin, per adſtringentia oppreſſam, vlcerationes ſequi ſcimus: ita id ipſum in renibus accidere certum eſt; id quod ſubcruenta & turbulenta materia, quæ poſt moram in vrina ad fundum ſecedit, & mucum viſcidum ſanguine imbutum, ſeu gelatinam rubicundam refert, ſatis confirmat.

51. Quamuis autem mictus cruentus in non nullis hæmorrhoidum vices explere videatur: tamen vere vtilem eius effectum oſtendere non licet; ob alia pericula, & deteriores euentus, qui plerumque veſtigia huius excretionis premere ſolent. Contumax enim hoc malum eſt, & niſi tempeſtiue miteſcat, aliaque ventilatione prudenter compenſetur, ad quoſuis exceſſus certo propendet.

52. Senes ceterum, quos mictus cruentus corripit, intra pauciores annos e vita ſecedere obſeruantur.

53. *De fluxu menſtruo mulierum* iam antiquitus innotuit, quod ſexui huic adeo proprius ſit, vt ne reliqua quidem animalia, ſi ſimiarum & pauciſſimas canicularum femellas excipiamus, eumdem patiantur.

54. Quam primum ergo ad concipiendum idonea exſiſtit femina, hunc fluxum experitur; niſi ſtatus morbidus eumdem impediat.

55. Quam-

55. Quamdiu vero embryonem in vtero geſtat, aut infantem lacte ſuo nutrit, huic euacuationi ordinarie obnoxia non eſt, neque inſigne aliquod incomodum ſentit, niſi ſubiectum ſenſibile fuerit. His autem circumſtantiis ſublatis, & reliquo ſanitatis ſtatu illæſo, ſingulis menſibus ſpontanea hæc contingit euacuatio, ita, vt e genitalibus ſanguis placide & per aliquot dies continuo effluat.

56. Naturalis huius fluxus ceſſatio, quæ circa quinquageſimum ætatis annum ordinarie obtingit, certum indicium eſt, quod generationis negotium itidem ceſſare ſoleat.

57. Periodica ceterum iſthæc euacuandi ratio, occaſionem dedit *Stahlio*, vt periodis criticis menſtruæ excretionis cauſſam adſignaret, dum videlicet eccriſes materiarum non admodum vrgentium in tertii ſeptenarii finem reſeruare natura ſoleat, quarta autem hebdomade proportionate expellat. *Vid.* eius *theoria p. 772. & ſupra cauſſas.*

58. De *neceſſitate* huius excretionis non dubitant, qui perſpiciunt, quod abundans in muliere ſanguis, interpoſitis ita ſubtractionibus, quam commodiſſime imminui poſſit & debeat in illo ſtatu, vbi in vſus alias deſtinatos conuerti nequeat.

59. Sanguinem, menſtruatim excretum, deteriorem eſſe reliquo in corpore reſtitante, veteres quidem, ſed ſine vllo fundamento crediderunt; & his quidem condonandum. Sed recentioribus quibusdam vix danda eſt huius opinionis venia; quia motus circulatorii theoria ſolidiorem ingenerare debuiſſet conceptum. Nullus enim demonſtrare valet, cur ſanguis excretus e venis, quæ vterum eiusque vaginam perreptant, peior eſſe debeat, quam alius, qui in narium hæmorrhagia effluit. Interim per moram in vtero & partium ſpermaticarum commixtionem inquinamenta leuiora contrahere poteſt.

60. *Effectus* huius fluxus ad ſanitatem conſeruandam prolixe non enarrabimus, neque pathematum illorum, quæ ex eius defectu promanant, recenſionem inſtituemus, quia id iam egimus in *conſp. theoretico-pract. tab. XIV, XV.*

61. Hoc vero inculcandum eſt, quod inter vterum, hypochondria & primas vias eximius ſit conſenſus: vnde etiam adſumta, concoctionem turbantia, menſium ſuppreſſionem inducere valent, e. g. panis calidus, frixa farinacea, varia liborum genera, & alia dulcia acrius fermentantia.

62. Ratio autem tam inſignis conſenſus fundata eſt in vaſorum ſplenico-hæmorrhoidalium diſtributione. Nam ventriculus a ſiniſtro ac inferiori venæ portæ ramo, qui ſplenicus audit, omnia ſua vaſa; vterus autem aliqua & ſpeciatim ab hæmorrhoidali accipit. Si iam ventriculus ſub ipſo menſium fluxu, aut eo propius imminente, per ingeſta incongrua grauatus fuerit; tunc illico in viis oriuntur ſtricturæ tonico ſpaſticæ, adſumtis illis dyſpeptis ſubigendis oppoſitæ, quæ, quia per conſenſum vteri vaſa ſimul conſtringunt, & catameniorum fluxum promte pariter intercipiunt.

63. Quod tandem infantes hunc fluxum interdum experiantur, pro ſigno morboſæ valetudinis, ſaltim ominoſæ feſtinationis habendum eſt. Dum enim natura actiones in futura tempora differendas anticipat, intempeſtiue etiam, tamquam vniuerſa periodo plane abſoluta, iterum ceſſare ſolet. Hinc mirum non eſt, ſi ætate immatura tales puellæ e vita diſcedant.

64. De vetulis autem menſtruatis hic agere, nihil attinet; quia non rariores obſeruationes communicare, ſed hæmorrhagiarum naturalium rationem explicare decreuimus.

65. Ita & *lochialis fluxus* neceſſitatem ac vtilitatem multis inculcare non laborabimus, cum id a nobis alibi iam actum ſit. *Vid. Conſpect. medic. theoretico-pract. tab. XVI & XVII.* Quantum vero in receſſu habeat iſta puerperarum euacuatio, e grauibus illis malis cognoſcere licet, quæ eius defectum preſſo pede ſequi ſolent; quorum præcipuum eſt, febris acuta inflammatoria, valde periculoſa.

66. E *varicibus manantibus* obſeruare poterunt tirones ingentem energiam moliminum hæmorrhoidalium, ad illum effluxum contendentium. His enim non modo vomitus cruentus & tota

tota mali hypochondrici adflictio, ſed etiam varicum manatio aliaque mala circa femora, genua, tibias & pedes ſpaſtico-podagrica, ſuam debent originem.

67. *Effectus* varicoſæ manationis interdum fuit laudabilis. Nam *Hippocrates lib. VI. ſect. VI. aphoriſ. XXI.* & *Galenus in comment. III. ad Hippocrat. de hum. f. m. 37.* diſerte commemorant, melancholiam & inſaniam ab hæmorrhoidibus & varicibus manantibus medelam impetraſſe.

68. Penitius tamen rem conſiderantibus facile patebit, quod

1) locus huic euacuationi minime quadret.

2) ad magis eryſipelaceo-vlceroſas peruerſiones tendat. Vnde

3) totum negotium, quomodocumque etiam cedat, nihil veri commodi promittit, ſed plus contra noxæ minatur.

69. Interim etiam huius euacuationis impeditus ſucceſſus alia iterum incommoda poſt ſe trahit. Vbi enim poſt varia contentioſa molimina verum per varices profluuium non ſequitur, ibi ſubiecta, pro diuerſitate texturæ, varias ſubire coguntur adflictiones œdematoſas, eryſipelaceas & ſpaſticas, doloribus ardentibus ſtipatas.

70. De *hæmorrhagia cerebri,* quæ ob copioſam ſanguinis verſus caput congeſtionem, vaſorum diſtenſionem & perruptionem interdum ſequitur, ac poſt functionum vitalium & animalium turbationem, mortem inferre ſolet, egit *Fr. Hoffmannus in diſſ. de hæmorrhagia cerebri Halæ 1730. in medic. rat. ſyſt. tom. IV. part. II. cap. VII. Vid. Conſpect. theoretico-pract. tab. de apoplexia.*

TAB.

TABVLA IX.
DE
CONGESTIONIBVS.

I. DEFINITIO.

Congeſtiones ſunt ſpeciales principii vitalis motus, quibus ſanguis verſus loca, hæmorrhagiis alias deſtinata, aut in remotiores ab illis regiones congeritur, copioſius ibidem colligitur & cum euacuandi intentione, concurrentibus variis moleſtiis, reſtringitur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quantopere natura per varias tam directe vtiles quam vere periculoſas hæmorrhagias ſanitatem conſeruare nitatur, tabula præcedente *de hæmorrhagiis naturalibus* iam expoſuimus. Quia vero in multis fine ſuo non potitur, ſed conatus hæmorrhagicus in nuda ſæpe congeſtione & humorum ad loca hæmorrhagica, cominus vel eminus facta, reſtrictione conſiſtit: tractationem iſtam doctrinæ de hæmorrhagiis naturalibus iuſto ordine ſubiungendam eſſe res ipſa docet.

2. Cum congeſtiones motus eſſe dixerimus, omnis vero motus actus ſit: ſponte conſequitur, tales motus conuenientius exprimi per *congeſtionem*, quam per *decubitum*, *regurgitationem*, *ſtagnationem*, *obſtructionem*, aliosque terminos vulgo receptos. Congeſtio enim *actiuam* notionem inuoluit, & humorum ad certa loca compulſionem & reſtrictionem ſub ſe complectitur: reliqui autem *paſſiuum* habent ſignificatum. Nam

1) *Decubitus* & *regurgitatio* præcipue, quam vno alteroue canali obſtructo in operibus hydraulicis contingere nouimus, ad explicandum congeſtionis negotium incongrue prorſus adhibentur & rem nullo modo exhauriunt.

2) *Sta-*

2) *Stagnatio*, quæ humorum copioſe adpulſorum impeditiorem regreſſum, non vero ſubſiſtentiam denotat, etiam non æquipollet congeſtioni, quia proximum huius conſequens eſſe ſolet.

3) *Staſeos* & *obſtructionis* vocabula huc plane non quadrant, quia tam progreſſiui motus, quam humorum qualitatis nimiam alterationem ſupponunt, quorum tamen vtrumque in ſimplici congeſtione abeſt; *ſtaſis* præterea ſtagnationes potius excipit, *obſtructio* autem quantis difficultatibus prematur & quam rariſſime locum inueniat *tab. de hæmorrhagiis* iam docuimus:

3. Ratione *indolis* congeſtiones ſunt

1) *completæ* ſeu tales motus, quibus natura humores ad ea loca dirigit, per quæ euacuatio ſanguinis fieri poteſt & ſolet e.g. ad nares, hæmorrhoides, vterum, pulmones.

2) *Incompletæ* & *rheumaticæ*, quæ reſpectu quidem finalis intentionis a completis haud differunt, verum ratione locorum, quæ occupant, & euentuum ſpecialium, omnino ab inuicem ſe diſtinguunt. Licet enim tales ſint conniſus, hæmorrhagiarum adparatui qui reſpondeant: ad ſpecialiſſimum tamen eruptionis locum neutiquam ſunt determinati, ſed *eminus* tantum contingunt, & latiore ambitu viciniam occupant. Hinc congeſti ſanguinis eruptio eo minus exſpectari poteſt, quo longius illa ab excretoriis hæmorrhagicis remota eſt.

4. Ratione *loci* ac *ætatis* ſequentem in modum differunt.

1) *In iunioribus* diriguntur congeſtiones ad *caput*. Hinc fruſtrato fine, oculorum auriumque manationes, achores, cruſta lactea, impetigo, parotides, aphthæ, cephalalgia, clauus hyſtericus, clauus hæmorrhoidalis, de quo commentatus eſt *Heiſterus* in peculiari *diſſ.* & quadam *epiſtola de morte Silii Italici ex clauo inſanabili*; cephalæa, vertigo, ophthalmia, otalgia, odontalgia, coryza, grauedo, phlegmatorrhagia, aliaque incommoda ſequuntur.

2) *In mediæ ætatis ſubiectis* magis infeſtatur *pectus*, quod te-

 ſtari

ſtari ſolent tuſſes, branchus, raucedo, angina, aſthmata, palpitationes cordis, pleuritis ſpuria, vera, peripneumonia, vomica, phthiſis pulmonum & empyema.

3) *In ætate conſiſtente* congeſtionibus obnoxium obſeruatur *abdomen*, vnde infarctus hepatis, lienis & ſubinde alterutrius viſceris inflammatio, malum hypochondriaco-hyſtericum, atrophia, nephritis & calculoſa pathemata. De quibus ſingulis conferendæ ſunt *tabulæ ſpeciales in conſpectu med. theoretico-pract.*

4) In *ætate* proxima *ſenili* præter abdomen etiam *artus* incompletis præcipue exponuntur congeſtionibus. Hinc variæ illæ adflictiones ſpaſtico-arthriticæ tam ſuperiorum quam inferiorum artuum, de quibus *vid. tab. ſequ. de ſpaſmis & conuulſionibus.*

5. Ratione *euentus*, congeſtionum

1) Aliæ per veram ſanguinis euacuationem reſoluuntur.

2) Aliæ magis ſeroſam materiam excernunt. Nam licet a directis contentionibus congeſtoriarum ſanguinis adpulſionum enaſcantur, ſpiſſior tamen rubicunda portio remanet, tenuiores autem ſeroſæ tantum excutiuntur. Hoc modo fiunt catarrhi cum ſeroſo mucidarum, ſalſo-acrium humiditatum effuſione, coryza, tuſſis humida, diarrhœa, largior vrinæ eruptio.

3) Aliæ, dum nulla excretionis ſpecies ſuccedit, portiones ſeroſas in circumiacentes partes altius diffundunt, & vel in externis partibus tumores rheumatico-acres formant, vel in partibus internis ſtagnationes & veras ſtaſes producunt; quemadmodum *in therapia ſpeciali tabulis de inflammatione & febribus inflammatoriis* oſtenſum eſt.

III. *SIGNA*

1. *Congeſtionum completarum*

Quamquam non pauca ſint congeſtionum completarum ſigna, quæ cum hæmorrhagiarum generalibus ſignis, *tabula præced.* traditis, coincidant: tamen illa, quæ tamquam effectus

fectus congeſtionum ſe produnt, hic ſeorſum tradere iuuabit, ita quidem, vt videamus, quænam ſe offerant

1) *In partibus adfectis*, in quibus vtpote obſeruatur

(1) Notabilis humorum infarctus, a quo inflationes & diſtenſiones dependent vaſorum plane exilium, quæ alias viſum ſubterfugiunt.

(2) Congeſtiones acriores, quæ altius ſe exſerunt, & calorem, qui naturali auctior eſt, dolorem inſuper excitant acutum, æſtuoſum, tenſiuum, inflantem, interdum lancinantem, fremebundum, pungentem, qui pulſui reſpondet.

(3) Ante recenſitarum moleſtiarum ſolutio & ceſſatio contingit, dum hæmorrhagia a natura per congeſtiones intenta libere ſuccedit; id quod etiam vulgus nouit, qui optabili prognoſi a talibus hæmorrhagiis euphoriam & capitis corporisque leuitatem vna cum actionum vitalium & animalium alacritate certo ſibi pollicetur.

(4) Si vero contrario euentu ad exitum hæmorrhagia non pertigerit, tunc conſectaria ſatis moleſta ſuccedunt, quæ in aliquibus dolores acutos & tumores; in aliis autem veras inflammationes & vlceroſas manationes poſt ſe relinquunt.

2) *In partibus remotioribus aut oppoſitis* obſeruatur conſtrictio quædam ſpaſtica: vnde habitus exſanguis & pallidus adparet, ob vaſorum, quæ penitus euaneſcere videntur, ſubſidentem adſpectum. Hinc mirum non eſt, ſi frigus & vera ſubinde refrigeratio ſentiatur.

2. *Incompletarum* ſeu *rheumaticarum*.

1) Ea, quæ in congeſtionibus completis occurrere ſigna ſolent, etiam in rheumaticis ſe produnt, inprimis ſimplicioribus.

2) Congeſtiones autem incompletæ, quæ per accidens indolem peiorem induunt, ſymptomatibus ſtipantur ſolito grauioribus. Nam

(1) fortius ſubiecta inuadunt.
(2) humorum adfluxus obſeruatur impetuoſior. Vnde
(3) maior reſtagnatio & partis adfectæ longe moleſtior inflatio, diſtenſio & ad motum ineptitudo.
(4) accedit exquiſitus ſenſus tenſorius, vibratiuus.
(5) calor inſignis, æſtuans, acris, inquietus & inflammatorium dolorem æmulans.

3) His frequenter ſe iungunt motus tonici ſenſibiles alterationes, quæ per frigoris & æſtus volatici viciſſitudines admodum manifeſtæ fiunt, & minus exercitatis ſæpe imponunt, ac ſi verior febris adeſſet typus. Verum, re curatius expenſa, febris tam facile non complicatur, niſi valde exacerbata fuerint reliqua.

4) Mitiora ceterum eſſe ſolent cuncta in congeſtionibus rheumaticis *externis*, adhuc ſinceris: vehementiora autem in *externis phlegmonodeis*; vehementiſſima in iis, quæ interiores corporis partes occuparunt.

IV. *SVBIECTA*

I. *Congeſtionum completarum* ſunt homines

1) Plethorici, qui præ reliquis expoſiti ſunt congeſtionibus.

2) Ex horum vero numero ii inprimis, qui vitam ſedentariam agunt & victu lautiori fruuntur.

3) Porro & illi, qui ſanguinis euacuationibus largioribus & ſinceris libere ac frequentius adſueti fuerunt, eas vero non amplius experiuntur.

4) Quibus merito accenſeri debent alii, qui artificiales quoque depletiones, antea adſuetas, vt ſunt venæſectiones & ſcarificationes, neglexerunt, aut alias ſeroſas minus ſuccedentes experiuntur, vel data opera impediunt; quod fieri ſolet, quando fonticulos improuide coaleſcere ſinunt, ſetacea non reiterant aut veſicatoria omittunt.

5) Subiecta tandem vegeta cuiusuis ætatis, ſexus & temperamenti. Minime tamen quilibet homo ad quamcumque con-

congeſtionis ſpeciem propendet, ſed ordinarie ad eam ſolum, quæ cum eius ætate propius conuenit.

2. *Congeſtionum incompletarum ſeu rheumaticarum.*

1) Subiecta harum eadem eſſe obſeruantur, quæ iam delineauimus.

2) Si vero ratione temperamenti ſpecialius aliquid determinandum eſt, ſanguinei & phlegmatico-ſanguinei, laxo & ſpongioſo habitu præditi, facilius iisdem corripiuntur, quam alii, quorum habitus ſtrictior denſiorque exſiſtit.

3) Et hiſce ſubiectis eueniunt eiusmodi congeſtiones tanto promtius, quanto certius ac manifeſtius plethora commouetur, & ipſi motus congeſtorii cum negotio hæmorrhagico-conſpirare deprehenduntur.

4) Senſibiles pariter & ad animi pathemata pronos facile congeſtiones pati, experientia docet; maxime ſi aliqualis iam ſubſit adſuetudo.

5) Quando autem laborioſi congeſtionibus vexantur, tum alias, & plerumque externas, cauſſas concurrentes, a ſola plethora minime prouenientes, deprehendimus. *Vid. infra Cauſſas.*

V. CAVSSAE

1. *Congeſtionum completarum.*

1) *Cauſſa materialis* eſt vel ſanguinis abundantia, præcipue impetuoſe commota, vel humorum ſpiſſitudo aut qualitatis quodcumque vitium aliud.

2) *Cauſſa formalis* eſt humorum, tam e poroſarum partium meatibus, quam e vaſis intercurrentibus, copioſius verſus loca hæmorrhagica directorum, reſtrictio, per motum tonicum adactio & diuturnior ibidem retentio.

3) *Cauſſa efficiens.*

(1) Secundum *veteres* obſcure ac perplexe nimis deſcribitur per *electiuam miſſionem* & quisquiliarum ad idonea excretoria proiectionem, a ſpiritu vitali perpetrandam.

(2) Secundum *recentiores* autem ſunt,

a) qui *cauſſam efficientem* venditant, vel *fermentationem*, humores turgefacientem, vel etiam *coagulationem.*

b) alii contra malunt ſupponere acres humores, ſiue copia, ſiue intemperie peccantes, qui intra minima tunicarum & membranarum neruoſarum vaſa congeſti, ibidem ſtagnant & violentia quadam eas diſtendant, vellicent, adrodant, eoque ipſo vberiori ſanguinis adfluxui anſam porrigant.

(3) Verum, vera efficiens cauſſa merito habetur principium illud rationale, in corpore agens & eius conſeruationi ſtudens: cuius quidem operandi energia, & per factas congeſtiones ſuperfluum exonerandi intentio, a vehementibus plethoræ commotionibus plerumque prouocatur, ſed euentus rarius reſpondet intentioni.

4) *Cauſſa finalis* eſt moleſtæ humorum abundantiæ imminutio & ſanitatis conſeruatio.

5) *Cauſſæ occaſionales* ſunt variæ, v. g.

(1) Aër humido-frigidus, imo etiam humido-calidus aut ſolis æſtus capiti denudato admiſſus.

(2) Largior vini & ſpirituoſorum ingurgitatio.

(3) Corporis vehemens & impetuoſa exagitatio.

(4) Conclauia prope terram exſtructa & humida, vbi parietum perpetuus mador obſeruatur. Talia ſi caleſiunt, calor caput, frigus autem crura & pedes adficit; ſub quibus circumſtantiis toni relaxationes, ſtricturæ & congeſtiones prouocari ſolent.

2. *Congeſtionum incompletarum* ſeu *rheumaticarum* cauſſæ, quia notabili diſcrimine a cauſſis completarum non differunt, earum recenſionem inſtituere non expedit. De occaſionalibus autem pauca quædam addere iuuabit. Nimirum

1) Quod *dyſcraſia* humorum rheumatiſmo cooriendi occaſionem præbere ſoleat, quemadmodum eryſipelata & apo-

apoſtemata, acrius ſponte orta, & ſegnes apoſtaſes febriles ſatis comprobant.

2) *Violentia*, partibus externe inducta, eamdem habet efficaciam. Illi enim, qui contuſiones, dislocationes, vulnera & fracturas perpeſſi, aut cum diu manantibus vlceribus, inflammationibus, ambuſtionibus, tardius curatis, conflictati ſunt, frequentius rheumatiſmis tentantur; qua occaſione ſæpe partium languor & flacciditas remanet, cui in recipiendo humorum adfluxu tum aliquid tribuendum eſt. Verum memoriæ, vt ita loquamur, vitali, ſeu æſtimationi & ſenſibilitati naturæ plurimum omnino adſcribendum eſt; id quod potiſſimum confirmant vulnera cicatrice firmiore ſanata, vbi relaxatum tonum minime accuſare licet.

3) *Diſpoſitio* porro *hæreditaria* & *adſuetudo* ad frequentiores inſultus rheumaticos non parum conferunt. Vnde ſi vel leuis tempeſtatum mutatio vel animi commotio acceſſerit, tum rheumatiſmo promte adfliguntur illi, cum quibus ita comparatum eſt.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Congeſtionum doctrina ante *Stahlium* non ſatis obſeruata, multo minus pro dignitate explicata & adplicata fuit. Nam quoniam *Antiqui* arduum hæmorrhagiarum negotium parum ſibi perſpectum habuerunt, in congeſtionum quoque theoria non niſi hoſpites manere potuerunt. Porro quia proxime ſuperiorum ſæculorum Medici in veterum placitis maximam partem adquieuerunt, nec vlterius in congeſtionum indolem, ſubiecta & cauſſas penitius inquirere adlaborarunt; præterquam quod per obſtructionis figmenta illas, tamquam paſſiue contingentes, explicare voluerint: tum iniquo plane fato accidit, vt plures noſtri æui doctores opinionibus anteceſſorum ſuorum præberent adſenſum.

2. His ſtrictim prælibatis, obſeruamus, quod *loca*, congeſtionibus obnoxia, ſeu terminus *a quo*, *in quo*, *per quem* & *ad quem*, ſint omnes corporis poroſæ partes, tam externæ, quam

quam internæ, in regionibus cum late patentibus, tum in particularibus & minimi ambitus membris; id quod eruptiones, quæ ex vna tantum nare vel ex oculo vno contingunt, vtique confirmant.

3. *Materia* congeſtionum ſæpe eſſe ſolet ſeroſa & mucida, quæ vulgo *catarrhalis* dicitur, & corruptelæ acri, ſeroſo-ſalſæ propinquior eſt, licet originem ab ipſo ſanguine trahat & aliena larua ſe manifeſtet. Vnde & vulgus loqui nouit von geſaltzenen Flüſſen.

4. Dum enim maſſæ ſanguineæ, ad talia loca adpulſæ, ob ſpiſſiorem conſiſtentiam, liber altiorque aditus non conceditur; tum tenuiores tantummodo eius portiones penetrant & partibus adfectis intimius inſinuantur.

5. Atque ex his cognoſci poteſt, qua ratione e contentionibus illis, quæ ſimplicem excretionem ſanguinis reſpiciunt, aliæ, & quantum ad materiæ ſchema attinet, diſpares conſecutiones oriri poſſint, tam excretionum ſeroſo-mucidarum, quam reſtagnationum, veluti in aſthmate humido & tumoribus œdematoſis, ſcirrhoſis ac glanduloſis contingere aſſolet.

6. Vnde pro incongrua plane habenda eſt illa *medicatio*, quæ in ſola materiæ ſeroſæ, e reliqua maſſa ſecedentis, ſubtractione aut ad alia emunctoria deriuatione occupata eſt, veram autem materialem cauſſam præteruidet, neque reſpectus naturæ finales eiusque intentionem efficiendi attendit, quæ vtpote ſuperflui ſanguinis exonerationem reſpicit, ideoque humores ad loca, huic ſcopo qualitercumque idonea, compellit. Hoc naturæ propoſitum manifeſto arguunt inſultus congeſtorii ſtati & periodici immo & vagi, qui hæmorrhagiarum mores, ob mutuam dependentiam, maxime imitantur. *Conf. Stahlii diſſ. de rheumatiſmo §. LXXII.*

7. *Effectus* congeſtionum incompletarum quod concernit, numquam fere ii ſunt vtiles, multo minus eorum *euentus*. De quibus conferenda *Stahlii theoria p. 822. 824. & 1240. ſequent.*

8. Ratio autem, cur minus vtiles ſequantur effectus, hæc eſt: quia finali naturæ deſtinationi raro admodum reſpondent,

vt

vt nimirum ſincera ſanguinis contingat eruptio. Nam ipſe ſenſibilis congeſtionum adparatus, qui vel iuſto maiorem impetum arguit, vel diffuſius ſe extendit, ſucceſſum intentionis impeditiorem non tantum præſagit, ſed vere etiam talem reddit. Et hoc inprimis valet de effectibus *indirectis*. Quos enim *directos* adpellamus, eorum enumerationem vide ſub *ſignis*.

9. *Euentus* porro congeſtionum cum generatim inſolitæ humorum ſtagnationes eſſe ſoleant circa illas partes, ad quas congeſtio directa, immo diffuſa eſt: tum mirum non eſt, ſi ex tali reſtagnatione, pro materiæ quantitate, impulſus impetu, humoris mobilitate aut dyſcraſia, varia incommoda oriantur, quæ vel leuiora, vel magis ſontica exſiſtunt; prout meatuum diſpoſitio, ſenſationis vehementia, prouocatio retrogradarum ſtricturarum, aut plenaria in parte occupata detentio atque ſtaſis concurrunt.

10. Quamquam congeſtiones omnibus accidere poſſint: tamen de illis, quemadmodum de aliis quibusuis morbidis pathematibus, conſtat, quod non promiſcue ſingulis hominibus eueniant; immo ſi numerus conferatur eorum, qui illas patiuntur, cum multitudine aliorum, qui ab iisdem immunes viuunt, ille ſane exiguus deprehendetur. Præterea illi, qui congeſtionibus omnino exercentur, notabili ſæpe temporis interuallo liberi agunt, nec, vbi tentati fuerint, diu admodum ab illis detinentur.

11. Cum igitur e moliminibus, adeo incompletis & finem hæmorrhagicum eminus tantum reſpicientibus, variæ ſubnaſcantur aberrationes: quæri non inepte poſſet, cur natura tam incompletos & ad exſequendam intentionem neutiquam ſufficientes actus ſuſcipiat? Ad quam quæſtionem, tamquam de re non adeo plana, vt reſpondeamus, dicimus: vero videri ſimillimum: hos motus eminus tantum ita adornari, vel ob ſpem abiectam liberalioris hæmorrhagiæ ſucceſſus, tamquam obtinendi finis, vel ob alias difficultates, *obſ. 9.* enarratas.

12. Hæmorrhagia *actiua* contingere non poteſt, niſi congeſtio quædam prægreſſa fuerit; creberrimæ autem congeſtiones,

 præ-

præcipue incompletæ, fiunt, quas neque ſincere ſanguinea; neque ſeroſa euacuatio ſubſequitur. *Conf. Stahlii diſſert. de motibus humorum ſpasmodicis, a motu pulſus ordinarii diuerſis: Halæ 1697.*

13. Tabula quidem præcedente ætiologiam hæmorrhagiarum non tantum generalem expoſuimus, ſed etiam ad quasuis earum ſpecies ſpecialem adplicationem fecimus: cur autem eamdem normam neque hac neque ſequentibus tabulis obſeruauerimus, ſequentes rationes prohibuerunt.

1) Pauciores ſunt ſpecies hæmorrhagiarum, perplures autem congeſtionum. Quare in illis quidem ſpeciales cauſſas ſubiungere facile fuit, in his autem non niſi multa prolixitate ætiologiam ſpecialem tradere potuiſſemus.

2) Quæ prolixitas vti pathologiæ generalis ſcopo aduerſatur: ſic delineationes generales eidem ſatisfacere, & ad ſpeciales congeſtionum morbos facile adplicari poſſunt.

3) Quod ſi vero difficultas quædam vllibi obſiſtere videatur: *conſpectus noſter theoretico-practicus*, vbi ſingulorum morborum cauſſas expoſuimus, difficultatem illam remouere poterit.

14. Interim vnius morbi, ad ſiniſtrum congeſtionis euentum pertinentis, mentionem faciemus, nempe *rhachitidis*, cuius cauſſæ neque in conſpectu noſtro practico, neque in aliis, quantum ſcimus, auctoribus complete traduntur.

15. Equidem *Mayow* curioſum de rhachitide tractatum conſcripſit, atque in eo *Gliſſonii* ætiologiam pro ingenioſo commento declarauit. Num vero in cauſſa huius morbi explicanda felicior fuerit, Lectoris iudicio relinquimus. Sequentia autem momenta huius auctoris ætiologia complectitur.

1) Primum quidem ſupponit, rhachitidis morbum generatim conſiſtere *in nutritione muſculorum inæquali.*

2) Oſſa autem in his ægris, æque ac in ſanis, *vniformiter* nutriri, adeoque ab illo vitio excipienda iudicat; ſubiuncta ratione, quod ad oſſium, ſenſus expertium, partes nutriendas

triendas *ſolus ſanguis* ſufficiat, ad muſculorum vero incrementa ſuccus ſimul nerueus requiratur.

3) Deinde bona fiducia pro conceſſo habet, partes muſculoſas & neruoſas, propter ſucci neruei nutritii defectum, haud quaquam creſcere, ſed potius extenuari.

4) Cum ergo, iudice auctore, *os tibiæ* æquali vigore creſcat, muſculi autem, *ſuram* conſtituentes, & ſupra infraque eidem oſſi adfixi, pari paſſu non creſcant, ſed, veluti chorda plectrum, retrorſum detineant, vt recta non poſſit extendi: tum neceſſe putat illius, inſtar arcus, incuruationem.

16. Verum enim vero blandis hiſce fictionibus ſequentia obſtant dubia.

1) Pro lubitu ſupponit, oſſa ſolo ſanguine nutriri, cui autem ſuppoſito recentiorum obſeruationes contra dicunt, & e partibus potius gelatinoſis, lamellarum forma mutuo ſibi impoſitis, incrementa ſumere docent. *Conf. Abrah. Vaterus in oſteogenia naturali & præternaturali theſ. II. IV. ſ. Wittebergæ 1733.*

2) Deinde fingit quidem, ſed non probat, ſuccum neruoſum eſſe *nutritium*, ideoque ad augendas partes muſculoſas neceſſarium.

3) Porro hunc ſuccum in rhachitide muſculoſis partibus deficere dicit, cauſſam vero, cur deficiat, minime demonſtrat.

4) Denique, vt reliqua taceamus, ſine fundamento adſerit, oſſa ipſa in hoc morbo *a priori* non adfici, ſed *a poſteriori* tantum incuruationem pati.

17. Vt vero ad ſimpliciorem ac veriorem rhachitidis ætiologiam peruenire poſſimus, ſequentia meditanda commendamus.

1) Rhachitis eſt productum ac conſectarium atrophiæ.

2) Atrophiæ cauſſa *materialis* conſiſtit in vitiis vaſorum lacteorum, modo primi, modo ſecundi, modo vtriusque generis.

3) Harum viarum quo plures ſunt obſtructæ, eo magis debitum corpori nutrimentum ſubducitur.

4) Huic igitur vitio materiali, interitum minitanti, natura ſeſe opponit *armis duobus* conſuetis, nempe motibus auctis in ſolidis & fluidis partibus.

5) In partibus *ſolidis*, præcipue in extremis artubus & in ſpinæ dorſi tractu inſtituuntur *motus ſpaſtici*, quale motuum ſpaſticorum ſchema in aliis quoque morbis, e. g. in febribus paroxyzantibus, obſeruamus.

6) Per hos ſpaſmos, in peripheria inſtitutos, partes *fluidæ* introrſum, & quidem ſpeciatim ad periclitantia loca, diriguntur, vt vitii materialis abſterſio, reſolutio, diſcuſſio & euacuatio obtineatur.

7) Hæc rigida autem & ſpaſtica muſculorum agitatio, bono fine ſuſcepta, rhachitidis proxima eſt cauſſa. Duo enim vitia immediate per illam producuntur.

(1) Primum quidem, *teneræ* infantum cartilagineæ & oſſeæ partes e.g. tibiæ, ſpinæ dorſi, per tales ſpaſmos ſenſim diſiunguntur, flectuntur & incuruantur; quod, quia in *robuſtioribus* fieri non poteſt, rhachitidem in reliquis ætatibus rariorem obſeruamus, nempe in cauſſis violentis & anguſtis virginum cataphractis.

(2) Deinde dolores, qui per hos ſpaſmos in exterioribus partibus excitantur, anſam præbent, vt natura nunc motu humorum contrario agere illosque ad dolores demulcendos extrorſum ducere cogatur. Sic interne quidem atrophiæ ſolutio interdum contingit, externe autem tumores & ſuperaccretiones proueniunt, præcipue circa ſenſibiles iuncturarum partes, carpi, tarſi, rotulæ, ſpinæ dorſi, aliaque vitia producuntur, quæ germanice gedoppelte Glieder, Hocker, ausgewachſene Hüffte vocantur.

TAB.

TABVLA X. DE SPASMIS ET CONVVL-SIONIBVS.

I. DEFINITIO.

Spaſmus eſt motus tonici excedens incrementum, quod in partibus fibroſo-muſculoſis, præcipue artuum, muſculi vel partem, vel eum totum aut plures ſimul occupat, eosque vna cum membro, cui mouendo deſtinati ſunt, adeo rigide tendit, attrahit atque in tali rigiditate aliquamdiu detinet, vt ea mouere in ægri haud ſit poteſtate; ſub qua moleſtia durities rigida percipitur cum exquiſito doloris ſenſu, qui partis quaſi rupturam minari videtur.

Conuulſiones ſunt motus tonici ſummæ exacerbationes, quæ in partibus muſculoſis & tendineo-neruoſis ſe exſerunt per repentinas & non raro violentiſſime ſuſceptas reciprocas membrorum agitationes, quibus natura illud, quod corpori moleſtum vel fingit, vel fere ſentit, extrema vi & pertinacia excutere contendit.

II. DIFFERENTIA.

1. Quemadmodum ipſæ congeſtiones auctiorem motus tonici gradum inuoluunt: ſic connexionis ratio huius cum præcedente tabula ſatis pateſcit. Cumque per motus congeſtorios ad partes tam internas, quam externas humores copioſius adacti & reſtricti ſæpe libere ſatis retrocedere non valeant & ſic ſpiſſiores reddantur: tum fit, vt variæ inde exoriantur moleſtiæ veraque damna, quibus natura ſe opponit, iam motibus inflammatoriis, iam febrilibus, iam ſpaſticis & conuulſiuis.

2. Spaſmi ſunt vel *vniuerſales* vel *particulares.*

1) *Vniuerſales* totum corpus occupant, quorum ſpecies ſunt

(1) *Tetanus*, qui corpus, quantum quantum eſt, ita rigidum reddit, vt illud in ſitu recto immotum plane relinquat.

(2) *Emproſthotonus* corpus antrorſum violenter incuruat, vt genua ad caput adducat.

(3) *Opiſthotonus* contrario motu agit, & capite ceruiceque verſus poſteriora retractis, corpus tantopere retrorſum inclinat, vt perreptare volenti ſub dorſo, arcuatim reflexo, ſpatium relinquatur.

(4) *Catalepſis* ſpaſmorum vniuerſalium rariſſimus, corpus in eo ſitu, in quo illud corripit, rigidum detinet, ſeruatis iisdem geſtibus, quos oculi, os & alia quæuis membra ipſo inuaſionis momento exercuerunt.

2) *Particulares.*

(1) *In capite*

a) *Spaſmus cynicus* eſt rictus ſeu contumax oris torſio, per plures ſubinde horas ſine delirio continuans, & exitus vel conuulſiuos, vel hemiplecticos aut apoplecticos ſuperuenientes ſæpius portendens.

b) *Riſus ſardonius* a priori re ipſa non differt, niſi quod mentis alienationem aut nonnumquam plenam eius abolitionem ſibi habeat coniunctam.

c) *Spaſmus occipitis* in parte infima adfligens & feminas maxime corripiens, anonymus eſt. Hic muſculos, capitis erectioni & ad latus vtrumque conuerſioni deſtinatos, infeſtat eosque tam rigidos reddit, vt non modo circumflectendi impotentiam inducat, ſed dolorem quoque in illis excitet peculiarem, quaſi animal ſecundum longitudinem ceruici adhærens, eam expanſis & altius infixis vnguiculis firmiter comprehenſam teneret. De his maſculis legatur *Verheyen in anat. tract. VI. cap. III. Heiſterus in comp. anat. p. m. 185.*

(2) *In*

(2) *In collo* ſingularis adfligere ſolet ſpaſmus, qui homines inter dormiendum corripit, & ab incommodo capitis ſitu vnice vulgo deriuari ſolet.

(3) *In œſophago* & *ventriculo* obſeruantur itidem ſpaſticæ quædam conſtrictiones, quæ deglutitionem ſæpe remorantur, aut tantopere impediunt, vt nihil vltra ventriculus admittat, vel, quod huc vſque ægrius recepit, non niſi cum contentione nauſeabunda ferat, concurrentibus anxietatibus, quæ ſubiecta nimium quantum anguſtant, vt ſæpe dicant: es ſey ihnen nicht anders, als wenn es das Hertz abdrücken wolte.

(4) *In thorace*,

a) *Incubus* ſeu ſpaſtica muſculorum thoracis contractio, ſub nocturna quiete cooriens, reſpirationem laborioſam reddens, & fere totius corporis motum tantiſper ſufflaminans; de quo fuſius in *therapia ſpecial. tab. LI.* dictum eſt.

b) Alii *ſpaſmi anonymi*, acres, ab *incubo* & *aſthmate conuulſiuo* plane diuerſi; qui ob ſui energiam, qua reſpirationem potentius intercipiunt, non nullis videntur ad *apoplexiam* magis, ſeu ad *catarrhum ſuffocatiuum* referendi. Certum enim eſt, quod in tali caſu reſpiratio pæne abolita magnum ſanguinis circulationi præiudicium adferat, vt facile ex ſuffocatione, per reſpirationem interceptam orta, tanta porro humorum regurgitatio & reſtagnatio in capite euenire poſſit, quæ variis circa crebri ambitum effuſionibus, vel ſanguineis, vel vero ſeroſis anſam dare, & veram apoplexiam inducere valent. Exempla huius ſpaſmi thoracici, per triduum durantis vide in *Stahlii theoria p. 883.*

c) *Aſthma conuulſiuum*, ſaluis reliqui corporis motibus, thoracem tantum occupat, & vigilantibus euenit, neque reſpirationem tantopere cohibet, aut vocem claram ſupprimit, vti in *incubo* fieri ſolet. Interim ſi *idiopathice* magis, quam *ſymptomatice*, infeſtat, periculo

riculo *incubum* longe ſuperat quia ancipitis & fere acuti euentus eſſe deprehenditur.

d) His alii porro cordis *palpitationem*, *cardialgiam* & *ſingultum* iungunt.

(5) In *abdomine*

a) *Inteſtinum colum*, maxime illorum, qui colica flatulenta vexantur, pertinaci ac rigida ſæpe tractione & ſpaſtica diſtenſione correptum obſeruatur, præcipue ob flatum in eo expanſum, quod comprobant

α) Progreſſus illi flatulenti, vbi tales bombi, ex vno clauſtro in aliud ſpatium erumpentes, tundentem talem impetum formant, vt ſubiecta queri audias de ſenſu dolorifico peculiari, ac ſi lapis per inteſtina volutaretur & abdominis immineret crepatura.

β) Conſtrictio ſpaſtica ad inteſtinum vſque *rectum* in altioribus doloribus colicis ſe extendens, quæ tanta eſſe ſolet, vt etiam cannulæ clyſticæ tranſitum prorſus deneget.

γ) Stricturæ *coli* firmiſſimæ in ſectis demortuorum cadaueribus obuiæ, quibus ſæpe portio illius flatu adeo rigide diſtenta & vtrimque conſtricta tenetur, vt neque aëreus eiusmodi halitus, nedum ſtilus renuior, niſi vi adactus, penetrare poſſit.

b) *In veſica*, eiusque ſphinctere ſpeciatim, vehementes ſe exſerunt ſpaſticæ ſtricturæ, quæ, dum ſtranguria & calculus commotus adfligunt, varios cruciatus inferunt.

c) *In pene* occurit *priapiſmus* ſeu violenta illa ac inuoluntaria tenſio & ſpaſtica erectio, quæ cum graui & anxio dolore ſtipata, a *ſatyriaſi* omnino differt, cuius quippe origo a libidinoſis phantaſiis deriuanda venit, & erectionem tranſitoriam infert.

d) *In orificio vteri* ſpaſmos ſingulares ſibi repræſentant theoretici quidam in dyſtocia, quos tamen adeo facile

cile nemo attentus practicus ſibi conceperit. Quia multiplici experientia iam confirmatum eſt, quod in tali caſu imprudens regimen & ineptum ſtupidarum obſtetricum imperium, quo parturientes ad præmature excludendum fœtum compelluntur, maxime adcuſandum ſit, & plerumque ſolum peccet.

e) *Teneſmus*, ſeu vrgens deſidendi conatus, non immerito accenſetur ſpaſmis, quia indolem vere ſpaſticam quouis intuitu refert, quidquid ſtatuant alii, quibus ad conuulſionum familiam eumdem referre placet.

f) *Tympanitis* autem minus congrue ad ſpaſmos relata eſt. In omnibus ſiquidem pathematibus flatulentis toni potius remiſſio obſeruatur, quam maior intenſio; alias non concederetur ſpatium flatibus, partes tam moleſte diſtendentibus.

(6) In *artubus* tandem ſuperioribus æque ac inferioribus vehementes adfligunt ſpaſmi, qui non ſimplicis, ſed ſimul arthriticæ indolis ſunt, quos ſigillatim paullo poſt recenſebimus.

3. Enumeratis ſpaſmis vniuerſalibus & quibusdam particularibus adhuc alia ſubnectenda erit ſpaſmorum differentia, ſecundum quam alius eſt

1) *Repentinus*, qui celeriter muſculum contrahit & ita rigidum aliquantiſper detinet, vt pro arbitrio membrum correptum inflecti aut moueri nequeat. Quam ſpeciem *ſpaſmum flatulentum* & ſpaſmum κατ' ἐξοχὴν, immo & *Crampum*, den Krampf, adpellare moris eſt. *Conf. Muſitani trutina lib. I. cap. XI. p. m. 131. Brunonis lexic. med. p. m. 258.*

2) *Lentus*, cuius inuaſio tam repentina non eſt: is diuiditur bifariam, ita vt alius dicatur

(1) *ſpaſmus muſcularis* ſeu *tendinalis*, qui totum aliquem muſculum adficit & doloribus tenſiuis ac grauatiuis excruciat, ſæpeque membrorum contractura ſcenam claudit.

S (2) *Fi-*

(2) *Fibrillaris*, qui muſculi aliquam tantummodo portionem & non raro paucas eius ac ſingulares fibras occupat. Cuius generis ſpaſmus in arthriticis doloribus proprie agnoſcendus eſt; qui tamen a cruciatus impetu tum remittit, cum e paucioribus fibris in vniuerſum muſculum diffunditur.

4. His commode ſubiunguntur reliqui particulares *ſpaſmi arthritici*, in ſyſtemate medico peculiari denominatione notati, quos, a ſupremis incipiendo & ad infima progrediendo adumbrabimus. Occurrunt autem

1) *In capite*

(1) *Hemicrania* ſeu dolor ille pertinax & acerbus, qui dimidiam capitis partem occupat, de quo *vid. conſpect. med. tab. XLVII.*

(2) *Gloſſagra* ſeu ſpaſtico-arthritica linguæ adflictio.

(3) *Triſmus* autem, quo mandibularum & muſculorum temporalium ſpaſmus exprimitur, qui inuitis nobis dentes cum ſonitu concutit, inepte huc refertur, quia potiori iure ad ſpaſmos ſimplices pertinet.

2) *In thorace pleuritis ſpuria*, de qua plenius actum eſt *in conſp. med. tab. XLVIII.*

3) In *coxis coxagra* ſeu *malum iſchiadicum*, cuius plenior tractatio repetenda *e l. c. tab. XLIX.* & *Io. Chriſt. Stockii diſſ. de coxagra Ienæ 1731.*

4) *In artubus*

(1) *Superioribus*

a) *Arthritis*, humeris & ſcapulis infeſta.

b) *Chiragra* quæ manus earumque digitos male adficit.

(2) *Inferioribus*

a) *Gonagra*, quæ genua ſpaſmis diuexat.

b) *Podagra*, famoſus ille cruciatus ſpaſticus, qui tibias, malleolos, metatarſum & digitos vehementer adfligit.

(3) In *vtrisque* vel ſimul, vel in alterutris per interualla, arthritis vel vaga vel fixa ſuam exercet tyrannidem.

5. Porro

5. Porro addendæ ſunt aliæ quædam ſpaſmorum ſpecies, minus celebres, v. g.

1) Spaſmus ille, proprio cognomine deſtitutus, qui ſæpe ipſo momento, quo manus aliquid complecti debent, eas corripit vt officio in præſenti nequeant fungi; vel etiam ſi nimis firmiter complexæ fuerint, in eodem ſitu detinet, quo antea comprehenſum tenuerunt obiectum.

2) *Spaſmus fixus*, a *Paracelſo* ita vocatus, nuſpiam tamen in ipſius ſcriptis perſpicue explicatus: iam enim arthritidem & podagram; iam vero contracturas hoc nomine indicat, vt neſcias ſomnians ne, an vero diuinans de eo locutus ſit, vt pridem *Stahlius* monuit *in diſſ. de ſpaſmis cap. II. p. 11.*

6. Neque prætereundum videtur, quod aliqui, a finali duorum morborum terminatione & ſono decepti, eosdem ad arthritico-ſpaſtica pathemata referre non dubitent. Illi vero ſunt

1) *Mentagra*, e qua incauti quidam menti ſpaſmum confingunt, cum tamen ſcabiei ſiccæ ac pruriginoſæ ſit ſpecies, quæ ſquammis & furfuribus mentum fœdat. Vnde mentagram *Lichenes in mento* vocat *Galenus de compoſ. med. ſec. loc. lib. V. cap. VIII.* qui morbus ante *Tiberii* principatum Romæ fuerat incognitus.

2) *Pudendragra contracturalis*, quæ fœdum illum morbum venereum denotat. *Conf. Io. Geo. Stuſſii diſſ. de pudendagra contracturali Ienæ 1716.*

7. Indicatis iam differentiis, ſecundum quas ſpaſmi inter ſe diſtinguuntur, breuibus etiam expediendum erit, in quonam ab ipſa ordinaria tenſione muſculorum in ſtatu ſecundum naturam; præter naturam autem ab ipſis conuulſionibus differant. Notandum ergo

1) *Ratione formalitatis*, quod

(1) *Motus muſcularis* extenſorius & contractorius naturalis ſemper voluntarius ſit, nec vllum dolorem inferat.

(2) *Spaſmus* contra ſimplicior, rigida ac inuoluntaria eſt partium muſculoſarum tenſio.

(3) *Conuulſio* autem perpetratur motu reciproco muſculo-

rum antagoniſtarum, nempe talium, qui in officio ſibi inuicem ſunt oppoſiti.

2) *Ratione ſenſationis*

a) *Spaſmus* ſenſum plus minus dolorificum coniunctum habet.

b) *Conuulſio* vero, quamdiu eius actus durat, minus eſt dolorifica.

3) *Ratione durationis*

(1) *Spaſmus* magis ſtatarius eſt & immanens, ſed

(2) *Conuulſio* vaga & inſtabilis.

4) *Ratione ominis*

(1) *Spaſmus* minus periculi, plus tamen moleſtiarum inuoluit.

(2) *Conuulſio* autem ob vehementiam longe maius minitatur damnum.

8. Differunt porro auctores ratione methodi. Quidam enim ſpaſmos vniuerſales, &, qui proxime hos excipiunt, particulares, quos motuum ſpaſtico-conuulſiuorum nomine exprimunt, ipſis potius conuulſionibus, quam ſpaſmis adnumerare malunt, quia reliquas adflictiones ſpaſtico-arthriticas vehementiæ gradu longe ſuperant. Cum vero in re arbitraria nemo facile reprehendendus ſit, licebit cuiuis hanc doctrinam, obſeruato bono ordine, varia proponere methodo.

9. Ad conuulſionum tandem differentias quod attinet, notari meretur

1) *Idiopathica*, quæ ſtato tempore recurrens, ex ideali maxime cauſſa, circa præcipuas lunæ phaſes, ſine aliorum morborum complicatione, homines miſere excruciat; quo nomine *morbus ſacer* ſeu *epilepſia*, quæ etiam *morbus comitialis* itemque *caducus* dicitur, inde ab antiquo ſatis iam innotuit, & hodie pariter in terrificis malis habetur.

2) *Symptomatica*, quæ cauſſas materiales, mox grauiores mox leuiores, pro fundamento agnoſcit.

III. *SIGNA*

1. *Spaſmorum.*

1) *Vniuerſales* illi ſpaſmi, dum adfligunt, moleſtiſſima ſua præſentia omnium ſignorum enarrationem exhauriunt.

2) *Particulares* repentini, præter motum impeditum & dolorem tranſeuntem, parum obſeruandum relinquunt.

3) *Lenti* autem, in quacumque tandem parte ſe exſeruerint, plura ſuppeditant.

4) Dolor itaque exquiſitus valde, tenſiuus, tractorius & conſtrictorius obſeruatur.

5) Nonnumquam adfligit cruciatus, qui ſenſum lancinantem, compungentem, diſtendentem & parti adfectæ quaſi rupturam minantem infert.

6) Antecedunt ſubinde horripilationes concurruntque æſtus volatici.

7) Ipſi dolores adeo continentes non ſunt, vt a primo inuaſionis momento eadem continuarent vehementia, quippe qui per vices, ſi non penitus; tamen magnam partem remittunt.

8) Membra actu ſpaſmo correpta pro lubitu ægrotantis moueri nequeunt; immo & remittente malo ægrius, & non ſine ſenſu laſſitudinis, contuſionis & debilitatis mouentur.

9) Interdum membra adfecta rubent, calent & aliquando tument, partes vero vicinæ magis pallent & in vicem verſam.

10) Animus ſupra modum tædioſus, anxius & leuiſſimarum etiam rerum impatientiſſimus eſt.

11) Somnus partim deficit, partim inquietus & parum reficiens deprehenditur.

12) Vires languent & adpetitus, ſi non proſtratus, vagus tamen & electiuus obſeruatur.

13) Excretiones parcius & minus ordinate ſuccedunt.

 2. *Con-*

2. *Conuulſionum.*

1) In quibusdam præcedit extremorum refrigeratio, oſcitatio & præcordiorum anxietas.

2) Partes corporis vel omnes vel nonnullæ repentinis atque reciprocis agitationibus vehementer varieque concutiuntur. Hinc

(1) Dentibus frendent, caput iactant, oculi ſuperiora verſus torquentur, vt ſolum tunicæ adnatæ album conſpici poſſit.

(2) Brachia retorquentur ad tergum.

(3) Manibus auram feriunt.

(4) Pectus attollunt.

(5) Dorſum incuruant.

(6) Pedibus terram quatiunt, &

(7) Totum ſubinde corpus rigidum atque immotum tenetur.

3) Pollices manuum porro colliguntur in pugnum.

4) Spuma, ſi grauior fuerit conuulſio, aut mucus ſaltem ſaliualis ſub paroxyſmo ex ore fluit.

5) Præterea formant hi motus breues quaſi paroxyſmos, ſeu parua remiſſionis interualla, quibus elapſis maiori vi denuo inuadunt.

6) Vbi conuulſiones inualuerunt, partes non ſolum motu exagitantur, ſed ſitu quoque torquentur ac diutius ita retortæ perſiſtunt.

7) Sub ipſis conuulſionibus rationis & ſenſuum vſus nullum adparet veſtigium, & poſt illas remanet ſæpe ante actorum obliuio.

8) Quædam ſubiecta narium experiuntur hæmorrhagias, in aliis cietur vomitus, aut ſequitur diarrhœa, ſeminis profuſio & ſæpe vrinæ excretio.

9) Conſequuntur tandem ſitis ingens, corporis laſſitudo, perturbatio capitis vertiginoſa, ſudor olidus immo fœtore grauis.

IV. *SVB-*

IV. SVBIECTA

1. *Spaſmorum*

1) Homines plethorici, in quibus humores abundantes ſimul ſpiſſi ſunt, & habitus corporis diffuſus & ſpongioſus deprehenditur; ſpeciatim temperamentum ſanguineum & ſanguineo-cholericum. In his enim humorum progresſus, quando laborioſior eſt, facile ſpaſmis anſam præbere ſolet.

2) Quibus iungenda ſunt ſubiecta plethorica graciliora.

3) Hi autem homines eo certius obnoxii fiunt ſpaſmis, ſi antea vel naturalibus, vel artificialibus ſanguinis euacuationibus adſueti fuerint, earumque ſucceſſum & vſum aut amiſerint aut omiſerint.

4) A parentibus, ſpaſticas adflictiones paſſis, prognati adeoque hæreditaria diſpoſitione præditi & prædiſpoſiti.

5) Veneris & Bacchi cultores ſtrenui.

6) Præcipiti iracundiæ indulgentes.

7) Crebrioribus rheumatiſmis alias adfecti.

8) Homines ordinarie ætatis prouectioris præ iunioribus. In illis enim humorum craſis & ipſa loca muſculoſa, excretionibus dicata, per diætam, labores & animi pathemata efficacius alterantur viaque ſpaſmis facilius ſternitur, quam in his.

9) Vulneribus profundius læſi.

10) Tandem & illi, qui febribus acutis detinentur & in vitæ periculo verſantur.

2. *Conuulſionum*

1) *Ratione ætatis*, infantes & pueri præ aliis ætatibus.

2) *Ratione ſexus*, ſubiecta feminina magis, quam virilia.

3) *Ratione habitus* corporis, homines ſucculenti, εὔσαρκοι, plethorici, quorum ſanguis notabili ſpiſſitudinis vitio laborat.

4) Iracundi & cauſſis procatarcticis variis expoſiti, vti paullo poſt exponemus ſub *cauſſis*.

V. CAVS-

V. *CAVSSAE*

1. *Spaſmorum.*

1) *Cauſſa materialis* exhibet

(1) Vel plethoram,

(2) Vel ſpiſſitudinem humorum,

(3) Vel aliud qualitatis vitium,

(4) Vel læſionem partis cuiusdam ſolidæ.

2) *Cauſſa formalis* conſiſtit in notabili augmento motus tonici, qui in locis & circa illa, in quibus ſanguini, per fibroſo-poroſas partes progredienti, remora iniecta eſt, ſolito fortius intenditur & ad dolorem vſque augetur, ac in tali vehementiore tenſione aliquamdiu detinetur, immo pertinaci conatu readſumitur.

3) *Cauſſa efficiens.*

(1) *Veteres*, ad ductum *Hippocratis ſect. VI. aphoriſ. 39.* & *Galeni* in multis operum ſuorum locis, cauſſam efficientem habebant vel *repletionem* vel *inanitionem*. Illuſtrabant hoc adſertum chordarum exemplo in citharis, quæ ſub aëris temperie auſtrina humida tantopere tenduntur, vt facili negotio diſrumpantur. Et vbi e contrario aquilonis flatus omnia penetrat & exſiccat, chordæ pariter arefactæ nimis contrahuntur, ſubitamque diſruptionem ſubeunt. *Vid. Galenus de trem. cap. VIII. f. m. 70.*

(2) *Recentiores*, cum placiti veterum inſufficientiam & adhibiti ſimilis illuſtrantis claudicationem perſpicerent, altius rem repetendam eſſe indicarunt. Vnde in ſubſidium vocata

a) *Obſtructio* fibrarum partis alicuius. Finxerunt ſibi nimirum fibras cauas; deinde ſuppoſuerunt earum obſtructionem, quæ impediret ſanguinis liberum progreſſum, a quo tandem turgeſcentiam, fibrarum tenſionem & diſtenſionem in latitudinem earumque abbreuiationem ſecundum longitudinem deriuarunt, adplicato ſimul axiomate mechanico: *quod linea longa, incuruata fiat breuior.* Euaneſcit autem hoc fig-

figmentum ſua ſponte, quia in muſculis, ſpaſmo adfectis, nulla diſtenſio, ſed abſoluta condenſatio & compreſſio obſeruari poteſt.

b) *Acrimonia*, commune illud idolum, quod fere cuiusuis morbidi mali cauſſa efficiens eſſe cogitur. De hac ita ſtatuunt: quod particulæ, ſpeciatim acres, tartareæ, nitroſo-ſulphureæ, ponticæ & acidæ, ſanguini aut lymphæ immixtæ, per motum progreſſiuum cum neruoſo genere communicentur, & poſtquam ſenſiles neruorum fibrillas adgreſſæ ſint, eas vellicent ac nimium irritent; quo facto tandem criſpentur, abbreuientur & ſub his ſpaſticis anomaliis obrigeſcant. Sed toties iam in antecedentibus profligatæ acrimoniæ hic immorari non expedit.

c) *Recentiſſimorum* ſententia a præcedente parum recedit. Licet enim negent, quod in cauſſa ſit humor quidam craſſior, acris, ſalſus & ſcorbuticus: ſubſtituunt tamen ſubtilem, volatilem, ſulphureo halituoſum vaporem, qui ſæpe numero in exigua quantitate in ſanguinis maſſa oberret & facile nimis neruoſarum partium minimos poros intimius ſubintrare valeat. Sed quo minus & hiſce placitis ſubſcribamus, obſunt rationes *tab. de hæmorrhagiis* fuſius prolatæ.

d) Relicta igitur ſua cuiusuis opinione, rectius docemus: cauſſam efficientem eſſe vitale principium immateriale, quod vitæ & ſanitati conſeruandæ ſtudioſe imcumbit, & per motus quoque ſpaſticos, quamuis erroneos, non tamen irrationales, fine ſibi præfixo potiri contendit.

4) *Cauſſa finalis* eſt vel plethoræ imminutio; vel ſpiſſitudinis reſolutio; vel humorum qualitate peccantium excuſſio & vlterior propulſio, vt metuendæ ſtaſeos & corruptionis periculum auerti & per violentos hoſce motus præoccupari queat; vel denique læſæ partis ſolidæ abſterſio & conſolidatio.

5) *Cauſſæ procatarcticæ veterum*

(1) Reſpectu *repletionis* ſunt: vita otioſa, ebrietas, fluxus humoris pituitoſi, inflammatio partis neruoſæ, ſuppreſſio alicuius excretionis conſuetæ, vulnus, contuſio, laxatio, nerui punctura, venenatorum morſus, ſubitus terror, excandeſcentia.

(2) Reſpectu *inanitionis:* neruorum ſiccitas, labor nimius, immodicæ vigiliæ, febris ardens, ſudor prodigus, vomitus, alui deiectio, immodicum ſanguinis profluuium, venus nimia, cauteria, veſicatoria neruis adplicata.

(3) Sed *recentiores* iuſtius accuſant

a) hæreditariam diſpoſitionem, animi vehementiora pathemata, vt ſunt terror & ira.

b) Motum corporis impetuoſe ſuſceptum & pari vehementia continuatum.

c) Adſumtionem medicamentorum calidorum & volatilium: imo & emeticorum ac catharticorum draſtice operantium vſum.

d) Diætam aromaticam & largiorem vini ingurgitationem.

e) Tempeſtatem humido-frigidam, quæ vti rheumatiſmis inducendis, ita & ſpaſmis prouocandis apta eſt.

2. *Conuulſionum.*

1) *Cauſſæ materiales* ſunt varia mala, quæ vel cum plurimo periculo complicata ſunt, vel minus ſalutariter ſuccedunt. Interdum eſſe ſolent moleſtiæ, craſſo modo haud ſenſibiles, & qualemcumque quidem eliſionem promerentes, tanta vero motuum exacerbatione neutiquam dignæ. *Plura vide ſub cauſſis occaſionalibus.*

2) *Cauſſa formalis* eſt partium muſculoſarum & tendineo-neruoſarum per motum tonicum exacerbatum raptim atque reciproce inſtituta tractio per momenta remittens iterumque reuertens.

3) *Cauſſa efficiens* multis hodie eſt altius radicata acrimonia, neruo-

neruorum ſyſtema irritans. Sed hanc opinionem fundamento deſtitutam eſſe, ingens caſuum numerus comprobat, in quibus vera acrimonia vel in *proxima potentia*, vt loqui ſolemus, vel iam ipſo *actu* præſto eſt, nullo tamen inſequente effectu conuulſiuo; vti experientia in tot variolofis teſtatur. Quam ob rem malunt recentiores ſubſtituere varias muſculorum contractiones & hinc dependentes influxus liquidi neruei, quod a ſenſorio communi varie iterum in neruos exprimatur; additis ſimul cauſſis occaſionalibus, quæ cerebri medullam ad has expreſſiones ſollicitent. *Vid. Boerhaaue Aphoriſmi de cog. & cur. morbis* §. 1074.

4) Sed maiore certitudine etiam hos motus naturæ, quæ extrema vi aliquid expellere intendat, tribuimus; licet motuum gradus & continuationis vehementia nequaquam adprobanda neque potiundo fini congrua ſit. Plus enim plerumque ſubeſt rationis moralis & cauſſæ idealis, quam phyſici impulſus aut craſſæ materialis irritationis. *Conf. Stahlii theoria p.* 895. 899. 901.

5) *Cauſſa finalis* eſt rei vel vere moleſtæ & periculoſæ, vel talis modo viſæ, motibus & viribus ſumme intenſis, amolitio & excusſio.

6) *Cauſſæ procatarcticæ.*

(1) Diſpoſitio hæreditaria.

(2) Animi pathemata, vt ira, terror, amor veſanus & intenſum rerum venerearum deſiderium.

(3) Certæ temporum periodi & inprimis phaſes lunares; de quibus tamen cauſſarum nexum detegere & firmis rationibus probare nemo hactenus potuit; licet varia pasſim in medium proferantur.

(4) Sanguinis inſignis crasſities, quam, ceu cauſſam coniunctam & potenter concurrentem, hic nominare vtique conuenit.

(5) Retropulſio vlceroſorum ſeroſo-lymphalium humorum, circa capita inprimis infantum & puerorum a frigore, improuide admiſſo, ortum ducens.

 (6) Sca-

(6) Scabies per incongrua artificia ad interiora repulſa.

(7) Tuſſes infantum humidæ cum materia valde tenaci. Quæ cum tam facile excerni nequeat, tusſiendi tamen vehementia continuet: tum reſpiratio in tenellis intercipitur & conuulſiones ſuccedunt, donec illa redierit.

(8) Vermes, qui in tenera ætate magis conuulſiuis quam ſpaſticis motibus anſam præbent. Senſibilis enim infantum natura ad extremos motus, in leuioribus quoque causſis, mox confugere ſolet.

(9) Morbi acuti & febres, præcipue exanthematicæ, illegitime decurrentes, conuulſiones plerumque habent comites.

(10) Dentitionis negotium difficile ſuccedens.

(11) Corpora ſolida peregrina carnoſis partibus infixa, vt ſunt ſpinæ, feſtucæ, aciculæ, claui, vitri fragmenta, glandes plumbeæ.

(12) Calculus verus, a quo ſæpe in femore aut crure lateris adfecti conuulſiones oriri ſolent. Quem effectum ſanguis quoque grumoſus aut ſanies, ſub cranio latitans, nonnumquam edere ſolet.

(13) Ebrietas aut ſpirituoſorum abuſus.

(14) Vulnera & partium tendineo-neruoſarum contuſiones.

(15) Hæmorrhagiarum quarumuis conſuetarum retentio aut ſuppresſio.

(16) Morſus animalium ira percitorum.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Solemne fuit non tantum *Hippocratis*, ſed etiam *Galeni*, interpretibus latinis, vocabula τȣ σπασμȣ & των σπασμωδεων per minus aptas voces *conuulſiones* & *conuulſiuorum* vertere. Et hoc quidem tam vnanimi egerunt conſenſu, ac ſi ex pacto & veluti certatim id ſibi ſumſiſſent peragendum. Recentiores, quod mirandum, antiquos tam ſerua æmulatione imitati ſunt, vt

vt *ſpaſmum* non aliter, niſi per conuulſionem, exprimere voluerint; id quod præter ſcriptores ſyſtematicos, ipſi Medici lexicographi *Bruno* & *Blancardus* adfirmant.

2. Hæc autem vulgaris & incongrua interpretatio ſequentia habet incommoda. Nam

1) Apertam vim infert voci σπασμȣ eiusque etymologiæ, vtpote quæ tenſionis & tractionis, non vero ſubitæ vellicationis, multo minus reciprocæ conuulſionis ſignificationem admittit.

2) Non exiguam parit iſthæc verſio confuſionem in animis lectorum, qui adcuratioribus acroaſibus adſueti ſunt; vt, dum vel *Hippocratis* vel *Galeni* monumenta in latinum verſa euoluunt, ſcire nequeant, quid proprie ſcriptores illi voluerint. Nam diſtincte de *ſpaſmis* agi, textus ſeu oratio indicat; vbique autem *conuulſionis* & *conuulſiuorum* nomina vſurpata oculi cernunt. Hinc mens dubia, nihil melius edocta, relinquitur, cum paucisſimi græcis operati ſint, aut exemplaria græca ad manus habeant.

3. Igitur, ad euitandam confuſionem, ſatius eſt, græcam *ſpaſmi* vocem retinere, & per *conuulſionis* nomen peculiarem toni exacerbationem deſignare. Atque hoc quibusdam maiorum noſtrorum iam placuit, & a multis quoque recentioribus non immerito probatur ac retinetur.

4. Supra, velut in tranſitu, iam monuimus, quod vniuerſus motuum ſpaſticorum & conuulſiuorum adparatus generatim quidem rationalis & propter certum finem inſtitutus, reuera tamen erroneus ſit, & ſpeciali rationalitate careat; quia congruam proportionem inter materiæ quantitatem & qualitatem & inter, organi electionem, motuum directionem, gradus, & continuationem inuenire non licet. Quod mirum nemini videri poterit, qui repetere voluerit ea, quæ in *tab. de cauſſis morb.* ſub cauſſis immaterialibus iam ediſſeruimus. Collata *diſſ. Stahlii de erroribus naturæ medicis.*

5. Equidem iſthæc adſertio de ſpaſmis erroneis, non tamen irrationalibus, multis negotium faceſſit, quia concludunt: a

principio rationali fieri non poſſe, vt certum finem ſibi habeat præfixum, vera tamen media ignoret, aut illa aliter adhibeat, quam quidem fini illi obtinendo vere conueniat; cum apud prudentes quosuis inuentionis adparatus cum intentione conſpirare ſoleat.

6. Sed ita quidem eſſe deberet, ſi in ſtatu perfectionis actiones ſuas ederet anima. Verum enim vero, in ſtatu poſt lapſum valde corrupto aliter longe fieri, tam in vitalibus, quam animalibus functionibus, comperimus. Certum enim eſt, quod res illas, quibus actiones ſuas, ſecundum neceſſitatem corporeæ proportionis, adcommodare debet,

1) Sæpe nec recte intelligat, nec debite perpendat, & ex defectu cognitionis eorum, quæ agi debent, & quomodo peragenda ſint, circumſpecte & rationaliter ſatis agere non *poſſit*.

2) Interdum vero, quod iuſtum & cum corporali proportione conueniens eſſet, ſuſcipere non *velit*. Diluceſcit hoc ex innumeris caſibus moralibus, qui abunde confirmant, quod

(1) ex obiecti mouendi & principii mouentis proportionibus, inuicem ſibi minus reſpondentibus, ingentes turbæ, contentioſa molimina & pertinaciſſimæ exſecutiones ſuſcipi ſoleant. Hoc in vitalibus æque obſeruamus, vbi non raro materiæ, periculoſæ efficaciæ, & placidis motibus ad certam partem dirigendæ, ab aliis vero circumſpecte abigendæ, impetuoſis commotionibus inuadantur, & noxa in vniuerſum corpus diſſipata, ipſam tandem vitam peſſundent.

(2) Ita porro ratio, meliora probans, nihilo minus deteriora ſequitur in moralibus quam ſæpiſſime; nihil ergo inſoliti eſſe cenſebimus, ſi idem in vitalibus deprehendamus.

7. Veritatem iſtam vberius illuſtrabit ſubiectorum conſideratio reſpectu temperamenti. Cum enim error, ex morum ſeu voluntatis vitio, in eiusmodi temperamentis communisſime in motus recidere ſoleat exacerbatos, ſpaſticos & conuulſiuos:

uulſiuos: tum paradoxon nulli videbitur, ſi talibus ſubiectis, ad operoſa negotia ſuscipienda & cum induſtria ac conſtantia proſequenda minus aptis, ſpaſmi eueniant. Vti enim ſunt animi impatientis & præcipitis, vt, ne diu laborandum ſit, vno potius impetu opus peractum optent: ita impeditiores ſucceſſus & exitus difficiles reformidant & declinant. Sub crebris tamen tergiuerſationibus de nouo aliquid moliri iterum audent.

8. Si inſuper *conſuetudinis* efficacia & repetita ad ſpaſmos excitandos promtitudo acceſſerit, tanta ſenſim inducitur facilitas & in agendo leuitas, vt poſt modum, citra ſufficientem materialem & proportionatam cauſſam, immo ſæpius ob ſolas patheticas commotiones, aliunde ex occaſionibus moralibus oriundas, vel ob membri ſitum paulo diſtortum, vel eius compreſſionem ſtrictioremque ligaturam, vehementes ſpaſmi ſuſcitentur, & magna cum pertinacia, pro more ætatis prouectioris, continuentur.

9. *De conuulſionibus*, non tamen *idiopathicis* ſeu *epilepticis*, quæ nuda adſuetudine ita inualuerunt, ſed de *ſymptomaticis*, obſeruandum eſt: quod tam facile non oriantur, niſi aliquis labor & naturæ ſolicitudo, per motus ſecretorios & excretorios aliquid periculoſi, e corpore excutiendi, euidenter adſint.

10. Fundamentum horum tentaminum in eo conſiſtit: quia natura, poſt ordinarios & magis proportionatas excretionum methodos, ex voto non ſuccedentes, vltimum tandem eumque fortiſſimum modum adhibet, quo illud, quod ſanitati ac vitæ periculoſum eſt, ſubigat & expellat; qui ſi pariter intentioni haud ſatis fecerit, ab omni labore vltro deſiſtit & fatis cedit.

11. Quod vero pro ſubiectis, infantes & pueros conuulſionibus potiſſimum obnoxiis declarauerimus; id tirones non ita interpretentur, ac ſi, ob ſyſtematis neruoſi *debilitatem*, illis ætatibus hoc frequentius & promtius, quam aliis robuſtioribus contingat, ſed quod

1) exquiſitior ſenſibilitas &

2) pla-

2) placidæ magis methodi inſuetudo & imperitia in cauſſa ſint, cur extraordinariis periculis, tenellum corpus adfligentibus, non æque extraordinarios & magis proportionatos, ſed excedentes potius & exacerbatos motus opponant, qui ſæpe malum minus in peſſimum conuertere obſeruantur.

12. *Effectus* itaque quarumcumque conuulſionum, corpori vere vtilis, nullus plane ſubſequitur. *Euentus* autem pro obiecti & ſubiecti diuerſitate omnino differunt. Nam

1) *acutis* ſuperuenientes, ſiue ſub initium & incrementum morbi, ſiue in ſtatu aut decremento inuadant, ancipitem plerumque ſortiuntur euentum.

2) in *chronicis* malis ſi ingruant, nec impetu excedant, nihil ordinarie periculi portendunt: immo ſi aliis etiam morbis ſuperueniunt, in ſubiectis, quæ conuulſionibus chronice iam adſueuerunt, minus omnino periculoſæ ſunt.

13. Quod præterea motus conuulſiui, ſpeciatim epileptici, ſecundum temporis menſuras, lunæ phaſibus circumſcriptas, tam facile recurrant, hoc ipſe *Stahlius*, qui in detegendis variorum motuum abſtruſis rationibus alias feliciſſimus fuit, pro re explicatu difficillima habuit, doctamque ſuam ignorantiam vltro confeſſus eſt.

14. Hoc forte, vna cum aliis circumſtantiis, quales ſunt variæ membrorum agitationes, adſpectu terribiles, anſam ignaris veterum medicaſtris dedit, vt conuulſiones idiopathicas, ob vehementiam & pertinaciam infames, *morbum ſacrum* adpellauerint, interſerentes, eum a diis immitti, & vel a *Cybele*, *Neptuno*, *Apolline*, *Nomio*, Marte, *Hecate*, vel *heroum* inuaſionibus originem habere, ac proinde expiationibus ſolum eſſe curabilem.

15. Adpoſite vero monuit *Hippocrates in libro de morbo ſacro*, quod illorum temporum arrogantes oſtentatores hoc ita excogitauerint, vt obtentu diuinitatis ignorantiam ſuam tegerent; ſiquidem ſe curatione nihil profuturos præſciebant.

Quod

Quod ſi vero & expiationum ſolemnia irita fuiſſent, omnem tandem culpam in ipſos deos deuoluerent, vtpote quibus hominem ita multatum videre placeat.

16. Quæ ceterum de epilepſia ſpeciatim obſeruanda eſſent, illa repetenda erunt e *conſpectu med. theoretico-pract. tab. LV.*

TABVLA XI.
DE
FEBRIBVS.

I. DEFINITIO.

Febris eſt naturæ medicatricis actus, ſalutari fine ſuſceptus, quo materiam quamdam, putredini concipiendæ & concitandæ aptam, ſiue vere præſentem, ſiue idealiter ſuppoſitam, per motus vitales ſolito auctiores, varieque alteratos & modificatos *generatim*, *ſpeciatim* vero per actus ſecretorios & excretorios certo ordine, menſura, paroxyſmo & periodo eliminare contendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Cum hæmorrhagicarum excretionum defectus per congeſtiones non commode ſatis reſarciri, ſed ominoſa ſæpe humorum, in ſtaſin & inflammationem dilabentium, ſequi ſoleat coaceruatio, cui nec ſpaſmi nec conuulſiones vllo modo mederi valent: tum febrilium motuum adparatu natura ſuccurrere cogitur, vt illud, quod vel quantitate vel qualitate peccando mixtioni animali periculoſum eſt, præoccupet, auertat & eliminet.

2. Quibus monitis, declarandum porro erit, quomodo febres inter ſe differant; & quia varii ſunt reſpectus, ſecundum quos conſiderari ſolent: ideo variæ pariter ſubnatæ ſunt differentiæ, quarum maxime vulgaris illa eſt, quæ febres in *calidas*

lidas & *frigidas* diſpeſcit, ſine vlteriori concurrentium circumſtantiarum penſitatione.

3. Sed medicinam facere volentium intereſt, differentias curatius noſſe, iisque cognitis practicum inde elicere vſum. Sunt autem febres

1) *ratione ſucceſſus*

(1) *Continentes*, quæ eadem vehementia, qua ſubiectum corripuerunt, ad exitum vſque durant, citra vllam remiſſionem, nedum intermiſſionem. Huius generis ſunt

a) *ſimplices*, vt

α) Ephemera ſimplex ſeu diaria.

β) Ephemera plurium dierum.

γ) Continens κατ' ἐξοχὴν dicta, & alias ſynocha adpellata.

b) *Compoſitæ:* quales ſunt *ſynochæ* ſic dictæ *putridæ*.

(2) *Continuæ*, quæ, vt veteres deſcripſerunt, ad integritatem prius non veniunt, quam morbus ex toto ſolutus eſt, & in quibus quouis die ſtatæ exacerbationis inducias obſeruare licet. In his aliqua quidem febrilium motuum *remiſſio*, ſed *intermiſſio* numquam obtingit. Ad hanc claſſem pertinent

a) Continua ſimplex.

b) Febres catarrhales.

c) Febres bilioſæ.

d) Febres inflammatoriæ.

e) Febres exanthematicæ benignæ & malignæ.

f) Continua tertiana.

g) Continua quartana.

h) e chronicis lenta & hectica.

(3) *Intermittentes*

a) Quotidiana }
b) Tertiana } ſimplex & duplex.
c) Quartana }
d) Quintana

e) Se-

e) Septimana
f) Octana
g) Ennatæa ſeu nonana veterum.

2) Ratione *ambitus*

(1) *Acutæ*, quæ cum vehemente actiuitate & celeri efficacia inuadunt & decurrunt, ita tamen, vt ad diem vſque ſeptimum, plerumque autem decimum quartum protrahantur. Cuius cenſus ſunt

a) *Continuæ*, paulo ante recenſitæ.

b) Febres typhodes, quarum tres ſpecies deſcripſit *Hippocrates de internis adfectionibus Sect. VI. ſ. m. 114. ſeq.*

(2) *Peracutæ*, quæ diem ſeptimum non excedunt, ſed vel eo ipſo die, vel citius iudicantur, vt: peſtis, cauſus, febris leipyrica aliæque interdum malignæ, quas die quarto aut quinto ægrum interimere compertum eſt.

(3) *Chronicæ*, quæ tardius mouentur & vltra quadrageſimum diem extendi ſolent, vt: lenta, hectica & ſubinde intermittentes.

3) Ratione *ordinis* ſunt

(1) *Febres eſſentiales*, *primariæ*, *idiopathicæ*, quæ

a) Propriam indolem, cauſſasque directas habent & vnum pathema conſtituunt.

b) Ordinatis progreſſibus & ſucceſſibus innituntur. Vnde

c) Ambitum peculiarem obſeruant certamque exitus ſui menſuram habent, ac re ipſa ſpecificum quiddam ſiſtunt, vt *continentes*, quæ toto ſuo adparatu certam excretionis ſpeciem adornant. *Conf. Stahlii diſſ. de febribus ſecundariis* §. *III.*

(2) *Febres acceſſoriæ*, *ſecundariæ*, *deuteropathicæ*, quæ & *ſympathicæ* & vulgo, ſed minus adpoſite, *ſymptomaticæ* dicuntur. Per has intelligunt tales, quæ

a) Alteri morbo ita accedunt, vt quomodo per ſe ori-

V 2 ri

ri debeant, nulla probabilis, nedum euidens ratio phyſico-mechanica occurrat.

b) Vnde illarum progreſſus & ſucceſſus non alius, niſi fortuitus eſt, prout complicati illius mali indoles admittit. Hinc etiam

c) Exitus ſecundum incertam hanc proportionem receptiuitatis alterius pathematis vel certus, vel, quod plurimum contingit, potius incertus eſt. Huc referuntur febres

α) *Rheumaticæ*

β) *Ílioſæ*

γ) *Inflammatoriæ*, quæ internarum partium aut viſcerum vitalium ſtaſibus, inflammationibus, vlcerationibus & ſcirrhis ſuperueniunt. e. g. *Phrenitis* meningum, *Paraphrenitis* diaphragmatis, *Pleuritis* membranæ pleuræ, *Peripneumonia* membranæ pulmonem cingentis & ipſius pulmonis, *Hepatitis* hepatis, *Splenitis* lienis inflammationi accedunt.

δ) *Inflammatoriæ* veterum, vt *Leipyria*, in qua ob magnitudinem inflammationis, quæ viſcera obſidet, parum ſanguinis in totum corpus permeat, plurimum vero in partibus adfectis intercluditur, vnde thorax & venter calent, extrema vero frigent. Vid. *Hippocrates Sect. V. f. m. 263. 268. Galenus Hippocrat. in comment. II. f. 28.*

Aſodes, quæ multa anxietate corripit.

Phricodes, ſeu horrifica, cuius inuaſio fit cum inſigni & admodum moleſto horrore.

ε) *Catarrhales*

Benigna, quæ lymphæ læſioni, ſiue a qualitate ſiue a motu coortæ, opponitur.

Maligna petechizans, in qua natura materiæ cuiusdam acris & agilis, in lympha hærentis, eliminationem intendit.

ζ) *Hungarica*, miaſmatis maligni expellendi cauſſa concitata.

η) *Ex-*

η) *Exanthematicæ:*
Petechialis, Miliaris, Purpura vitricata, Febris ſcarlatina, Variolæ & Morbilli.
ϑ) *Febres dyſentericæ.*
ι) *Chronicæ.*
κ) *Febres* ita dictæ *vulnerariæ.*

4) Ratione *finis*, a natura intenti, aliæ febres ſunt

(1) *Quantitatis*, ſeu minuendæ quantitati ſanguinis abundantis deſtinatæ, vt continentes.

(2) *Qualitatis*, ſeu corrigendi & expellendi gratia ſuſceptæ, quales ſunt *ſecundariæ*, ſigillatim deſcriptæ, & intermittentes.

(3) *Vtrique ſcopo* inſeruiunt
a) rheumaticæ & ſæpe
b) intermittens quotidiana.

5) Ratione *cauſſarum materialium*, propter quas febres fiunt, differentia cum immediate prægreſſa magnam quidem partem coincidit; ne tamen aliquid deſit, obſeruent tirones, quod intuitu cauſſarum aliæ febres ſint

(1) *Sanguineæ*, vt continentes.
(2) *Bilioſæ*, vt febris cholerica & cauſus.
(3) *Mucoſæ*, vt catarrhales.
(4) *Inflammatoriæ* ſupra enumeratæ.
(5) *Lochiales*, lochiorum vel imminutioni vel ſuppreſſioni ſuperuenientes.
(6) *Lacteæ*, ad lactis ſecretionem, quæ ob mammarum ſtricturam difficilius ſæpe ſuccedit, promouendam ſuſceptæ. Et quamuis de his bene monuerit *Stahlius in problemat. pract. febr.* quod potius *motus febriles* dicendi ſint, quam veræ febres typicæ: certum tamen eſt, quod facile nimis in veras febres exardeſcere ſoleant.

6) *Ratione indolis* ſunt

(1) *Legitimæ*, quæ conſuetis anni temporibus adfligunt, & dierum interualla, tam paroxyſmis quam criſibus deſtinata, decenter obſeruant ac opportune finiuntur.

(2) *Illegitimæ* ſeu *anomalæ, nothæ*, quæ intuitu momentorum, in legitimis occurrentium, a tramite penitus deflectunt, & ſymptomata inſuper inſolita ac grauia ſibi iuncta habent.

(3) *Benignæ*, quæ ordinarie viſcerum læſiones poſt ſe non relinquunt, nec ægros interimunt, vt ſunt intermittentes, & ex acutis reſolutoriæ ſeu continentes, catarrhalis benigna &, reſpectu abſentis contagii, etiam inflammatoriæ.

(4) *Malignæ*, quæ ſimul contagioſæ ſunt & cito iugulant, aut ominoſam labem internis partibus adfricant, vt ſunt febris petechialis, caſtrenſis, dyſentericæ. Interim quædam

a) Ex *benignis* ratione exitus merito pro malignis haberi debent, vt ſæpe animaduertimus in febribus inflammatoriis. Et contra

b) Ex *malignis* reuera quædam eodem reſpectu benignæ euadunt; quia multi emergunt, nec tamen viſcerum læſionibus corrupti ſunt.

(5) *Permalignæ*, vt peſtis & ſudor Anglicanus.

(6) *Simplices*, quæ propriam & ordinarie ſibi conuenientem indolem vnice referunt.

7) *Compoſitæ*, in quibus complicatio eſt, vel

a) Febris intermittentis & continuæ, vt

quotidiana }
tertiana } continua
quartana }

b) Febris continuæ & continentis.

c) Febres duplicatæ, vt

quotidiana }
} duplex
tertiana }

8) *Ratione prægreſſæ medicationis* aut obſeruati regiminis, aliæ ſunt

(1) *Corruptæ*, refractariæ, quæ ex aliis, quarum decurſus

ſus legitimus eſſe ſolet, prognaſcuntur, aut verius in tales degenerant, ob varios errores in medicatione aut diæta commiſſos.

(2) *Non corruptæ*, quæ ſub conſueto ſchemate decurrunt ac debite finiuntur.

9) *Ratione ordinis* aliæ ſunt

(1) *Typicæ*, quæ in progreſſu typos ſuos exacte ſeruant & totum ambitum decente ordine explent.

(2) *Erraticæ*, in quibus verus typus obſeruari nequit; vnde pariter indicare difficile eſt, num ad intermittentes an vero ad continuas referendæ ſint.

10) *Ratione originis & graſſationis* ſunt

(1) *Endemiæ*, certæ cuidam regioni propriæ, qualis febris peſtilens in Aegypto; intermittentes tertianæ & quartanæ in Belgio.

(2) *Epidemicæ*, quæ ex communi quodam ſiue aëris contagio, ſiue alimentorum vitio, certis temporibus populum corripiunt.

(3) *Sporadicæ*, quarum cauſſa in ſingularibus indiuiduis quærenda; dum v. g. iracundiam febres ardentesślioſæ ſequuntur: quemadmodum intenſa ſitis, ſub impetuoſo corporis motu excitata, & frigidorum potuum ingurgatione reſtincta, febres inflammatorias prouocare ſolet.

11) *Ratione* tandem *ſperandæ* reſtitutionis veteres diſpeſcere ſolebant febres omnes *bifariam*, nempe in

(1) *Scheticas*, quæ ſunt febres ἐν σχέσει ſeu diſpoſitione exſiſtentes, quæque altas radices nondum egerunt, adeoque facilius diſcutiuntur.

(2) *Hecticas*, ἐν ἕξει ſeu habitu conſtitutas, quæ ita iam confirmatæ ſunt, vt remoueri neutiquam poſſint. *Vid. Galenus de meth. med. lib. VIII. cap. I.*

4. Perſpectis differentiis, quas febres habent inter ſe, porro videndum, quomodo ab aliis rebus ſibi valde adfinibus & inprimis ab actibus vitalibus conſeruatoriis ordinariis curate diſtin-

diſtinguendæ ſint. Vbi probe notandum, quod febriles actus extraordinarii locis, modis, organis & directione a poſitiue vitalibus minime differant, ſed ſolo intenſionis gradu, qui neceſſario maior ſit oportet, quia extraordinariæ vrgenti neceſſitati opponendus.

5. Is autem intenſior motuum gradus conſpicuus eſt

1) In augumento circulationis ſanguinis, pro ſecretionibus & excretionibus *maiori* copia & *breuiori* tempore perpetrandis, ſecundum materiæ quantitatem & qualitatem.

2) In vberiore directione huius auctioris motus progreſſiui & tonici ad conuenientia loca.

3) In ſollicita harum rerum adminiſtratione, quæ intentis effectibus & reliquis proportionibus ad amuſſim quadrat. *Conf. Stahlii diſſ. de febrium therapia p. 14. it. de febris pathologia in genere theſi IV.*

6. Nec minus diſpiciendum erit, qua ratione febris ipſa reſpectu *temporis* differat. Vbi notandum, nos hic non loqui

1) de tempore generatim, in quo omnia ſub ſole fiunt.

2) neque de toto febrium ambitu, de quo iam ſupra actum eſt.

3) neque de tempore ratione ſubiectorum aut anni tempeſtatum præcipuorum. Nam vtrumque momentum in *tab. de differentiis morborum* diſtincte explicatum eſt. Sed

4) conſideramus hic febrium, inprimis acutarum, tempus, intuitu ſpecialis decurſus ſeu exitus, quem ſecundum ſtata dierum & horarum interualla obſeruant, tam inualeſcendo, quam decreſcendo; & totum illud tempus, quod quælibet febris pro ſpeciei ſuæ genio, prius quam deſinat, abſoluere ſolet, dicitur *periodus*, quæ in *valde acutis* ſeptenis imo & paucioribus diebus circumſcribitur, in *acutis* vero aliis ad decimum quartum & inde ad viceſimum primum extenditur. Vbi tamen temere non præteruidendi ſunt ſemiſeptenarii, quartus præcipue & vndecimus dies. *Vid. Stahlii theoria p. 926. & diſſ. de febris in genere hiſtoria theſi IX. p. 25.*

7. Hæc ipſa autem periodus in ſpecialiora iterum diuiditur tempora:

1) Primum dicitur *initium* ſeu tempus inuaſionis.

2) Alterum: *incrementum*, in quo febris ſenſim augetur, vt non modo æger; ſed etiam adſtantes id obſeruare poſſint. Iſta duo tempora in acutis includuntur ſeptenario primo; in aliquibus tamen die quarto exitus ſalutares oſtendi nouimus, qui die demum ſeptimo abſoluuntur.

3) Tertium tempus dicitur *ſtatus*, ſeu æqualis incrementi progreſſus, cuius vltimus gradus *ακμη* vocatur, & circumſcribitur ſecundo ſeptenario aut dimidia huius parte.

4) Quartum vocatur *declinatio*, in qua febrilis labor ſenſim decreſcit, & vires ſucceſſiue reſtaurari incipiunt, quod in tertium ſeptenarium incidit; licet non deſint, quæ ad ſeptenarium vſque quartum vel quintum protrahantur. Hæc febris declinatio contingit vel

(1) Per κρισιν, ſeu cito & quaſi ſimultaneo actiuitatis curriculo; id quod ſæpe in acutis contingit. Vocatur autem

a) *Criſis exquiſita* illa, quæ per ἐκκρισιν copioſam eamque ſimultaneam conſpicua eſt.

b) *Criſis minus exquiſita*, quæ ſine εκκρισει quidem ſed cum ſenſibili tamen mutatione in melius fieri ſolet, ſuccedentibus aliis excretionibus debitis, ſincere & conſtanter adminiſtratis, licet minime ſimultaneis.

(2) Per λυσιν ſeu ſucceſſiuam totius impetus diſſolutionem, quæ in intermittentibus maxime locum habet. *Conferatur ſemeiologia de criſibus.*

8. His itaque prælibatis vlterius progredimur, viſuri, quænam in febribus porro obſeruanda veniant ratione earum *ſucceſſus* & ſpecialium momentorum, quæ itidem relationem habent ad tempus. Vbi ſe offert

1) *Typus* febris ſeu complexus motuum, qui febris ſpeciem, indolem & progreſſum indicant. Hic typus duplici modo ſe manifeſtat, vel

(1) per indeſinentem motuum febrilium continuationem,

(2) per reſpirandi & requieſcendi alternationes, ſub quibus contingere ſolet aliqualis motuum

a) vel *remiſſio* ſeu ſepoſitio, vt in continuis,

b) vel *intermiſſio* temporaria, vt in intermittentibus.

2) *Paroxyſmus*, qui licet multum cognationis habeat cum *typo:* reſpectu tamen excretionum, quas in illo reſpicimus, ab hoc diſtinguendus. Eſt autem paroxyſmus febrilis impetus repetitio ſeu nouus adparatus motuum totius maſſæ ſanguineæ, qui eo fine readſumitur, vt materiæ febrilis portio quædam ſecreta per conuenientem excretionem eliminetur. Hinc in quouis paroxyſmo tria obſeruanda ſunt:

(1) Duratio

(2) Remiſſio & ſub hac ſuccedens

(3) Excretio, & huius iterum conueniens duratio ſeu excernendi modus, qui eſſe ſolet

a) vel *ſimultaneus*,

b) vel *ſucceſſiuus*, in quo porro conſideranda ſufficiens promotio, quæ patratur

α) per *leuem halituoſam* excretionem materiæ ſeu miaſmatis febrilis, quod ob ſui ſubtilitatem aliis craſſioribus excernendi modis plane non idoneum eſt.

β) per *diureſin*, in omni febre vtilem & neceſſariam, de qua *vid. infra obſ. 18.*

γ) per *aluum*, quæ licet nulli febri directe & eſſentialiter propria ſit: tertianæ tamen in ſubiectis conſiſtentis ætatis & petechizantibus magis, quam aliis frequens eſt. *Conf. Stahlii diſſ. de tertiana febris genium vniuerſum manifeſtante p. 17.*

δ) per *emeſin*, quæ tertianæ legitimæ ferme propria eſt; ſed nulli alii febri directe vtilis, nedum neceſſaria. Vnde raræ admodum ſunt *critici vomitus* & *criticæ diarrhœæ*.

ε) per

ε) per *hæmorrhagiam*, quæ paſſim in variis febribus euenire ſolet; de qua tamen notandum, quod, ſi extra ſynocham contigant, magis indiuiduorum, quam ſpeciei febris habenda ſit ratio. Synochæ autem ſimplici, hæmorrhagica excretio velut eſſentialis exſiſtit, & quidem cum ſalutari ſucceſſu, qui in aliis febribus ſæpe deeſt.

ζ) per *exanthemata* cutanea, determinatis & criticis temporibus erumpentia.

III. *SIGNA*

1. Signa generalia hic ſolum tradituri ſumus: quia partim pathologiæ generalis ſcopo ita congruit, partim quia ſpecialia & cuiuis febri propria in *Conſpectu noſt. med.* ſingularibus tabulis ea iam exhibuimus.

2. *Eſſentiale* ſignum conſtituunt motus ſanguinis progresſiui ſenſibiles alterationes, quæ in omni febre præſto ſunt. Reſpectu

   1) *motus efflui* ſeu pulſorii tamquam ſignum in febribus vere pathognomicum & tactu facile explorandum, occurrit pulſus *celer* & *frequens*, quorum realis diſtinctio videatur in *Semeiologia.*

   2) *motus reflui* ſeu *tonici*, variæ intenſiones & relexationes obſeruantur, quæ iterum certa ſigna ſuppeditant *num. ſeq.* ſigillatim enarranda.

3. *Accidentalia* ſigna habentur, quæ non tam ad motus febriles abſolute quid conferunt, ſed potius conſuetudine cum illis cohærent. Hinc obſeruatur

   1) Ratione *citatioris motus progreſſiui*

      (1) *calor*, naturali multo intenſior.

      (2) *Inflatio vaſorum* valde conſpicua; vnde

      (3) *Color* floridus & rubicundus.

      (4) *Sitis* in his magis auctior, in aliis remiſſior.

      (5) *Dolor* pulſatilis.

 2) Ra-

2) Ratione *motus tonici*, per viciſſitudines valde alterati,

(1) *Vaſorum* ſubſidentia,

(2) *Color* pallidus,

(3) *Peripheriæ conſtrictio*, &, quamdiu hæc obtinet,

(4) *Frigus* & extenuatio,

(5) *Oppletiua anguſtatio* interna

(6) *Reſpiratio anxia* & ſuſpirioſa. Remiſſo autem tono

(7) *Habitus externi* ſequitur *inflatio*, vt iterum turgidus & *color* excandeſcens adpareat, nec *reſpiratio* tam difficilis ſit.

3) Ratione *effectuum*, haſce motuum alterationes ſubſequentium, notandum: quod vna aut altera illarum excretionum, quas ſupra *ſub different. num. 8.* recenſuimus, placide tandem prorumpat & ordinarie quidem

(1) *lenis diapnoë*, interdum & larga diaphoreſis. Item

(2) *vrinæ coctæ* ſufficiens emiſſio, ſecundum colorem & conſiſtentiam a ſana differentis.

4) Ratione *rerum non naturalium*

(1) *adpetitus* proſtratus, immo nauſeabunda auerſio & abſtinentia a cibis obtinet. Potus vero ob guſtus deprauationem raro ſapit. Vnde vaga eius electio & frequens electi repudiatio.

(2) *ſomnus* nocturnus paucus, interruptus & ferme nullus eſt, qui vero interdiu obrepit, breuis eſt.

(3) *Impotentia* adeſt ad motum voluntarium & quasuis functiones animales, ob vires iam non externo ſed interno negotio adplicandas adeoque certo reſpectu deficientes.

(4) *quietis* loco ſenſus potius dolorificus adfligit. Es iſt alles wie zerſchlagen am Leibe, und haben auch vom Ruhen keine Erquickung.

(5) *animus* impatiens eſt, & ob ſummam ſenſibilitatem & ſollicitudinem facile irritabilis & moroſus.

(6) *Senſus* tandem externi extraordinarie vigent & ſolito acutius percipiunt. Vnde promtiſſime lædi aut ſaltem grauari poſſunt.

IV. SVB-

IV. *SVBIECTA.*

1. Subiecta febrium generatim ſunt *homines* : hi enim ſoli non tantum facile, ſed varie etiam, pro febrilis materiæ conditione diuerſa, diuerſis febrium ſpeciebus corripiuntu r.

2. Quæ enim in contrarium v. g.

1) de *canibus*, media æſtate, aut tempore hiberno in calido conclaui horrido tremore concuſſis, a cibo abſtinentibus & languore correptis, adferri poſſent, ea ita compatata ſunt, vt

(1) neque ſufficientem ſimilitudinem paroxyſmi febrilis oſtendant, neque

(2) pluribus diebus noua repetitione typica continuentur; vt adeo nihil ſolidi contra adlatam adſertionem inferri queat. Eodem modo ſe etiam habet cum altera obiectione, quam

2) ab *equis* deſumunt, quos ſubinde morbus cum horrido per vniuerſum corpus tremore inuadit, vt reuera frigeant. Sed hoc quoque malum equinum a vera febre differt

(1) *reſpectu continuationis*, in qua horror & frigus vniformiter durat & deſinit, vti primum cepit.

(2) *reſpectu exitus*. Vbi enim hocce malum, quod veterinarii *den Fiebel* vocant, præualeſcit, equos temulente procumbentes & apoplecticis ſimiliores intra nychthemeron occidit Igitur hæc ſingula theſin de febrium ſubiecto, in humano genere ſolum quærendo, minime infringunt.

3. Interim non perfunctorie conſiderandam iniungit *Stahlius* hanc ipſam febrium conditionem, ſecundum quam in ſubiecta humana vnice cadant: immo curatius penſitanti clarum erit, quod ferme ita euenire oporteat. Nam

1) *actus* ſecretorii & excretorii, noxiæ febrili materiæ eiiciendæ *deſtinati* &

2) ſub vario ſchemate febris continentis, continuæ, intermittentis, *ſuſcepti*;

3) cum reſpectiua proportione tam

(1) materiarum ad vias, quam

(2) efficaciæ illarum ad præceps periculum vitæ inducendum, *adminiſtrati*, neceſſario poſtulant & firmiter ſupponunt *energiam* tam rerum, quam actionum, *æſtimantem*; & hanc in homnibus longe eminentius, quam in animalibus, quæ vulgo bruta dicuntur, animaduertimus. Vnde

4) Hominem ſpecie plures & numero etiam frequentiores febres corripiunt in vtroque ſexu; licet nobiliorem facilius, quam ignobiliorem, infeſtari, experientia edoceamur.

4. Quod ad *ætates* attinet, certum eſt: adoleſcentes & iuuenes promtius in febres incidere, quam prouectiores.

5. Ratione autem *temperamenti* longe proniores exſiſtunt ad concitandos motus febriles *Sanguinei*, *Cholerici*, & quibus ex his mixtum temperamentum eſt, præ melancholicis & phlegmaticis.

6. Vti enim in illis in ſtatu ſano vitales motus ad eiiciendam corruptelam ordinariam, quotidie ſubnatam, promotires obſeruantur: ita in ſtatu præternaturali, vbi rebus vniuerſis, humoribus nimirum, organis, viis & intentione ad promtitudinem motuum excretoriorum ſatis expeditis, extraordinaria inſuper ſenſibilitas ſeu intenſior actiuitas, vigilantia & ſcrupuloſa æſtimatio acceſſerit; ibi facile febriles motus ſuſcipi poſſunt, & indoli materiæ proportionati, ſatis frequenter ſolent.

7. *Melancholici* contra penſitabundi, perpetuo ſolliciti, & de euentu rerum paulo difficiliorum male ſperantes, nihilque facile audentes, a febribus vtplurimum immunes viuunt, ſed aliis pathematibus diuturnis & ſemiotioſis magis ſubiiciuntur.

8. *Phlegmatici* pariter ſegniores, tædioſi ac ſomnolenti a vegetioribus motuum febrilium contentionibus abhorrent, variisque morborum ſeroſorum generibus languidioris ſucceſſus promtius vexantur, & non raro ſuccumbunt.

9. Ita

9. Ita etiam ad febres valde procliues ſunt homines, ad *iram præcipites*, & in iraſcendi adſuetudine velut obfirmati; licet cholerico temperamento haud fuerint. Nam probe notandum:

1) aliud eſſe diſpoſitione materiali & corporis ſtructura aptum & procliuem exſiſtere ad motus extraordinarios, &

2) aliud, animi habitum, corporeæ illi diſpoſitioni adcommodatum, & repetitis actibus adſuefactum habere, vi cuius, actiones *morales* eadem promtitudine exiguntur, qualem in *vitalibus* exercere homo alias iam conſueuit. Ex quibus palam fit atque per experientiam confirmatum eſt, quod plures cholericorum minus ſint iracundi, aut ad vitium vſque præcipites; cum contra *melancholica* & *ſanguinea* vtriusque ſexus ſubiecta offendantur, quæ vno die ſæpius ira excandeſcant, & in hoc adfectu multos cholericos longe poſt ſe relinquant; quare & illa febribus facile corripi nihil paradoxon.

10. Porro homines manifeſto plethorici, habitu athletico, lubrico &, vt *Hippocrates ſect. I. aph. III.* declarat, *non diu durabili* præditi. Nam hi facilius infeſtantur & ſub febris ſucceſſu diutius ac vehementius æſtu in paroxſmis adficiuntur. *Conf. Stahlii diſſ. de hiſtoria feb. p. 12.* & *Galenus de diff. febr. lib. I. cap. III. f. m. 30.* diſerte ſcripſit: *nihil mirum, ſi ex plethoris febres eueniant.*

11. His proxime tandem iunguntur, in quibus conſuetæ ſanguinis excretiones naturales imminutæ, ſuppreſſæ, aut artificiales neglectæ ſunt. Humorum ſiquidem coaceruatio & ſubſequens ſtatus plethoricus ſæpius requirit notabilem ſanguinis ſubtractionem & colliquationem. Vnde febres reſolutoriæ, Schmeltz Fieber bey vollblütigen Perſonen.

V. *CAVSSAE.*

1. *Cauſſa materialis*

1) *Generalis* in non paucis febribus omnino plethora eſt, præcipue commota. Dantur autem etiam plures febres, quæ a vitio qualitatis dependent.

2) *Spe-*

2) *Specialis*, ſeu res illa corporea, *propter* quam motus febriles, tamquam medicina noxæ opponenda, ſuſcipiuntur, eſt materia, quæ tam ſanguinis, quam reliqui corporis mixtionem, penitiſſima, fermentatiua, putredinoſa corruptione euertere poteſt. Quod adſertum clarius euadet, ſi per præcipua febrium genera eundo eius veritatem ſpeciali deductione monſtrauerimus. Ita

(1) *in febribus peſtilentibus* ſubtilem eiusmodi materiam, in forma tenuiſſimi vaporis vagantem, ſubeſſe & corporibus ſe inſinuare, experientia abunde docuit. Quod vero indolem habeat tam ad ſubeundam, quam concitandam putredinem, id a *poſteriori* ſeu ab effectu cognoſcitur. Nam

a) *In viuis*, ſi corruptela peſtilens intimius penetrat & arctius in partibus, præcipue muſculoſis, impacta detinetur, *anthracem* format ſeu tumorem, qui repente in *gangrænam* & mox in præcipitem *ſphacelum* degenerat, qui ipſe ſumme agilis ac fermenteſcens putredo eſt.

b) *In mortuis*, ab efficacia materiæ peſtiferæ victis, cadauera præcipiti putredine ita corrumpit, vt pleraque ipſorum ne quidem rigorem illum ſubeant, qui alias mortem ordinarie ſubſequitur. Hinc ſpumida inflatio & in quibusdam floridus genarum rubor, qui harum rerum ignaris magnam admirationem adfert.

(2) In *contagioſis febribus* materia peccans gradu actiuitatis mitior quidem deprehenditur; ſed quia ſubiecta eiusmodi contagio enecata celerrime computreſcunt, energiam æque putredinoſo-fermentatatiuam ſatis demonſtrant.

(3) In *variolis* ſumme quidem maligna non eſt illa materia, ſed gradu omnino differt. Interim tamen putredini proximam eſſe, vel inde conſtat, quod talis corruptela, quæ ſuppurationibus fomitem præbet, & ſollicita naturæ machinatione in pus conuertitur, ſibi relicta,

directe

directe in ſphacelum ruat, neque inter ſuppurationem & mortem tertium aliquod medium detur.

(4) In *febribus ſanguineis* putredo quidem corruptionem minitans præſens non eſt, ſanguis tamen *ante* aut *proxime* valde *commotus*, adeoque ad ſubeundas altiores irruptiones, ſtaſes, inflammationes & putredinem admodum habilis, ſolo hoc reſpectu, cauſſa materialis fit, *propter* quam febris præoccupandi & ſubtrahendi ſcopo ſuſcipitur ante, quam periculum inualeſcat, & ſanguis putrefactiuam energiam concipiat, quæ difficilius longe & ancipiti prorſus conamine expugnatur.

(5) In *febribus inflammatoriis*, quæ ratione tragici euentus peſtilentibus vix cedunt, vti e viſcerum nobiliorum & partium externarum profundius vulneratarum inflammationibus euinci poteſt, materia itidem cauſſam *proximam* putredinoſæ corruptionis conſtituit: vti pridem demonſtrauit *Stahlius in diſſ. de inflammationis vera pathologia.* Quod ipſum etiam notandum de *febribus bilioſis*, *petechialibus*, *dyſentericis*, & quæ familiari illo ſymptomate, aphthis nimirum & prunella, ſtipatæ ſunt; quarum indoles inflammatoria gangrænodes procliuitatem in celerem putredinem ſatis ſuperque prodit.

(6) In *hecticis* & *lentis* recte ab auctoribus accuſatur

a) vel *vlceratio* actu exſiſtens in viſcere aliquo nobili & vberiori ſanguinis acceſſui patente.

b) vel *ſcirrhoſa* conſtitutio, quæ in veram vlcerationem indies magis propendet & putredinoſæ corruptionis periculo vtique obnoxia eſt, quam quidem natura inflammatorio actu aliquamdiu oppugnat, vbi autem a magnitudine læſionis vincitur, tandem morte laboribus finem imponit.

(7) In *intermittentibus*, vbi in primis viis ſeu ventriculo & inteſtinis, aut vero in hepate, liene, pancreate aliisque glandulis materia febrilis hæret, alia primo intuitu videri poſſet cauſſa, quam putredinoſa eiusmodi corruptela. Verum enim vero, illa ipſa materia, in dictis

 locis

locis hærens, ad ſimilem corruptionem diſpoſitionem habet longe certiſſimam. Et quod amplius eſt, in hiſce febribus nouum ſemper talis materiæ ſubnaſcitur augmentum ſub paroxyſmo frigoris, in quo diurna ſanguinis ad loca adfecta coaceruatio & circa vaſa interiora magis capacia reſtagnatio obtinet. Vnde ſpiſſitudo, penitior impactio, metuenda ſtaſis & proxime euentura corruptio; cui præoccupandæ & auertendæ vniuerſus motuum adparatus deſtinatus eſt.

2. *Cauſſa formalis*

1) *generatim* eſt motus ſanguinis progreſſiuus ſolito auctior, pro motibus ſecretoriis & excretoriis breuiori tempore & maiori copia perpetrandis, prout nimirum materiæ quantitas & qualitas id requiſiuerint.

2) *ſpeciatim*

(1) *variæ directiones tonicæ* verſus loca adfecta & colatoria.

(2) *vtrorumque* conueniens & efficax *proportio* ad proſequendas operoſiores & extraordinarias, ſucceſſiuas tamen, ſecretiones & excretiones ſalino-ſulphureorum apoſpaſmatum, ad ſubeundam fermentationem & concitandam veram corruptionem putredinoſam idoneorum.

3. *Cauſſa efficiens*

1) Secundum placita *veterum* habetur

(1) *Calidum & amarum*, calidum & acutum, aut ſalſum & calidum aliaque innumera; immo & frigidum aliis facultatibus iunctum. *Conf. Hippocrates de med. priſc. ſect. I. f. m. 16.*

(2) *Humorum abundantia*; ſi v. g. humor alius alio fuerit copioſior, tum febrem homini ſuboriri adſerit idem ſenex *Cous lib. IV. de morbis ſect. V. f. 64.*

(3) *Bilis*, de qua idem diſerte docuit, quod febrium continentium, quotidianæ, tertianæ & quartanæ cauſſa ſit. *Vid. euſd. liber de natura hominis ſect. III. f. 10.* Cui pleno conſenſu adplaudit *Laur. Ioubertus in Decad. II. paradox.*

radox. III. f. 97. qui omnium ſebrium cauſſam efficientem bilem conſtituit.

(4) Aſſeclis *Galeni* veteribus quintuplex cauſſa efficiens placuit; nimirum

a) *additamentum materiæ*, ad concitandam febrim aptæ, v. g. ingeſtio ſpirituoſorum, aromaticorum calidorumque potuum.

b) *Motus nimius*, vel

α) a cauſſis internis ſuſcitatus, veluti accidere ſolet in adfectuum vehementia; vel

β) per impetuoſum corporis exercitium productus.

c) *Adſtrictio*, quam per glutinoſitatis arefactionem & hinc euenientem vaſorum ac meatuum corrugationem explicant; quibus ita conſtrictis, humores in interioribus magis coaceruati, febrem incendere perhibentur.

d) *Putredo.*

e) *Calor* ab extra corpus adfligens & febres prouocans. *Conf. Galenus de præſagio experientia confirmato f. m. 75.* quæ diſtinctius explicata legas in eius *lib. de cauſſ. morb. cap. II. f. m. 6.* Et iſthoc placitum pluribus ſuperioris ſæculi doctoribus adeo placuit, vt de alia cauſſa ne cogitauerint quidem. *Vid. Greg. Horſtii opp. tom. III. exercit. I. de feb. quæſt. VIII. Sennertus de febrib. lib. I. cap. II. Paul. de Sorbait Iſag. pract. f. m. 496.* qui prolixa commentatione hanc ipſam opinionem exornare ſtuduit.

2) Secundum *placita recentiorum*

(1) *Fermentum* quoddam febrile ſupponitur; cuius tamen futilitatem paulo poſt monſtrabimus.

(2) *Circulatio ſanguinis*, in capillaribus vaſis hinc inde *impedita*, ab aliis adfertur, qui, poſthabito aliorum fermento, rem acu tetigiſſe autumant. Quodſi autem quæras: quænam illæ cauſſæ ſint, quæ circulum ita impeditum reddant? accuſari audias vel:

a) *vitium ſeri ſanguinei*, acorem, craſſitiem & viſciditatem adepti; vel

b) *vitium pororum cutis* ac vaſculorum capillarium a frigore externi aëris aut ab aqua frigida conſtrictorum; vel

c) *vitium humorum adeo corroſiuorum*, vt ſanguini nimiam fluiditatem & malignam diſſolutionem concilient.

(3) Qui *Carteſianis* opinionibus delectantur, ii rem ἀκριβῶς expediuiſſe exiſtimant, dum febrem, ceu præternaturalem calorem, a violenta & celerrima ætheris per poros ſanguinis traiectione prouenire putant; quemadmodum circulus & naturalis calor ab inteſtino motu particularum elaſticarum ſanguinis & ſpirituum animalium dependere iudicant. Sed falſitatem huius opinionis ex iisdem principiis bene demonſtrauit *El. Camerarius in ſyſt. cautelar. p. 205. 209.* Vt cumulum principii petitionum disiicere iam non adgrediamur.

(4) Hinc *recentiſſimi æui* auctoribus in aliam ire ſententiam viſum eſt: ita quidem, vt *cauſſam efficientem* febris omniumque phænomenωn ſtatuerent velociorem cordis contractionem, quæ a reciproco & velociore liquidi neruei ac cerebelloſi in muſculos & caua cordis influxu producatur. Cauſſam vero velocioris influxus deriuant ex rerum non-naturalium abuſu. Quare hoc ſuppoſitum ab adſerto *Galeni* parum aut nihil differt. *Conſ. Bœrhaave aphoriſ. de cognoſc. & cur. morb. §. 570-586. C. L. Wucherer diſcurſ. de ſtatu Corp. hum. præternat.*

(5) Et hac via incedunt alii quoque doctores acroamatici, qui cauſſas materiales faciunt motuum efficientes, & ab illarum actiuitate neruoſarum partium ſyſtema ad ſpaſmos irritari & ad intenſiorem contractionem ſollicitari ſtatuunt. Vnde febrim tamquam ſpaſmodicam vniuerſi ſyſtematis neruoſi & vaſculoſi adfectionem conſiderant, cum qua omnium functionum læſio coniuncta ſit.

(6) Sed

(6) Sed miſſis his opinionibus, quæ ne veri quidem ſimilitudinem habent, ex vero pronunciamus, quod, vti cauſſa efficiens omnium motuum, ſecundum naturam fientium, natura humana eſt, ſeu anima rationalis: ita præternaturales eidem, tamquam cauſſæ principali, corporis ſui organici conſeruationi intentæ, iure tribuuntur. *Conf.* quæ in *phyſiolog. de motore corp.* prolixe iam diſſeruimus. *Vid. & infra ætiologia paroxyſmi.*

4. *Cauſſa finalis*

eſt materiæ febrilis, quæ partibus vitalibus tam fluidis, quam ſolidis, intimiorem corruptionem inferre poſſet, eiusque energiæ ante, quam in effectum tranſeat, proportionata præoccupatio & expulſio, vt corporis & vitæ conſeruatio obtineatur.

5. *Cauſſæ occaſionales:*

1) *Aër* impurus, putridis ac variis miaſmaticis exhalationibus inquinatus; qualis eſſe ſolet tempore æſtiuo circa lacus, paludes & loca cadaueribus, poſt prælia non ſatis profunde defoſſis, repleta.

2) *Aeſtus* nimius, cuius peſtiferum affectum olim expertæ ſunt *Athenæ*, vbi horrendam ſtragem edidit peſtis, immodicum calorem inſecuta, teſtibus *Thucydide* & *Galeno*, cuius *vid. lib. I. de diff. febr. cap. IV.*

3) *Refrigerationes* crebræ & vniuerſales, in primis poſt vehementiorem corporis motum.

4) *Cibus* promtæ putredini obnoxius, dyſpeptus, aut qui ſanguinem motu inteſtino acrius exagitat.

5) *Potus* ſpirituoſus, largiter adſumtus, & ad temulentiam vſque ingurgitatus.

6) *Vigiliæ* frequentes, præcipue minus adſuetæ.

7) *Motus* corporis impetu exorbitans, quem ſanguinis intenſior æſtus & orgaſtica expanſio excipit.

8) *Vita otioſa*, qua variæ impuritates facile coaceruantur ac retinentur, donec tandem, periculum minitantes, per

 febrem,

febrem, tamquam per actum purgatorium, e corpore proſcribantur.

9) *Animi pathemata* e. g. ira, terror, triſtitia; quorum maior longe vis eſt in febribus concitandis, quam vulgo creditur.

10) *Conſuetudo* & indiuidualis procliuitas ad motus extraordinarios promte ſuſcipiendos & continuandos.

11) *Excernenda* præter naturam retenta, de quibus num. 8) diximus.

12) *Contagium* & cum infectis iugis conuerſatio.

13) De his autem omnibus ac aliis procatarcticis cauſſis monuit iam *Galenus loc. num. 2) cit.* quod ſine prædiſpoſita aptitudine ſubiecti agere & veram febrim excitare non valeant.

6. *Aetiologia effectuum* ſeu, vt vulgo audiunt, *ſymptomatum*, quæ inſeparabili potius nexu cum febre cohærent, quam vt aliquid ad illam conferant, opportune ſubiungitur cauſſis, vt eo diſtinctius pateat, quæ ſymptomata paſſiua materiæ febrili, & contra, quæ ſoli vitali principio, ad certum finem agenti, adſcribenda ſint. Præter celerem itaque pulſum & ſecretiones ac excretiones auctiores præcipuum accidens eſt,

1) *calor*, qui ſenſibus externis obuius exſiſtit, & a nulla febre abeſſe poteſt; quia in omni febre, legitime decurrente, certæ eccriſes ſequi debent, quæ ſine auctiore motu, adeoque & ſine calore numquam exſpectandæ ſunt. Neutiquam ergo imaginarium accidens eſt, veluti *Bontekoe* aliis perſuadere voluit; cum non æger ſolum, ſed quiuis eum attingens, nullo negotio auctum calorem percipiat. Verum præterea eſt, quod febriens eum longe ſentiat intenſiorem, quam phyſico gradu exſiſtit, ob maiorem ſenſationis actiuitatem, tempore febris valde manifeſtam. Itaque de febrili calore notamus: quod

(1) *cauſſa eius* non ſit aliqua materia *primi* vel *ſecundi elementi* ad *Carteſii* mentem; multo minus *Peripateticorum elementum ignis*, vel *Williſii ſpiritus lucidi*, aut, ſecundum

dum recentiores, *ætheris tenuiſſima ſpecies.* Hæc enim omnia ad excitandum calorem plus non valent, quam chemicorum figmentum de *ſulphuris* in ſanguine *figura ramoſa,* quam in ſubſidium aduocarunt *Beckius,* le *Mort* horumque aſſeclæ, quibus omnibus ſua placita relinquuntur.

(2) *Verior* autem *conceptus* de calore is eſt:

a) *Subiectum caloris* eſt ſanguis, ſtricte dictus, qui poſtquam ſemel incaluit, etiam reliquas partes calefacit & varios dolores diſtendentes ac æſtuantes poſt ſe trahit.

b) *forma caloris:* tenerrimi ac citatisſimi *motus inteſtini* ſpecies, quo illius particulæ iuxta & inter ſe inuicem crebro celeriterque agitantur. Is vero *inteſtinus* motus porro concitatur

α) *generatim* a motu *progreſſiuo* & per ſubtiles poros anguſtosque meatus ſanguinem propellente.

β) *ſpeciatim* a ſanguinis alliſu & attritu ad ſolidos parietes, fibras nimirum, quæ pororum ac meatuum ſunt interſepimenta.

2) *Frigus,* quod in pluribus contingit, plerumque deriuatur

(1) a *ſanguinis ſeroſa vapidaque diſpoſitione;* quia vero iſta non ſemper ita occurrit; hinc a *ſanguinis* quoque æſtu, ſub ſtaſi eiusque tardiore motu, qui frigus *priuatiue* peripheriæ imprimat, dependere illud credunt. Et ex hoc ſuppoſito porro docent: frigus, corporis ambitum occupans, non prouenire ab extremorum vaſculorum conſtrictione & ſanguinis ex iisdem expresſione & vlteriore retrocesſione, ſed ab interiorum partium grauiore labore & turbati ſanguinis ſpisſioris confuſione; vnde ſpaſmi interius excitati ad cutis quoque ambitum diffundantur & frigus inducant.

(2) Sed *ab humorum* a peripheria ad interiora *repreſſione* frigus oriri, fuſius demonſtrauimus in *phyſiol. tab. de motu*

motu tonico. Qui actus, cum ſine manifeſta partium conſtrictione & vaſorum inanitione fieri nequeat: tum facilius erit *palloris*, *ſenſus oppletiui* & anguſtantis, *ſegniorisque circulationis* explicatio. Hæc autem ſub frigore eo certius eueniunt in illis caſibus, in quibus vel

a) fomes totius febris circa interiora hæret & copioſam adfuſionem humorum poſtulat, pro iuuanda ſecretione & excretione; vel vbi

b) excretio peripherica impedita aliam excretionis ſpeciem neceſſario requirit.

3) *Inadpetentia ciborum* non contingit paſſiue a cauſſa nude phyſica, ſed conſiderationem moralem & principii agentis reſpectum finalem inuoluit. Nam

(1) febris motibus abſoluitur colliquatoriis & purgatoriis; ideo tempore neceſſariæ exonerationis *multum ingerere* & primas vias amplius onerare, non modo abſonum, ſed naturæ intentioni e diametro eſſet contrarium.

(2) Deinde *alienum* plane foret, quantitatem ſanguinis v. g. in ſynochis, nouo indies prouentu augere. Neque

(3) *fieri poſſet*, vt ſub tanta motuum concitatione ſanguis nouus tranquille ſatis perficeretur. Immo

(4) *temerarium* tandem videretur, eo tempore, quo putredinoſæ corruptionis ſeminia præſto ſunt, & magna naturæ contentione ſubiguntur, tales materias ſuppeditare, quæ proxima diſpoſitione ad putredinem aptæ ſunt: cuius modi chylus eſt, quem fercula, ex animalibus parata, ſubminiſtrant. *Conf. Stahlius de abſtinentia & nauſea carnium in morbis præcipue acutis.*

4) *Sitis* quoque nón eſt ſymptoma paſſiuum aut fortuitum, ſed *actiuum* & rationale, non quidem, vt ignis in corde accenſus exſtinguatur, ſed vt

(1) humores diluantur.

(2) viæ partium humectentur.

(3) motus progreſſiuus generatim expeditior fiat, ſpeciatim vero

(4) ſecretiones & excretiones promoueantur & facilius abſoluantur. Patet ergo ratio, cur in paroxyſmo frigoris ſubiecta quædam potui tantopere inhient, curque contra in continuis febribus nonnulli ægri rarius bibant; vbi enim parcior humiditatum eſt diſſipatio, ibi languidior bibendi adpetitus, & in vicem verſam.

5) Sic quoque *vigiliæ* non oriuntur a copioſiore ſpirituum animalium influxu in organa ſenſoria, vti prolixe in *Hygieine noſtra* demonſtrauimus; ſed ab extraordinaria *actiuitate*, quam in negotio extraordinario, intente dirigendo, ac circumſpecte proſequendo, natura exſerit, & agere ita debet, quia

(1) *incertitudo euentus* ſæpius ſubeſt, propter res accidentales

(2) *ſollicitudo*, diffidentia, immo ſuſpicio externarum læſionum & interuerſionum, quæ forte obtingere poſſent, ſomnum excutiunt omnemque ſecuritatem procul eſſe iubent. Hinc ſomnus vel nullus, vel paucus, vel ſæpe interruptus.

6) *Impotentia* ad motus voluntarios iuſte ac rationaliter concurrit in febribus. Nam

(1) in acutis præcipue vita non raro valde periclitatur: hinc αλλοτρια & quæ ad morbum felicius tollendum nihil conferunt, vti fere fit ſub motibus voluntariis, ſuſcipere, αλογον omnino videtur.

(2) deinde agitatio corporis blandas ſecretiones haud mediocriter impedit; quemadmodum ſedendo, ob vaſa iliaca & cruralia compreſſa, ex ratione phyſico hydraulica plus ſanguinis ad caput regurgitare ſolet. Præter ea

(3) rationi conforme eſt, tanto plus energiæ motuum animalium decedere, quanto intenſius actibus vitalibus iam operari natura debet.

7) *ſenſibilitas* autem ſeu ſenſuum externorum exquiſita actiuitas tunc manifeſtior eſt. Longe enim exactius *ſentiunt*

Z ſub-

ſubiecta durante febre, quam alias; *auditus* eſt ſolito acutior; *olfactus* ſubtilior; & *viſus* promte nimis a luminis radiis læditur; ſolus *guſtus* deprauatus eſt, de qua re in *Semeiologia* plura dicemus.

8) *paroxyſmi* tandem eorumque ſtati reditus cauſſæ adhuc explicandæ ſunt, ita tamen vt potiora quædam aliorum placita iterum præmittamus. Opinabantur nimirum Medici

(1) *antiquiores* paroxyſmorum reuerſionem deriuandam eſſe ab iterato flammulæ vitalis in corde facto incendio, & ſcintillarum per ſanguinis latifundium oberrantium inflammatione.

(2) *recentiores* in duas potiſſimum abeunt ſententias, quarum prior ſtatuit,

a) *fermentationem* materiæ febrilis periodice ita fieri ſecundum commenſurata tempora, quoties nimirum tanta eius in interioribus de nouo collecta ſit, quanta ad alterandam circulationem ſanguinis & concitandum paroxyſmum ſuffecerit. Sed iſthæc intellectu & explicatu ſunt difficillima. Nam

α) *Fermentum* & *materia fermentationis* omni veriſimilitudine deſtituta & a nullo vmquam demonſtrata, ſed nude ſuppoſita ſunt; quare plerosque etiam recentiſſimi æui Medicos eorum pudet, vt nec refutatione digna illa cenſeant.

β) Ipſa hæc fermentatio, putredini veterum ſurrogata, ab hac re vera non aliter differt, niſi vt genus a ſpecie. Quod ſi vero fermenti defenſores aliam fermentationem intelligerent, quam putredinoſam: tunc in corpore animali illam non inuenirent.

γ) Inextricabilis occurrit difficultas, qua ratione per interuallum, duobus paroxyſmis interiectum, præciſe tantum materiæ, non plus nec minus, colligatur, quantum ſuſcitando nouo paroxyſmo ſatis ſit.

ſit. Maxime autem omnium hanc premit ſententiam, quod materia illa conſcia eſſe non poſſit temporis & horæ, quibus iterata exacerbatio contingere ſolet.

δ) Porro infringit hanc opinionem experientia, qua teſte, paroxyſmi æqualiter reuerti obſeruantur in ſubiectis infantilis & puerilis ætatis, æque ac in ſenibus; cum tamen longe parcior quantitas talis materiæ in paruis illis corporibus ſupponenda eſſet, quæ in adulto paroxyſmum excitare neutiquam ex hypotheſi valeret.

ε) Præterea ſi vel maxime certæ materiæ, de nouo in corpore renatæ, paroxyſmi repetitionem tribuere vellemus, expediendum prius & ſcientifice demonſtrandum eſſet: quantum materiæ accurate ad paroxyſmum requiratur. Vtrum v.g. paucior eius copia leuiores & breuiores non poſſit efficicere paroxyſmos? Cur leuiores paroxyſmi nihilo ſecius paria reditus tempora obſeruent? Qui fiat, vt materia, ſecundum ſanum iudicium practicum, per diaphoreſin, diureſin & catharſin penitus ſublata, paroxyſmi ſæpe ex nuda conſuetudinis pertinacia continuent? Quid materiæ tum accidat, quando v.g. paroxyſmus caſu ſupprimitur, ita vt amplius non redeat; quod in ſubito terrore, inſperato gaudio, acerba triſtitia & aliis fortuitis occaſionibus, v. g. incendii rumore, hoſtili inuaſione, nuncio de amicorum obitu, inopinata capituitate, verberibus & aliis paroxyſmum ſedantibus moralibus ac politicis cauſſis, diu obſeruatum eſt. Denique cur, ſi in ſomni tempus inciderit, impetus longe ſit tolerabilior & duratio breuior, quam extra illud tempus? & cur ſub his circumſtantiis ſæpe prorſus emaneat?

ζ) Minime omnium per hanc hypotheſin explicari poteſt, quid efficaciam ſubito addat materiæ, vt paroxyſmus *maturius* excitetur, quando intempeſtiue carnes adſumſerint febrientes, vel ferculorum nidore,

 ſibi

ſibi tunc temporis valde nauſeoſo, capti ſint, vel ex nudo ciborum adſpectu aut ſola eorum mentione, febris promte recurrat.

η) Porro quid ſibi velit paroxyſmus, ſponte poſt annum recrudeſcens & eodem die, hora eadem, qua ante annum inuaſerat, ſine manifeſta cauſſa, corripiens?

ϑ) Tandem quis curate definiret materiæ fermenteſcentis indolem & energiam, quod in *continuis* exacerbatio circa *veſperam*, in *intermittentibus* autem vel quotidie *ſemel* aut *bis*, vel poſt vnum nychthemeron *ſemel* aut *bis*, poſt duo nychthemera *ſemel* & tardius v. g. in quintanis, octanis contingat. Quæ enim *Car. Muſitanus in pyretologia ſua* ſeu *nouo ſyſtemate de febribus cap. XX.* attulit, ita ſane comparata ſunt, vt valde incongrua ſint, & principii petitione perpetuo laborent. Potius conferendus eſt *Stahlius in theoria p. 938. ſ. & diſſ. de tertiana, febris genium vniuerſum manifeſtante cap. V.*

b) Alii contra *obſtructioni*, ſeu *ſanguini* confuſo, ſpiſſo & per tenuiſſima vaſcula ferri minus apto, tribuunt totum paroxyſmi negotium, adfirmantes, quod ob illius craſſitiem circulatio euadat laborioſior & ab irritatione, cordis pulſatio celerior ac frequentior. In primis autem volunt, pulſus celeritatem non teſtari de celeri ſanguinis motu, ſed de onere potius & obice oppoſito. Vnde & paroxyſmum tum ſolui credunt, cum circuli inæqualitas ad æquabilitatem redierit, apertis vaſculis antea obſtructis.

c) Verum eædem difficultates nouum hoc placitum premunt, quæ fermentationis futilitatem.

α) Quis enim demonſtrauerit ſanguinem v. g. in tertiana pro paroxyſmorum numero, quater, ſepties, duodecies aut pluries inſpiſſatum ac iterum reſolutum fuiſſe.

β) Et quæ tum vera eſſet cauſſa toties repetitæ inſpiſſationis?

γ) Quæ

γ) Quæ cauſſa ſtati ſecundum horologia reditus?

δ) Quæ tandem vaſcula illa, a ſpiſſo ſanguine ante paroxyſmum obſtructa, poſt illum aperta? Num arterioſa, an venoſa? *Conf. tab. de hæmorrhagiis nat.*

ε) Cuius denique ſit indolis, conſiſtentiæ, quantitatis, illa *materia obſtruens*, quæ in quotidiana duplici vno die bis vaſcula obſtruat, in tertiana vero ſimplici poſt vnum nychthemeron ſemel id faciat?

d) Nos itaque cauſſam paroxyſmi adſerimus illam ipſam eſſe, quam efficientem febrium ſupra iam diximus, ſcilicet immaterialem, ſapientem & ad certum finem operantem; quia

α) *motus* ipſi febriles, qui propter materiam, parti vitali corruptionem minantem, ſuſcipiuntur, iuſtam æſtimationem tam partium & actionum, quam periclitationum, euentuum & intentionum, pericula auertendi, ſupponunt, quæ de materia prædicari nequeunt.

β) *Intentionis* autem exſecutio requirit porro, vt materia noxia mobilis & ſecretioni apta reddatur, ad conuenientia loca & colatoria propellatur, actu ſecernatur & debito modo excernatur. Quæ momenta iterum cauſſam longe nobiliorem, quam materialem arguunt.

γ) *Alterationes paroxyſmi* & interuerſiones, ab animi pathematibus inductæ, pariter hanc theſin confirmant, vt paulo ante iam monuimus.

δ) Cum vero in continuis *nulla*, in intermittentibus autem *notabilis* per plures horas, immo vnum alterumque diem, *intermiſſio* motuum occurrat; nulla videtur certior ratio, quam principii agentis iuſta æſtimatio, quæ indoli materialis noxæ ſuperſtructa eſt. Nimirum, ſi periculum inde metuendum fuerit præceps, tunc nullus intermiſſioni conceditur locus, vt in continentibus & continuis, licet in his aliqualis

remiſſio obſeruetur. Vbi vero noxa lentioris eſt energiæ, ibi per vices aliquid laboris impenditur & vniuerſum negotium lenta feſtinatione abſoluitur.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Febris *denominatio* cum ipſa *re*, ſeu motibus ſecundum naturæ intentionem ſuſceptis, & materiæ quantitati ac qualitati proportionatis, optime conuenit. Deriuamus enim illam ab antiquo *februo*, quod idem ſonat, ac *luſtro*, *expurgo*. Solebant ſcilicet *Romani* per duodecim continuos *Februarii* dies ſolemnes expiationes & luſtrationes celebrare, quas *februa* dixerunt; eo fine inſtituta, vt damna quæuis, a *Manibus* defunctorum metuenda, depellerent ipſasque animas placarent.

2. Perperam igitur *Paul. de Sorbait* a *feritate*, & *Laur. Ioubertus* aliique a *ferueo* deducunt, vt ſuppoſitæ fermentationis ſanguinis partes tueri poſſint; maxime quia græca denominatio, ab igne deſumta, & veterum de febre conceptus, per multa ſæcula placuit, & hodie paſſim ſuos obtinet patronos.

3. Secundum enim *veteres* febris eſt *ignis a thorace incipiens & flammam ad caput mittens*; ſeu caloris naturalis in igneum conuerſio & in corde accenſio, quæ ſpirituum ope per arterias in vniuerſum corpus diffuſa, actiones lædat. Alii perhibent eſſe intemperiem aut cordis feruorem, præter naturam calidum, a ſanguinis fermentatione vel benigna vel maligna prouenientem, & vel ſine coagulatione & congelatione, vel cum his complicatum. *Conf. Galeni comment. in Hippocrat. de victus ratione in acutis f. m. 176. Sennertus de febrib. lib. I. cap. I. Ioubertus decad. I. paradox. VI. f. 47. Williſius, Wedelius.*

4. Quamuis vero in omni febre æſtus præternaturalis obſeruetur: æſtus tamen non ipſam febrem conſtituit, ſed eſt accidens inſeparabile, ob rationes ſupra indicatas. Vnde neque *Græcorum* πυρετος, neque recentiorum deriuatio a *feruendo*, comparationis tertium oſtendit, quemadmodum altera a *februis* ſponte fluens egregie id ſubminiſtrat.

5. Sicuti enim *Romani* februatione ſua religioſa mortuorum animas

mas e ſepulcris reuerſas & in ædibus oberrantes ex illis abigere & inde pendentia pericula præcauere ſtuduerunt: ita natura quoque per febrem

1) *generatim* corporis viuentis purgationem præſtat,
2) *ſpeciatim* vero corruptelam veluti ſepulcralem putridamque hoc actu eliminat, & imminens inde mixtionis animalis periculum auertere contendit.

6. Febris non eſt pathema, quod tam facile tamque crebro vnicuique homini per totum vitæ tempus eueniat, multo minus diuerſarum ſpecierum febres frequentes eſſe ſolent vni indiuiduo. Sed ſi a vulgari ſchola medica allegatæ cauſſæ valerent: quilibet profecto homo qualibet hebdomade febrim promte incurrere cogeretur. Quia tamen teſte experientia hoc non fit; in aprico eſt, quod cauſſæ, febres prouocantes, rariores ſint, quam vt quotidie efficaciam earum experiamur.

7. Immo multi medios inter diætæ errores vitam tranſigunt, qui vel alimentis fruuntur ſalinis, acidis, tartareis, fermentantibus, ſpirituoſis, acribus; vel frigoris, caloris, ſudoris & aëris notabiles ſubeunt alterationes, quorum tamen plurimi numquam, pauci autem rarius febre corripiuntur.

8. Interim antiqua illa traditio, quod putredo ſit cauſſa febrium, non plane ſine ratione formata videtur; ſi modo dextre & rei veritati congrue fuiſſet explicata. Quo reſpectu febris cauſſa dici poſſit, ſupra iam ſub *cauſſa materiali* indicauimus; eo vero ſenſu, quo veteres illam interpretati ſunt, tamquam actu præſentem & copioſius in corpore diffuſam corruptionem, admitti nequit, quia oppido falſum eſt. Nam vbi latius putredo in humores diffunditur, ibi motus mature ceſſant & corpus corruptioni vltro relinquitur.

9. Animaduerterunt hoc recentiores quidem, ſed minus feliciter antiquam theoriam per fermentationis placitum emendarunt, quod ſupra iam ſub *ætiol. paroxyſmorum* notatum eſt. Vbi tamen valde mirum, quod in tanta contentione pro energiis & reſpectibus mechanicis nemini in mentem venerit.

1) *Phy-*

1) *Phyſica* & vere *mechanica diſpoſitio* corporis, & ſpeciatim ſanguinis, ad motum putredinoſæ fermentationis ſubeundum apti.

2) *Circulatio humorum* atque ſecretiones & excretiones, tamquam verus mechanicus modus, impediendæ tali fermentationi putrefacienti aptus & deſtinatus. His enim temporibus in comperto habemus, quod obortis in corpore eiusmodi circumſtantiis, quibus putredinoſa corruptio proximo gradu euenire poſſet; certo etiam ſuperueniat febris: veluti in peſte, febribus malignis, variolis & ipſis quoque ſanguineis ſeu continentibus fieri aſſolet.

10. Febris itaque, ſi curate loquamur, non eſt *morbus*, ſed, vti ex *definitione* dilucide patet, *motus*, materiæ febrili ac morbificæ rationaliter oppoſitus & prorſus ſalutaris; niſi vel materiæ vel læſionis magnitudo, aut ipſius naturæ anomala agendi ratio, ſiue in exceſſu, ſiue defectu, id impediuerint. Quod adeo ſolide demonſtrauit *Stahlius in diſſ. de febre numquam per ſe lethifera*, vt nihil egiſſe videantur, qui de *laude febrium ſuſpecta* commentando, hanc veritatem aut ſatis non intellectam, aut ex præiudicio non admiſſam, infringere ſtuduerunt.

11. *Effectus* interim *febrium* vti non in omni indiuiduo vnus idemque eſſe ſolet: ita diſtincte de illo notaſſe iuuabit, quod

1) *bonus* ac *ſalutaris* ſit, ſi febres non incidant

(1) in corpus antea iam diu valetudinarium, quod v. g.

a) *pectoris vitiis* multum laborauerit.

b) Inſignibus *capitis incommodis* ſubiectum fuerit.

c) *Hepatis* exſtantiores læſiones habuerit. Hæ enim partes teneriores, ſi ſemel læſæ ſint, facilius ſub auctiore ſanguinis commoti circulo, altioribus irruptionibus & humorum ſtaſibus ſubiacent ac veras inflammationes incurrunt. Et ex hoc fundamento phthiſicis, hecticis, aſciticis & aliis, qui viſcerum labe correpti ſunt, præcipue ſi ætate prouectiore fuerint, febres periculoſæ eſſe ſolent.

(2) Si

(2) Si ipſi motus febriles promte ſuccedant & ſine trepidatione aut tergiuerſatione ad finem vſque proportionate adminiſtrentur.

(3) Si vires, per extraordinariam hanc intenſionem fatigatæ, ſtudioſe reparantur. Tum enim febres non modo priſtinæ ſanitati nullum adferunt præiudicium, ſed nouus potius ſubſequitur vigor nouaque euphoria. Vnde & vulgus dicit: ich bin nie geſunder geweſen, als nach dem Fieber.

2) *Infelicior* contra *effectus* obſeruatur, vbi tres enarratæ conditiones defuerunt.

12. *Euentus* vero irregulares & funeſti eo ſollicitius ab ipſa febre diſtinguendi ſunt; quo frequentius tam practici, quam vulgus, hic impingere ſolent; febri tribuendo illud, quod a longe alia cauſſa ortum eſt, ac minime febris culpa eſſentiali, ſed accidentali tantum ita euenit. Quando e. g.

1) *materia*, ſeu morbus, ipſa medicina, nempe febrilibus motibus, potentior exſtitit

2) *viæ* non obtemperant.

3) *motus therapeutici*, vel a *priori* malo ſubigendo proportionate ac ſatis vegete conſtanterque inſtructi non fuerunt: vel a *poſteriori* variis modis turbati, impediti aut interuerſi ſunt; vbi multum valent

(1) *pathemata* animi,

(2) *conſuetudines* heteroclitæ & inſuetudines,

(3) *temperamentum*, *ætas* & ratio vitæ generis. Cum enim febres ſolito operoſiorem motuum adparatum, intentam virium adplicationem ac inſuper vigoris conſtantiam poſtulent; homines vero ſæpius per temperamenti & vitæ rationem ſub lætis negotiorum ſucceſſibus, otioſe ac ſecure viuentes, adeoque ad promte inuenienda conſilia in rebus dubiis & ancipitibus minus exercitati, perferendis vero & depellendis periculis minime apti nedum adſueti ſint: tum mirum non eſt, ſi alias ſani, ſubito autem febre correpti, impetuoſe,

confuſe, erronee, aut faſtidioſe, ſegniter, cum multa trepidatione & tergiuerſatione, vtpote de exitu prorſus incerti, motus adornent & infeliciter ſatis proſequantur.

13. Nec eſt, vt quis forte culpam in medicamina, non ſatis mature aut prorſus non oblata, reiiciat. Nam

1) maior longe numerus eſt illorum febrientium, qui ſine Medicis eorumque formulis conualeſcunt, quam aliorum, qui inter colluctationes cum artificiis Medicorum tandem emergunt. Immo

2) teſte experientia grauius præ aliis adfliguntur ii, quos ſub practicorum imperio ſudare oportet, quia hi plerumque medicamentis ſuis ea ſibi expugnanda ſumunt, quæ vulgo in febre potiora habentur incommoda, vt ſunt; calor præternaturalis, ſitis, certarum excretionum molimina, periodicæ exacerbationes & ſimilia. His vero dum mederi contendunt, morbum non tantum reddunt grauiorem, & reliqua ſymptomata exaſperant, ſed id porro efficiunt, vt morbus ſæpe deterior reddatur, immo morte tandem finiatur.

14. Firma igitur eſt veritas, quod pauciſſimi, ſi modo vlli, directe *a febre* moriantur, plures autem *ſub* & *cum febre* intereant aliis morbis, quibus febris quidem ſuperuenit, ſed vincere eosdem nequiuit; idque tanto certius, quanto manifeſtius in decurſu ſuo, quocumque tandem modo, impedita fuerit.

15. Ex quibus ſimul iudicium ferre poterimus de tritis quorumdam practicorum loquendi formulis: quod ſcilicet *nemo moriatur ſine febre*, immo ne quidem *ægrotet*. Sed magna intercedit differentia

1) inter veram febrim ſeu periodicas exacerbationes cum motuum vitalium manifeſta, conſtante & plus minus ordinata alteratione; & inter quaslibet alias æſtuoſas & refrigeſcentes viciſſitudines & inæquales tam pulſus, quam toni motitationes, quæ tum in aliis morbis, qui febres non ſunt,

ſunt, tum ante vltimum agonem ſeu in ipſa moribunda anxietate obſeruantur.

2) Deinde ſi etiam vulgare illud effatum, quod ſcilicet in omni morbo ſit febris, concedatur, ſponte tamen pro confirmatione noſtri adſerti ſequetur, nimium quantum plures conualeſcere, quam quidem mori: cum homo per vitam ſæpius ægrotare poſſit, ſed ſemel tantum e vita ſecedat.

16. Præterea de primo febris tempore, ſeu eius *initio*, aliquid monendum; nempe quod in illo definiendo practici diſſentiant. Sunt enim,

1) qui illud tribus tantum horis,

2) alii dimidio, aut ad ſummum integro die, ab eximia illa ægroti dyſphoria circumſcribunt. Sed oppido incerta res eſt, quæ tam exacte determinari non poteſt,

(1) quia ipſi febrientes ſæpe falluntur, dum febres ipſis imponunt & tacitis initiis ſe inſinuant; & hoc

(2) tanto magis, ſi v. g. virium lapſum & laſſitudinem aliis cauſſis adſcribere forte liceat, vt ſunt: vigiliæ, triſtitia, terror, laborioſa corporis exercitia, in quibus caſibus anceps negotium eſt, veri initii rationem inire.

17. Notatu tamen dignum eſt, quod hoc ipſum initii tempus in febribus *primariis* vniuerſæ febris rationem ita habeat, vt, ſi conſuetæ huic ſpeciei excretiones tunc inſtituantur ac promoueantur; tota febris vel eo ipſo initiali inſultu ſoluatur, vel ita miteſcat, vt poſtmodum longe tranquillius decurſum proſequatur: quod alias nullo modo ſperare licuiſſet. Quando autem hoc temporis initium in *paroxyzantibus* febribus cum primo paroxyſmo ſemel præteriit; tum nulla ſpes remanet, eam in prima quaſi herba per aliquod remedium ſuffocatum iri, niſi deterioribus ægrum exponere velimus ſymptomatibus. Dieſe Tage können nicht verkürtzet, ſondern nur erleichtert werden.

18. Hæc autem conſideratio hanc habet vtilitatem, vt practicum moneat, ne, prætermiſſo hoc principio, temere aliquid

tentet aut ſperet; quia febris, in progreſſu ſemel conſtituta, typum ſpeciei ſuæ ſolemnem proſequatur. Quod ſi vero per incongrua artificia interpelletur, tum æger præpoſtere agentis Medici peccatum ſæpe vita luere cogitur.

19. Tametſi autem iſtud initii tempus tranſierit: medico tamen nihilo ſecius incumbit, vt ſequentium temporum actiones febriles, per ſucceſſiuas & proportionatas ſecretiones ac tempeſtiuas materiæ noxiæ excretiones, abſoluendas prudenter moderetur ac iuuet, quo noxæ efficacia infringi, radicitus tolli & ſalutaris exitus cum vitæ conſeruatione obtineri poſſit.

20. Cardinem curationis in his verſari,ratio docet & experientia confirmat. Sicubi enim diaphoreſis & diureſis rite ſufficienterque non ſuccedunt, Medicus plerumque animum deſpondet & ſiniſter exitus de harum excretionum neceſſitate & pretio teſtatur. Hinc veterum practicorum adſertum videtur ſubnatum: quod ſcilicet *nulla febris bona fide ceſſet, quæ ſine ſenſibili ſudore deſinat.* Ita quoque vrinam iuſto tempore excretam & debito ſigno præditam, non ſolum ſtudioſe obſeruant, ſed impenſe exoptant artifex, ægrotus & adſtantes.

21. Vbi tamen notandum commendamus tironibus:

1) quod ſalutares eiusmodi ſecretiones & excretiones in febribus, legitime decurrentibus, non promiſcue, ſed ſtatis febris temporibus contingant, in quibus materiæ, ad emouendum præparatæ, habitudo & motuum proportio ſibi inuicem reſpondent, quod ipſum

(1) reſpectu *ſudoris* & *vrinæ* ſub paroxyſmorum effectibus, vbi potiſſimus impetus iam deſiit, accidere ſolet; ſiquidem peracta demum reſolutione humorum, eorumdem ſecretio & excretio ſuccedere poteſt, ſi in primis conueniens regimen obſeruatum fuit.

(2) reſpectu *hæmorrhagiarum* notetur, quod illa, tamquam excretio magis ſecundum naturam, operoſa præparatione & ſecretione non indigeant. Hinc per prima fe-

brium

brium initia vel vero criticis diebus, veluti vltimum reliquorum laborum complementum, ſuccedere ſolent.

2) Quod iuſto maturius contingentes ſint inutiles immo noxiæ. Præpoſtere enim ac fruſtra motu percellitur materia, quæ antea non ſatis mobilis reddita eſt. Vnde per immaturas eiusmodi ſiue ſponte coortas, ſiue per artificia prouocatas excretiones

(1) motus energia conſumitur,

(2) vires perduntur,

(3) typi variæ titubationes inſequuntur, cum exitu laborioſo & non raro funeſto.

22. Quæ obſeruatio vſum in praxi ſuppeditat eximium. Nam

1) caute agere docet, ne mouere aliquid in animum nobis ſumamus ante, quam ſatis mobile ſit.

2) Non deſperandum, ſi nec largum ſudorem, nec vrinam valde alteratam videamus. In febribus ſiquidem, quæ materiam paucam & ſubtilem pro fomite habent,

(1) *vrina* per aliquot dies nihil alterata comparet, verum ſub declinatione potioris paroxyſmi conſiſtentiam mutat, turbatur ac ſedimentum deponit.

(2) *Sudor* pariter primis diebus ordinarie ferme nullus obſeruatur, ſed ſub incrementi aut ſtatus finem conſequitur; & quidem adeo placide & promte, vt vel leuiſſime tectis & quiete decumbentibus ſufficienter erumpat, quem antea nec æſtus, nec medicamenta prolicere potuerunt.

23. Sed probe tenendum, quod excretiones diarrhœticæ ac diureticæ non promiſcue, ſed ſub certo reſpectu optentur.

1) *Sudatio* enim *largior* febribus generatim parum prodeſt; ſed placida materiæ halituoſæ & orgaſticæ per diapnoën expulſio in votis eſt.

2) *Vrinæ* eadem eſt ratio, cuius liberiorem copioſioremque exitum nemo deſiderat, niſi ſimul materia noxia, rite præparata & ad emouendum apta, cum ipſo lotio excernatur.

tur. Hinc veteres non inepte talem excretionem pro *ſigno coctionis* habuerunt, & tamquam primum effectum factæ ſeparationis & ſecretionis declararunt, quem natura vlteriore excretione proſequi debeat.

24. Has autem ordinatas ac tempeſtiuas excretiones, febribus eſſentiales, directe vtiles & ſalutares eſſe, notabilis & proxime inſequens euphoria clare comprobat, quæ vel

1) Λυσει ſeu *partitis vicibus* contingit, & tum caloris impetus ſucceſſiue deferueſcit, paroxyſmi decreſcunt, & breui finiuntur. Vel

2) Κρισει ſeu *vno labore* obtinetur, vbi materia prius præparata & viæ aptius diſpoſitæ ſunt, ad ſubeundas exonerationes copioſas & vno impetu perpetrandas. Quam euidens vero harum criſium effectus ſit, ex ſequentibus intelligitur. Nam

(1) intenſio exacerbationem remittit,

(2) *pulſus* in gradum naturalem mutatur,

(3) *alacritas animi* redit,

(4) *ſomnus* fit tranquillus & reficiens,

(5) adpetitus noua energia ſuccedit, & ſitis exſtinguitur,

(6) vires notabili augmento indies reparantur. Quæ vero excretiones ante dies criticos contingunt, eæ ſubleſtæ ſunt fidei; vel enim proximo die critico ſenſibilius ſe exſerunt, & quaſi confirmantur, vel periculoſum ſortiuntur euentum.

25. Opportune hic, vbi de excretionum bonis effectibus actum eſt, alia magni momenti obſeruatio ſubiungitur, quæ de *modo* excernendi, quem natura in febribus acutis malignis & contagioſis ſeruare ſolet, exponit. Videlicet motus adeo placide & tranquille adminiſtrantur, vt ſi pulſus inprimis ſpectetur, is ad ſanum proxime accedere videatur. Mirantur hoc phænomenon plures practici & naturam erroris aut negligentiæ adcuſant. Vnde ad excitantia & calida alexipharmaca properant, & materiam deleteriam *a corde*, vti rheto-

rhetoricantur, per coactos ſudores propellere intendunt. Sed magnum hunc *απειριας* practicæ errorem mors ſæpius obſignat.

26. Quod vero natura, placide agendo, nullum hic errorem committat, ſed ſecundum neceſsitatem organico-mechanicam prudenter agat, e ſequentibus eluceſcit. Nam

1) *materia* illa maligna mole exigua eſt, ac *ſubtilis* valde, quæ inuiſibilis halitus forma corpori inſinuatur.

2) ob ſummam hanc ſubtilitatem craſsioribus excretionibus *minus idonea* eſt; vnde

3) motuum vitalium nimia *intenſio* locum non habet, vtpote quæ excretionis diapnoicæ ſucceſſum placidum impedit. Supereſt ergo, vt

4) materia ſubtilis & halituoſa methodo conueniente per colatoria exhalando magis, quam tranſudando eliminetur. Quoniam vero nullum totius corporis colatorium tam tenui miaſmati ſecernendo & excernendo magis proportionatum eſt, quam ipſa peripheria, poris refertisſima, ad hoc quoque negotium optime adhibetur. Si enim ad alia organa ſecretoria, arctiore ambitu circumſcripta, noxiam materiam natura adpelleret; tunc illa

(1) eiusmodi materiam nullo modo comprehenderent, tantum abeſt, vt excernere poſſent.

(2) materia noxia longe citius effectum deleterium ederet, quam ex ſanguinis maſſa ad vnicum illud organon peruenire poſſet. Hinc

5) neceſſe eſt, vt in malignis & contagioſis febribus, quarum cauſſam continentem tam tenue miaſma conſtituit, motus naturæ tranquille ac moderate inſtituantur; ne quid materiæ, quantocyus excernendæ, poros cutis, ob circuli ſanguinis celeritatem, præterlabatur & hac ratione diutius in ſanguine periculoſe oberret.

6) Ceterum vel his obſeruationibus pateſcit, quam incongrue vulgaris pathologia non ſolum generatim omnes actus febriles pro turbulentis & ſymptomaticis concuſſionibus inter-

interpretetur, ſed etiam ſpeciatim *tempora* horum motuum ab iisdem violenter agentibus cauſſis materialibus deducat. Cum enim experientia nos doceat, quod febres malignæ præ aliis acutis placidos motus exhibeant & non tam organis eorumque ſenſui, quam potius mixtioni humorum tacitis quaſi & clandeſtinis commotionibus noceant: tum certo concludimus, actus febriles a materia, vehementiſſime excitante, minime deriuandos eſſe. Alias enim in malignis, quarum materiam peccantem præ aliis ſumme actiuam omnes agnoſcimus, motus deberent eſſe vehementiſſimi.

7) Itaque a ſublimiore cauſſa motus deducimus, nempe a ſapiente natura, quæ pro materiæ peccantis conditione hoſce motus inſtruit, & præcipue in malignis placite eos adminiſtrat, ne miaſma ſubtile per vehementes commotiones adhuc ſubtilius, adeoque ad nocendum efficacius reddatur. *Conf. Stahlii diſſert. de febrium pathologia in genere thes. IX. de febrium therapia Sect. III. de viribus §. XXII.*

TAB.

TABVLA XII.

DE

MORBIS LYMPHATICO-SEROSIS.

I. D*EFINITIO.*

Morbi lymphatico-ſeroſi audiunt illi, qui ex lymphæ & ſeroſo-mucidis humoribus vitiatis proximam originem ducunt, & tam ſolidarum partium tonum ac texturam, quam fluidarum ſecretiones & excretiones lædunt. Vnde variæ ſtagnationes, ſtaſes & corruptiones producuntur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quoniam aliquot tabulis morbos præcipue *quantitatis* generatim indicauimus: ideo ordo poſtulat, vt *qualitatis* vitia eadem methodo proponamus; ſtrictim nimirum de iis diſſerendo, ſiquidem ſpecialem ſingulorum tractationem in *Conſp. med. theoretico-pract.* iam exhibuimus.
2. Morbi de quibus acturi ſumus merito *lymphatico-ſeroſi* dicuntur. Quo enim diutius lympha in ſeri acris conſortio verſatur, eo certius illi in perniciem cedit. Nam gelatinoſa lymphæ indoles vti ad ſerum tenue adſumendum per quam idonea eſt, ſic inde mucido-viſcidam, lentam, pulpoſam & ſaponiformem conſiſtentiam indipiſcitur ac ſerum reciproce inſpiſſat, partibusque ſolidis ſenſim labem adſpergit.
3. Quidam ex his morbis dici poſſunt
   1) *vniuerſales*, quia vniuerſam humorum maſſam & totum corporis habitum adficiunt, vt:
      (1) *cachexia* eiusque ſpecies *chloroſis*
      (2) *anaſarca*
      (3) *leucophlegmatia.*

(4) *ſcabies vniuerſalis*
(5) *lepra*
(6) *ſcorbutus*
(7) *icterus*
(8) *lues venerea*
(9) *ſudor* vniuerſalis *nimius* aut *ſuppreſſus.*

2) *Particulares*, qui in certis corporis regionibus aut partibus conſpicui fiunt, vt

(1) *œdema* manuum ac pedum
(2) *aſcites*
(3) *tympanites*
(4) *hydrocephalus*
(5) *hydrops medullæ ſpinalis*
(6) *hydrops pectoris & pericardii*
(7) *hydrops omentalis, renalis, ouarii*
(8) *hydrocele*
(9) *hydatides viſcerum*
(10) *pollutio nocturna*
(11) *gonorrhœa benigna* & *maligna*
(12) *fluor albus benignus* & *malignus*
(13) *ſtranguria*
(14) *dyſuria*
(15) *imminutio vrinæ*
(16) *iſchuria*
(17) *incontinentia vrinæ*
(18) *diabetes.*

4. *Ratione frequentiæ*

1) quidam ferme *quotidie* occurrunt, vt: ſcabies, chloroſis, cachexia, ſtranguria, pollutio nocturna, &, vt peſſimi noſtrorum temporum mores ferunt, gonorrhœa virulenta, fluor albus malignus, lues venerea, & in certis oris maritimis ſcorbutus.

2) *rariores* ſunt: œdema, icterus, hydrops aſcites, leucophlegmatia, anaſarca, imminutio vrinæ, dyſuria, iſchuria, incontinentia vrinæ, ſudor vere nimius.

3) *ra-*

3) *rariſſimi:* lepra, hydrocephalus, hydrops medullæ ſpinalis, pericardii, omenti, ouarii, renum, hydatides, diabetes.

5. *Ratione ſucceſſus* in medicando ita cum multis horum morborum comparatum eſt, vt vere refractarii ſint & arti aut difficile admodum, aut plane non cedant; quæ prognoſis ad leuiores quoque huius claſſis morbos e. g. pollutionem nocturnam, ſtranguriam, ſcabiem ordinariam & ſubinde icterum atque anaſarcam ſe extendit.

6. Quo modo ceterum inter ſe differant morbi lymphatico-ſeroſi; id ſpecialibus tabulis in *Conſp. med.* docuimus.

III. *SIGNA.*

In tradendis ſignis ad ſpecialia hoc loco deſcendere non eſt animus; partim quia pathologiæ generalis ratio id non poſtulat, partim quia in alio *tractatu,* qui pathologiam ſpecialem cum therapia iunctim exhibet, ea iam ſuppeditauimus. In præſente igitur eorum recenſione ita verſabimur, vt ſtrictim indicemus *præcipua* ſigna

1. Illorum morborum, qui notabili *tumore* & præternaturali *colore* externum corporis habitum defœdant, quos inter

1) *œdema,* quod tumore, in primis pedum, frigido ac pallido ſe prodit, & in ſimplici ſtatu ſine dolore adfligit; vbi vero ad ſummum peruenit tumor, ibi hinc inde ruffeſcit & dolorem habet coniunctum.

2) *Cachexia* ex vniuerſo habitu deprauato facile cognoſcitur, quia reſpectu *coloris,* pallidus; reſpectu autem *toni,* laxus, pendulus & indecenter turgidus deprehenditur. Concurrentes porro moleſtiæ ſunt: actuum vitalium & animalium languor, præcordiorum & hypochondriorum anguſtiæ, adpetitus vagus, ſomnus minus reficiens & non raro tumor pedum œdematodes.

3) *Hydrops.* Huius vti variæ ſunt ſpecies: ita ſignis euidentibus ab inuicem ſe diſtinguunt.

(1) *Leucophlegmatia* tumorem vniuerſi corporis exhibet

flacci-

flaccidum, qui foueas digitis impreſſas diu non ſeruat, cum e contrario

(2) *Anaſarca* tumorem ſiſtat vniuerſalem ad nitorem vſque intentum, in quo veſtigia digiti prementis tardius euaneſcunt.

(3) *Aſcites* & *tympanites* abdomen maxime occupant, ea tamen differentia, vt moles aſcitici tumoris ſit grauior & pedes ſimul occupet: tympanitica autem inflatio reſpectu ponderis, quod ſentiunt, leuior, ſed reſpectu ambitus & extenſionis maior eſt. Hinc digito percusſa tympanum quaſi ſonare videtur, & rugitum quemdam ac murmur edere. Ambigunt vero de ſono hoc, tympanum imitante; cum a leui tactu omnino non audiatur, fortiorem vero non ferant ægri. *Conf. Io. Herm. Fürſtenau diſſ. de tympanitide §. XX. Rintelii 1733.* Licet aliud ſenſerit *Lommius* & *Io. Geo. Neumannus in diſſ. de tympanitide Erfordiæ 1735.*

4) *Icterus flauus* notabili flauedine; *niger* autem colore magis nigricante omnibus manifeſtus fit: ægro autem præcipue laſſitudine, præcordiorum anguſtia, febricula & aliis incommodis grauis euadit.

2. Illorum, qui *efflореſcentiis cutaneis*, *maculis*, *eroſionibus* & *vlcerationibus* corpus ſiue totum, ſiue aliquam eius partem deturpant, vt

1) *Scabies.* Hæc puſtulis ſero acri repletis & pruritu, roſiuum tandem ardorem inferente, moleſtam ſui præſentiam prodit, & non modo manus, ſed totam ſæpe peripheriam, excepto capite, occupat & male adfligit. Interim tolerabiliora ſunt incommoda, quæ

a) *benigna* adfert, ſiue *humida* illa fuerit ſiue *ſicca.*

b) *maligna* autem tam *ferina*, quam *venerea* dolore rodente, grauiore pruritu & fœdis exulcerationibus ad nauſeam vſque inualeſcere ſolet.

2) *Scorbutus*, in quo in primis maculæ pro temperamenti differentia, vel roſeæ, vel liuido-fuſcæ in tibiis, cum duris tumo-

tumoribus, ſtomacace, anhelitus & ſaliua fœtens abunde indicant, quid morbi ſubſit.

3) *Fluor albus benignus*, vti per materiam albugineam, quæ e vagina vteri effluit, & genitalia per ſe non lædit, potiſſimum ſe manifeſtat: ita *malignus* effluxu materiæ flauo-virideſcentis, acris & partes erodentis, moleſtus fit; concurrente laſſitudine inſigni, cardialgia & cordis palpitatione.

4) *Gonorrhœa virulenta.* Hoc malum, materiæ fœtidæ corruptæ & flauo-viridiſcentis per penem iugis manatio, inflammatio præputii, ſcroti tumor, fiſſuræ acre ſerum plorantes, bubones, laſſitudo & adſpectus luridus ſatis patefaciunt, & a *benigno* ſeminis fluxu diſtinguunt.

5) *Lues venerea* præter gonorrhœam virulentam & bubones, etiam narium, vuulæ ac faucium eroſiones oſtendit, oſſibus cariem inducit, & acri dolore ſpaſtico rodente, terebrante vt & hæmorrhoidibus verrucoſis ſtipata eſt.

3. Illorum, qui ſeroſi laticis vel *nimia*, vel *imminuta* excretione produnt.

1) *Nimia excretione*

(1) *ſudor nimius*, cuius immodica eruptio ſignum euidentiſſimum præbet.

(2) *incontinentia* vrinæ itidem inuoluntaria lotii excretione facile cognoſcitur, ſiue noctu ſolum, ſiue interdiu contingat.

(3) *diabetes* autem ſeu *hydrops ad matulam*, extraordinariæ vrinæ crudæ & fere ſubdulcis copia, quam crebrius emittunt ægri, mali indolem indicat.

2) *Imminuta*, *difficili* aut *ſuppreſſa*

(1) *ſtranguria.* Hic frequens ad mictionem irritatio & lotium guttatim ſtilians ſufficiens ſignum conſtituit.

(2) *mictio imminuta* iuſto parciore vrinæ excretione dignoſcitur

(3) *dyſuria*, præter mingendi difficultatem, quæ cum

ingenti niſu & preſſione ab ægro ſub vrinæ emiſſione ſe exſerit, etiam dolores, admodum æſtuantes, habet comites.

(4) *iſchuria* vrinæ ſuppreſſione, per aliquot dies continuante, ſatis manifeſta fit, vt plura aliunde repetenda iam non addamus.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Oedematis*, ſunt homines vtriusque ſexus, habitus in primis laxioris & de temperamento phlegmatico multum participantes, vtpote quos poſt hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſionem, diuturnam pedum refrigerationem vel actualem in aquis, vel potentialem per medicamenta refrigerantia, oedematoſo tumore corripi ſolere, experientia confirmat: quemadmodum alii, qui in febribus acutis ſalibus volatilibus tractati ſunt, aut eryſipelate non adeo feruido laborarunt, eodem malo adficiuntur.

2. *Cachexiæ* obnoxiæ obſeruantur in primis fæminæ, temperati ſanguineo-phlegmatici, intra menſium periodum quidem conſtitutæ ſed illorum defectu laborantes.

3. *Hydropis.* *Huic* expoſiti ſunt præcipue cachectici & illi, quibus largius antea ſuccedentes hæmorrhagiæ naturales, febres aut podagra præmature ſuppreſſa ſunt.

4. *Icteri.* Hunc pati poſſunt omnis ætatis & ſexus homines, in quibus cauſſæ infra enarrandæ vim ſuam exſerunt.

5. *Scabiei.* Facile hanc incurrunt otioſi, ſaltem ſedentariæ vitæ dediti, ſalſa & craſſa diæta vtentes; illi quoque, quibus hepatis vitium eſt, aut ſerum per ordinarias vias ſufficienter non excernitur. Et hos inter ad *ſiccam* magis inclinant melancholici ac cholerici, aut qui ex his mixtum temperamentum poſſident; ad *humidam* vero proniores ſunt ſanguineo-phlegmatici.

6. *Scorbuti.* Oceani ſeptentrionalis accolas præ aliis, ſporadice hypochrondriacos & quartanarios, eodem ſubinde corripi, obſeruatum eſt.

7. *Fluo-*

7. *Fluoris albi benigni* ſunt fœminæ ſanguineo-phlegmaticæ, menſium ataxiis laborantes, nonnumquam & virgines. *Maligni* autem, quæuis venereo inquinamento infectæ.

7. *Gonorrœæ benignæ:* venere multum abutentes; *malignæ* ſordibus venereis iam inquinati.

9. *Luis venereæ:* homines vtriusque ſexus, qui vel gonorrhoea virulenta, vel fluore albo maligno aliquamdiu laborarunt.

10. *Sudoris nimii:* temperamenti ſanguineo-phlegmatici adeoque habitus laxi & ſpongioſi ſunt.

11. *Incontinentiæ* vrinæ & *Diabetis* ſubiecta cognoſcentur, vbi vtriusque pathematis cauſſæ infra exponendæ, perſpectæ fuerint.

12. *Stranguriæ:* Hanc vtriusque ſexus perſonæ incurrere poſſunt, quæ potu fæculento & minus fermentato vtuntur.

13. *Mictionis imminutæ:* cachectici, hydropici; potum ſufficientem non adſumentes; aut qui ſpiſſitudine humorum vel renum præternaturali conſtitutione, aut alio viſceris abdominalis vitio laborant.

14. *Dyſuriæ* ſubiiciuntur ordinarie nephritici & calculoſi.

15. *Iſchuriæ* autem illi, in quibus vna alteraue cauſſa ex mox dicendis efficiam edit.

V. CAVSSAE

1. *Oedematis.* Cum in ſubiectorum deſcriptione cauſſas procatarcticas magnam partem iam expoſuerimus; hic porro de *materiali* & *formali* obſeruandum commendamus, iſtas

   1) *generatim* in humorum & partium reciproco conſiſtere vitio; nam in illis ſpiſſitudo, in his vero tonus relaxatus eſt; Interim peculiaris actiua congeſtio in oedemate, præcipue febres excipiente, nequaquam in dubium vocatur.

   2) *ſpeciatim* autem

      (1) *ex humorum ſpiſſitudine*, ſiue per incongruam vitæ rationem, ſiue per medicamenta adſtringentia inducta, oriuntur:

a) cir-

a) circulationis torpor ſeu lentus progreſſus.

b) ſtagnatio atque ſecretionum & excretionum remora. Vnde.

c) ſeri excrementitii coaceruatio & in dies maior dyſcraſia, &

d) notabilis tandem toni læſio.

(2) e *tono* autem *relaxato*

a) *irruptio* lymphæ viſcidæ, ſero adulteratæ, in lymphatica vaſa copioſior.

b) eorumdem vaſorum maior immo nimia *diſtenſio*, &

c) ob deficientem partium circumiacentium reniſum tonicum, non numquam vera *perruptio*. Vnde

d) cutis elatio ſeu *tumor* ſuccedit, qui potius in pedibus quam alibi contingit, quia graue per ſuam naturam promte deſcendit. *Conf. G. P. Kunadi diſſ. de humorum defluxu ad pedes, ac natis inde morbis Cap. V. Erfordiæ 1734. Stahlii diſſ. de hydrope §. XXXIX. Conſpect. medic. & chirurg. tabulis de œdemate.*

2. *Cachexiæ.* Huius cauſſa *materialis antecedens*

1) *remota* eſt ſanguinis abundantis commotio, & circa viſcera, cum vena portæ connexa, reſtagnatio.

2) *propinqua* eſt mucida ac lenta ſpiſſitudo lymphæ, per ſerum, non ſufficienter ab illa ſecretum, producta. Vnde glandularum, lympham percolantium, maior ſenſim obſtructio & humorum per vniuerſum corpus inualeſcens viſcida conditio.

3) *proxima*, ſtagnatorius infarctus ab indicatis cauſſis productus, peripheriam ita diſtendens, vt pallide turgidus inde totius corporis habitus euadat.

4) *Occaſionales cauſſæ* plures omnino ſunt, quarum quædam deriuantur

(1) e *diæta in congrua*, vt cibi vapidi, muceſcentes, ſpiritus ardentis aliorumque potuum ſpirituoſorum ingurgitatio, vita otioſa, habitatio in conclauibus epigæis humi-

humidis, quæ perpetuæ refrigerationi & toni relaxationi anſam præbent.

(2) *Suppreſſæ* autem *hæmorrhagiæ* naturales maioris momenti ſunt; ſi in primis earum ſuppreſſio contingat conſueto excretionis tempore; quod maxime valet de menſibus, durante fluxu per iracundiam, terrorem aut malæ digeſtionis cibos, cohibitis.

(3) *Adſtringentia* parem effectum edunt, eo tempore propinata, quo ſanguis ex ſpeciali naturæ intentione ad certa loca dirigitur aut commouetur; veluti in febribus & hæmorrhagiis manifeſtum eſt.

(4) *Profuſiones ſanguinis* copioſæ ac repentinæ tam facile tamque frequenter, vt vulgo creditur, cachexiam non inducunt, ſed largioris profluuii *continuatio diuturnior* verius id efficit, ob vaſorum ſubſidentiam, præcipue cum ſub qualicumque noua reparatione, exquiſita humorum commixtio & ſufficiens vtilis ab inutili reparatio fieri nequeat. Qua de re iam diſſeruit *Galenus de nat. facult. lib. II. cap. VIII. ſ. m. 39. Conf. Stahlii theoria p. 1203.* eiuſd. *diſſ. de cachexia §. XVIII.*

(5) His addendæ ſunt aliæ cauſſæ: nimirum ſcabiei retropulſio, arthritidis & podagræ ad interiora repreſſio, & volatilium in febribus abuſus. Quemadmodum *Stahlius* ſuo tempore obſeruauit, de Practico quodam Spir. C. C. vnice in febribus vtente, quod ii, quos a febre liberatos crediderat, frequentiſſime cachectica inflatione & œdematibus adfecti ſint. Quod phœnomenon ille emollire ſtuduit dicendo: Die Kranckheit ziehe durch die Füſſe hinaus.

3. *Hydropis.* Cauſſæ huius morbi quia cum cachexiæ cauſſis ita coincidunt, vt auctores paſſim vtrumque pathema vna eademque tractatione exhibeant: ideo nec nos prolixam earum inſtituemus repetitionem. Breuiter autem notaſſe ſuffecerit, quod

1) *cauſſa remota* ſit notabilis humorum in conſiſtentia deprauatio.

2) *propior*, organorum lymphæ depurationi dicatorum læſio.

3) *proxima*, infarctus ſeri & lymphæ ſtagnatorius, in hepate in primis, pancreatis ac meſenterii glandulis conſpicuus, qui hæc organa obſtipando, in ſuo officio turbat, magisque inepta reddit.

4) *Cauſſæ procatarcticæ* itidem repeti poſſunt e cachexiæ cauſſis; quæ vero circa hydropis ætiologiam porro monenda ſunt, obſeruationibus inſerere opportunum erit.

4. *Icteri* cauſſa

1) *antecedens* generatim eſt vitiata bilis eccriſis, cuius fundamentum quærendum

(1) in *materiæ peccantis conditione* præternaturali, quando v. g.

a) vel *quantitate nimium* abundans, omnem humorum maſſam inficit, aut in veſicula fellis, copioſe collecta, exundat; quod facile contingit, dum ſanguini, per hepar tranſeunti, accedente cauſſa occaſionali readfunditur vel in ventriculo & duodeno cum chylo permiſcetur.

b) vel *qualitate* peccans eumdem effectum edit. Quoties enim viſcoſa ac ſpiſſa nimis exſiſtit bilis; iuſto tardius ex hepate in cyſtidem tranſit, ſub qua mora a ſanguine transfluente de nouo reſorbetur & vniuerſam humorum maſſam inquinat.

(2) in *organorum*, bilem ſecernentium & excernentium, *læſione*, quæ iterum nititur

a) vel hepatis *obſtructione*, ab humorum, hoc viſcus tranſeuntium, viſciditate ſubnata,

b) vel vera eius *ſtrictura* & condenſatione, a qua ſimul *capſulæ Gliſſonianæ, arteriam hepaticam, venam portæ* & *poros bilarios* circumdantis conſtrictio oritur, qua obtinente cholidochus quoque ſtringitur & liber bilis tranſitus intercipitur; vnde neceſſario regurgitans bilis ſanguinem defœdat & icteritium colorem toti peripheriæ inducit.

(c) In-

c) interdum vero obſunt *calculi* aut materiæ tophaceæ in ductibus bilariis aut cyſtico hærentes, quo minus bilis in proprium receptaculum colligi, aut in duodenum effundi poſſit. Ad calculorum vero geneſin diſponit coagulum bilioſum viſcidum ſulphureo-ſalino terreum, quod a materiæ bilioſæ lentore originem ducit.

2) *Cauſſa continens* eſt bilis cum ſanguinea maſſa confuſio & permixtio, qua durante icterus adfligit.

3) *Cauſſæ occaſionales.*

(1) Inter has primum locum obtinet repentina menſium vel hæmorrhoidum, itemque febrium quartanarum ſuppreſſio.

(2) Iracundia repreſſa & diſſimulata, ſubitus terror, mœror acerbus, hepatis conſtitutio ſcirrhoſa, calculi tam in poris bilariis, quam cyſtide obuii, emetica fortiora; quantum hæc omnia partes ſolidas partim conſtringendo, partim fluidas inſpiſſando, ad icterum conferant, aliunde iam notum eſſe poterit.

(3) Diæta craſſa, quæ humoribus lentorem inducere poteſt, nimia voracitas, potus corpore calente, frigide ingurgitatus, & nonnunquam febres bilioſæ icterum pariter prouocare poſſunt.

5. *Scabiei* cauſſæ tam antecedentes, quam procatarcticæ, partim e ſubiectorum delineatione peti, partim etiam e *Conſpectu med. tab. XCI.* ſuppleri poſſunt. De *proxima* vero notandum, quod illa ſit *ſtaſis* humorum lymphatico-ſeroſorum, dyſcraſia laborantium; ex qua demum in corruptionem delabi ſolent.

6. *Scorbuti*

1) *cauſſa materialis* eſt ſanguinis, ſtricte dicti, & debite minus cum lympha ac ſero ſubagitati, grumoſa coagulatio, quæ motum progreſſiuum vndique impeditum reddit, atque ſtagnationibus, ſtaſibus & fœdis grumoſæ portionis corruptionibus materiam ſubminiſtrat.

2) *Cauſſæ* vero *occaſionales* ex aëris intemperie, loco habitationis & diæta ſcurbuto velificante in *Conſp. med.* fuſius explicatæ ſunt. *Conf. Bœrhaaue aph. de cog. & cur. morb. §. 1150. ſ.*

7. *Fluoris albi benigni*

1) *Cauſſa antecedens remota* eſt ſeroſi laticis abundantia.

2) *Propior*, glandularum vaginæ laxitas & notabilis atonia.

3) *Proxima*, materia mucido-ſeroſa ad vaginam directa & copioſius effluens.

4) *Procatarcticæ* videantur ſupra in *ſubiectis*.

8. *Gonorrhœæ.* Vti *benigni* ſeminis fluxus cauſſa plerumque eſſe ſolet partium, genituram continentium, atonia, a veneris abuſu plerumque deriuanda: ita gonorrhœæ *virulentæ* cauſſa *antecedens* indubitato fermentum eſt venereum. *Propior* autem inflammatoria ſtaſis humori lymphatico, in glandula *proſtata* ſtagnanti, ſuperueniens. *Proxima*, eiusdem *proſtatæ* eroſio & exulceratio. Vnde continuus effluxus, qui malo huic *gonrrrhœæ* nomen peperit. De impuro vero coitu, tamquam vera cauſſa occaſionali, pluribus agere non expedit; cum de eodem malo, altius radicato, & luis gallicæ nomine notiſſimo, iam alibi fuſius commentati ſimus.

9. *Sudoris nimii* cauſſa *materialis* eſt humorum, in primis autem ſeri abundantia & habitus laxioris diſpoſitio. *Formalis* autem ratio inuoluit humorum ad peripheriam directionem, pororum cutis relaxationem & ſeri eruptionem. *Occaſionales* cauſſas ſuppeditare poſſunt tempeſtas calida, diaphoretica, motus corporis vehemens, neglectio venæſectionis, cuius defectum natura, tamquam *cauſſa efficiens*, alio modo, ſanguinis nimirum in ſerum reſolutione & larga eius tranſudatione, prouide ſupplere ſtudet.

10. *Incontinentiæ vrinæ* cauſſa ordinarie conſiſtit vel in ſphincteris veſicæ paralyſi, vel in fiſtuloſa apertura, quam vel lithotomia poſt ſe reliquit, vel quæ ab alia laceratione originem habet. Quæ vero pueris familiaris eſt *mictio nocturna*, illa plerumque a mala adſuetudine deriuanda eſt, quam per potum,

potum, ſomni tempore ſumtum, & aliquot vicibus patratam mictionem ſibi comparant.

11. *Diabetis* cauſſa *antecedens* eſt aliorum colatoriorum læſio, & motus vrinæ excretorii turbatio. Vnde non ſolum ſeri ſed & lymphæ copioſa per vias vrinarias expulſio contingit. *Conf. Ruyſchii Obſ. anat. chir. cent. obſ. XIII. p. 19.*

12. *Stranguriæ*, *dyſuriæ* ac *iſchuriæ* cauſſa *proxima* generatim adcuſari poteſt ſphincteris veſicæ conſtrictio. Quæ vero cauſſæ *occaſionales* quoduis horum pathematum inuitare ſpeciatim poſſint, docuimus in *Conſpectu med. theor. pract. tab. XCVIII.*

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Quos in hac tabula breuiter exhibemus morbos, *lymphatico-ſeroſos*, a duplici cauſſa materiali denominationem habent; quarum quidem altera eſt corrumpens, nempe *ſerum*, altera autem corruptionem patiens, ſcilicet *lympha*. Vbi præcipuorum ex his morbis mutuam dependentiam probe conſiderandam commendamus, quam habent
   1) a ſanguinis abundantia & mala eius craſi.
   2) ab hæmorrhagiarum naturalium & conſuetarum artificialium aut motuum febrilium ſuppreſſione: quod de cachexia, hydrope, œdemate, ictero, fluore albo benigno, ſudore nimio, pollutione nocturna & ſubinde de iſchuria valet.

2. Cum reliquis autem, in quibus vel otioſum vitæ genus, incongrua diæta, aëris intemperies, humorum dyſcraſia, vel effrenis viuendi licentia primas tenent; nihilo minus ita comparatum eſt, vt longe grauius adfligantur plethorici, & hæmorrhagiis alias adſueti, quam alii, in quibus neutrum obtinet.

3. Quare ſi cuipiam morborum lymphatico-ſeroſorum cauſſas primarias perſpicere cordi eſt, ille hæmorrhagiarum & molimunum ad illas tendentium, doctrinam & connexionem probe exploratam debet habere. Hac enim ratione in diagnoſi, prognoſi & curatione aget feliciter, nec vmquam in illum errorem *cauſſæ non cauſſæ*, vt philoſophi aiunt, incidet.

4. Secundum methodi arbitrariæ libertatem factum eſt, vt aliqui ſcriptores horum morborum catalogum multo ſiſtant locupletiorem, quam nos quidem hic præſtitimus. Cuius rei cauſſa in eo quærenda eſt, quod plures ad lymphatico-ſeroſos morbos relati ſint, quos congeſtionibus ſeroſis adnumerare nulli dubitauimus; vt ſunt: lippitudo, coryza, tuſſis humida, aſthma humidum, & alii.

5. Morbi lymphatico-ſeroſi ſunt quidem omnino morbi *qualitatis*; non pauci tamen e *quantitatis* ſeu nimiæ abundantiæ vitio prognaſcuntur, vti id in *tab. de ſpiſſitudine* ſub *cauſſis* docuimus; quibus hic ſupplementi loco addimus, quod ex eodem plenitudinis vitio fiat, vt lympha a ſero corrumpatur, illa vero huic viciſſim lentorem inducat. Ex hac autem mutua deprauatione vtriusque fluxilitas perit, & ſecretiones ac excretiones præpediuntur: nam

1) humores ita implicati, & mala craſi adfecti, nec promte ſecedere, nec excedendo ad tranſitus & exitus ſuos ſatis alte penetrare valent.

2) tonus partium ſolidarum prægrauando eneruatur.

6. Sub *diff. num. 2.* paucis quidem iam dictum eſt, quo modo lympha & ſerum mutuo ſe lædant, ſi iuſto diutius inter ſe commixta fuerint. Hic autem explicatius docendum, quod vtriuſque natura eiusmodi commercium ſine noxa certo euentura diu perferre non poſſit. Vbi præcipue indicamus inſignem differentiam τȣ *gelatinoſi* & τȣ *mucoſi*. Prioris indolem habet lympha, poſterioris ſerum. Iam ſubiungendum,

1) quod humor gelatinoſus, ſeu *lympha*, ſub motus progreſſiui ſucceſſu calefiat, attenuetur & concuſſione ac tranſpulſione per organa ſpongioſa & poroſa fluidior euadat, in fluiditate conſeruetur & quaſi exaltetur.

2) Quod *ſerum*, cuius conſiſtentia mucida ac lenta eſt,

(1) reſpectu fluiditatis, calore nihil alteretur.

(2) neque motui transpreſſorio decenter obſequatur, ſed

(3) po-

(3) quod potius obſtruendis poris tenerioribus aptius fiat & in dies ſpisſiorem & tenaciorem conſiſtentiam adquirat, ob intimiorem particularum mucido-ſalino-pinguium cum gelatinoſis vnionem.

7. Quæ deductio cum *numero 10.* collata clare admodum docet,

1) quo fundamento geneſis morborum lymphatico-ſeroſorum nitatur,

2) quam neceſſaria ſit continua ſeri ſalſi ac mucidi a lympha ſequeſtratio.

3) quod tam facilis & expedita non ſit horum morborum, præcipue hydropis, curatio; quam quidam inconſiderate polliceri audent, & caſibus, e propria praxi deſumtis, idem confirmare ſatagunt. *Stahlius* bene monuit in *theoria p.1207.* eiusmodi hiſtoriolas ſubnatas eſſe e cachexia inſolentioris cum hydrope confuſione, cum in vero hydrope, diſerte eloquendo, vix vlla reſtitutionis ſpes ſuperſit. Licet enim per hydragoga abdominis elati ſubſidentia ſæpe procuretur; id tamen de producti ſolum morboſi ſubtractione, non vero de malo curato teſtari ſolet.

8. De *œdemate* autem obſeruaſſe iuuabit: illud neque hydropis primum, neque cachexiæ vltimum gradum eſſe, ſed peculiarem habitus deprauati ſpeciem, licet nonnumquam cum hydrope complicatum ſit.

9. *Cachexiam* qua ratione inducere poſſint nimiæ ac diuturnæ ſanguinis profuſiones, ſub *cauſſis* expoſitum eſt: quod vero idem valeant in producendo hydrope, per experientiam nondum innotuit, niſi importunæ ſimul cohibitiones artificiales acceſſerint. *Vid. Stahlii theoria p. 1207. Alberti diſſ. de hydrope §. IX.*

10. *Hydropis* inter cauſſas recte retulimus deprauationem tam humorum in conſiſtentia, quam organorum in officio. Vtri vero harum cauſſarum primus locus adſignandus ſit, inter Practicos quæri ſolet. Ad quæſitum autem ſcite reſpondetur, quod vtralibet harum cauſſarum, in diuerſis tamen ſubiectis, primum obtinere queat locum. Nam

1) ſi

1) ſi *humor*, qui per colatorium tranſire debet, aliunde iam læſus in craſi, libero ingreſſui & tranſitui impar redditus fuerit: tunc & organa, quæ perfluere debet, eorumque meatus ac poros ſuffercire & obſtipare ſolet. Quo reſpectu *vitium humorum* præcedit.

2) Quod ſi vero *organorum arctatio* per quamcumque cauſſam facta ſit, e. g. poſt febres per *corticem Peruuianum* ſuppreſſas, tum hoc *vitium viſcerum* in hydrope præcedit. Nam loco debitæ humorum attenuationis eorum retentioni ac vlteriori deprauationi occaſionem præbet, dyſcraſiam prouocat & incrementis adauget.

11. Porro autem notandum eſt, quod hydrops, a *viarum* vitio ortus, & frequentior ſit, & multo impetuoſior. Nam cito inualeſcit & correctioni longe difficilius, immo plane non obtemperat. *Conf. Stahlii diſſ. de hydrope præcipue aſcite.* Quam ingens vero organorum vitium ſæpe eſſe ſoleat, e cadauerum hydropicorum anatome diſcimus. Exempla qui deſiderat de hepate & liene indurato, ſcirrhoſo, arefacto, tumido, de meſenterii glandulis, monſtroſa magnitudine deformatis, induratis, grumoſa ſanguine ſuffarctis, is præter nunc citatam *diſſ.* §. *XIII-XV. Bonetum, Horſtium, Schenckium, Tulpium Ephemerides N. C. & Collect. Vratislauienſes* aliosque adeat.

12. Adcuſant quidem plures Practicorum tam difficilis & vix obtinendæ reſtitutionis cauſſam *vaſorum lymphaticorum diruptionem*, quam facile contingere poſſe adſerunt in abdomine, vbi hæc vaſa libera & ferme nuda magno numero iacent. Sed ſequentia momenta hanc ruptionem reddunt difficilem

1) quæuis inſignia ex iſtis vaſis cum venis & arteriis iunctim incedunt, & iisdem retibus vaginalibus, quibus illi canales tam inter ſe, quam cum muſculis & membranis connexi ſunt, itidem comprehenduntur.

2) Hoc etiam de abdominalibus ſeu meſaraicis vaſis, lympham vehentibus probe tenendum eſt. Hæc enim ipſi meſenterio eiusque duplicaturæ ita intertexta ſunt, vt horum æque ac aliorum rupturam metuere minime

me liceat. Si vero in caſu rariſſimo aliquid concedere velimus, de capacioribus illis adfirmari id poſſet, quæ immediate ex hepate prodeunt.

3) Sed neque in his ita facile ſupponenda eſt diſruptio, niſi diturnior illorum diſtenſio conſpicuas bullas, quas *hydatides* vocant, formauerit atque hoc modo ad diſruptionem vaſa diſpoſuerit.

13. Quod ad tumorem œdematoſum & hydropicum attinet, ille pro pure aquoſo infarctu habendus non eſt, qui ad abſolutam quaſi plenitudinem iam peruenerit. Si enim crura ægrotorum aqua reuera expleta eſſent; de pondere, quod in illis tolerabile obſeruatur, plures audirentur querelæ. Vnde tumidæ magis, quam ſero repletæ cenſentur partes fibroſæ. Die Füſſe ſind mehr aufgequollen, als mit Waſſer ausgefüllet.

14. Quoniam in concedenda lymphaticorum diſruptione antea difficiliores eſſe debuimus, alia ſucceſcentis tumoris œdematoſi & aſcitici ſubminiſtranda erit ætiologia. Nimirum vero videtur admodum ſimile, cauſſam illius tumidæ inflationis in ſimplici & copioſiori *tranſudatione* eſſe ponendam. Cum enim ſerum, ob ſpiſſiorem conſiſtentiam, in ambitu corporis per arctos cutis poros penetrando exitum nanciſci nequeat: tum tanto maiori copia circa interiora reſtagnat, & per poros partium internarum, quæ tam ob peculiarem teneritudinem, quam auctiorem in iis calorem, laxiores ſunt, transmittitur.

15. De *tympanitide* obſeruetur, illum ſub *differentia* quidem hydropum familiæ adnumeratum eſſe, vt conſpectus pathologiæ generalis conformis eſſet tractationi pathologico-therapeuticæ, quam in *Conſp. med. theor. pract.* pridem exhibuimus. Interim nos non fugit, quod neque *Stahlius* hoc pathema in hydropibus reputauerit in *theoria p.1188.* neque alii id velint; quemadmodum fecit *C. I. Langius* & nuper modo *Io. Her. Fürſtenau,* qui bene monet, morbum flatulentum, ſcilicet tympanitidem, ob ſubiectum ſpeciale & hydropi commune, quod abdomen eſt, non illico etiam pro vero hydrope declarandum eſſe. *Vid. eius diſſ. de tympanitide Rintelii 1733.*

16. In praxi inſuper ſæpius compertum eſt, flatus in ſtatu hypochondriaco & hyſterico credulis & incautis imponere, vt mox tympanitidem adfligere, mox vero grauiditatem ſubesſe credant, ſi præcipue tumor ventris magis acuminatus adpareat. Sed horum vtrumque non raro opinione citius euaneſcit poſt flatuum incarceratorum exploſionem, non ſine leui interdum indignatione matronarum, quarum ſpes vel vnico interdum flatu diſſipatur. *Conf. Zacchias in quæſt. Medico-leg. lib. I. tit. III. quæſt. I.* item *Io. Antonius Campanus Epiſcop. Aprutinus, qui poëmat. lib. IV. carm. V. p.m. 124.* ita canit:

Venter cum tumiſſet Accielllæ ſeptem menſibus & nouemdiebus,
Cœpiſſetque lien parum dolere: acciri iubet ilico obſtetricem
Quæri faſciolas & adparari, ſperato puerum editura partu:
Mox inter medias manus miniſtræ laxo poplite, cruribus leuatis,
Lucinam ingeminans, quater pepedit.

Sic plura præſumtæ & demum per crepitum diſcuſſæ grauiditatis exempla dabit *Io. Schenckius obſ. med. lib. IV. Miſc. nat. cur. dec. I. ann. I. obſ. I. in Scholiis.*

17. Is morbus paſſim etiam *hydrops* vocatur *ſiccus*, quia non aqua, ſed flatus peccant. *Williſius* autem, qui in *pharmacia rationali* tympanitidis ætiologiam emendatiorem eſſe voluit, docet: non flatus, ſed ſpiritus animales eſſe, qui ſpaſmodico motu agitentur, vtpote qui in fibras partium & viſcerum abdominalium adacti, ob ſucci neruoſi vitioſam diſpoſitionem, a regreſſu impediantur, & tantam infimi ventris intumeſcentiam excitent.

18. *Icterus* veteribus etiam *morbus regius*, *arquatus* & *aurugo* dictus, duplex hodie, nempe *flauus* & *niger*, notus eſt. Antiquitus icteri *vernalis*, *autumnalis*, *hiemalis* & *popularis*, ſeu quauis anni tempeſtate adfligentis, habuerunt notitiam, vt ex *Hippocrate* diſcimus. Inter recentiores mentionem fecit icteri albi *Ettmüllerus*, qui tamen diſtincte de eo non diſſeruit.

19. *Scabies* quo frequentior eſt: eo infrequentior in noſtris regionibus *ſcorbutus*: rariſſima autem vera *lepra*. Et quamuis lepram ſe vidiſſe practici interdum credant: tamen plerumque

que ſcabies effrenis, ſubinde furunculis & profundioribus exulcerationibus ſtipata, incautos decipit. Quid? quod quibusdam viſum ſit, lepram veterum cum lue venerea, hodie vbiuis nota, vnum idemque eſſe pathema. *Vid. Ammanni med. crit. cent. caſ. III.* Verum enim vero hoc adſertum tam dubium eſt, quam aliud quorumdam doctorum, qui progrediente tempore eos leproſos futuros adfirmant, qui conchis & oſtreis frequenter veſcantur; eo, quod omnes pro leproſis habeant, & ipſas margaritas concharum lepram eſſe declarent. Si hoc verum eſſet, quot non ex diuitibus videremus leproſos?

20. De *ſcorbuto* autem nuper, præter alios, egregie pronunciauit laudatus *Fürſtenau in coroll. IV. diſſ. de tympanitide*, quod eius exſiſtentia omnino neganda haud ſit, frequentiam vero tantam non eſſe, quanta vulgo extra oras ſeptemtrionales maritimas credi ſolet; minime omnium pro cauſſa cunctorum morborum habendum. Euanuit ſane maximam partem illa periodus, in qua, loco ſolidioris ætiologiæ morborum, practici nihil niſi ſcorbutum & catarrhum in ore habebant. Quam infeliciter autem hiſce ignorantiæ aſylis rem confecerint, ſcripta eorum teſtantur. *Conf. Io. Matth. Lurtzii diſſ. de quibusd. aſylis ignorantiæ medicorum Altorffi 1718.*

21. *Lues venerea* ſæpe ſcorbuti pallio obtegi ſolet ab illis, quos abominandi mali plus pudet, quam pœnitet. Hinc fit, vt propudioſa audacia nihil, niſi ſalia & acredinem in ſanguine crepent. Sed quanta ſit differentia inter ſcorbutum & deterrimam hancce luem, id perſpicue expoſuit *Stahlius in diſſ. de ſcorbuti & venereæ luis diuerſis ſignis & medicinis. Conf. Conſp. med. theor. pract. tab. de ſcorbuto.*

22. Turpiſſima interim res eſt, eos, qui inter chriſtianos nomen profitentur, eodem iam malo creberrime vexari, quo alias ethnici populi remotiſſimarum regionum ſoli mulctati ſunt. Sed non inique accidit; qui enim εν κοιταις και ασελγειαις animos & corpora corrumpunt, illi ſupparem quoque cum gentilibus pœnam luant. *Conf. Epiſt. Paul. ad Rom. Cap. XII. v. 13. Cap. II, 9.*

23. Ad *vitia ſudoris* continuus *pedum ſudor* minus adpoſite a nonnullis refertur. Nam ex motuum excretoriorum *vitiis* non facile ſperanda eſt euphoria ſanitati amica : quæ tamen obtinet, quamdiu largus pedum ſudor ſuccedit. Vbi vero per artificia imprudenter ſupprimitur, præter alia inſignia incommoda, etiam catarrhus ſuffocatiuus, funeſto interdum euentu, prouocari ſolet. Sudor autem *partialis,* ſiue ad difficilem ſiue ad vitioſam diaphoreſin relatus fuerit, neutra forte ſententia peccabitur.

24. *Vitia vrinæ,* quibus huius excretio vel difficilis redditur, vel prorſus cohibetur, multum ſemper negotii tam artifici, quam ægris faceſſunt. Sed maiorem admirationem tum merentur, cum ad lunæ phaſes vel inualeſcant, vel imminuantur. Exemplum notatu valde dignum adfert *Tulpius obſ. medic. lib. II. cap. XLIII. de iſchuria lunatica,* quam theologus quidem Anglus quouis plenilunio, cum inſigni æſtu & anguſtia olim paſſus eſt. In hoc viro prius non fluxit vrina, quam vel luna in decremento, vel ſanguis e brachio emiſſus fuerit.

25. Ceterum malunt aliqui diureſeos vitia potius ad ſpaſmos, quam ad aliam morborum claſſem referre; quibus litem nulli mouemus, dummodo in ætiologia & huic ſuperſtruenda therapia ſcopum feriant, nec variis fictionibus nitentes longius aberrent.

TAB.

TABVLA XIII.

DE MORBIS PRIMARVM VIARVM.

I. D*EFINITIO.*

Morbi primarum viarum vocantur illa pathemata, quæ ventriculum atque inteſtina occupant, & iam motibus ſpaſticis, iam excretoriis manifeſtantur: quibus laborioſis & incommodis actibus natura materiam aliquam peccantem, in hoc tractu hærentem, præparare & eliminare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Pertractatis priore tabula morbis lymphatico-ſeroſis, ordo nos ducit ad morbos primarum viarum, in quibus itidem materialis qualitas peccat, quam natura per varios motus ſpaſticos expellere laborat.
2. *Tres* horum morborum commode conſtitui poſſunt *claſſes*, quarum *prima* plus continet moleſtiarum, quam quidem dolorum. *Secunda* acutos dolores & euidentiores ſpaſmos comites habet. *Tertia* præter ſpaſticos motus excretiones habet coniunctas.

1) *Primæ claſſi* adſignantur

(1) *Fœtor oris.*

(2) *Anorexia* ſeu inadpetentia, quæ generaliori expreſſione paſſim etiam *Aſitia*, *Inedia*, *Apoſitia* & *adpetitus abolitus*, *proſtratus*, *deiectus* dicitur, cuius

a) *minor gradus dyſorexia* vocatur, in qua minus adpetitur, quam ætatis & vitæ generis ratio poſtulat.

b) *Maior gradus nauſea*, ſeu plenaria a cibis abſtinentia. De qua vide ſupra *tab. de febribus.*

(3) *Ardor ventriculi*
(4) *Flatulentia*
(5) *Vermes*
(6) *Obſtructio alui*
(7) *Procidentia ani*

} de quibus plenius actum eſt in *Conſp. noſtro theoret. pract. tab. CI. ſeq.*

2) *Secundæ claſſi*
(1) *Cardialgia*
(2) *Colica*
(3) *Paſſio iliaca*
(4) *Teneſmus.*

3) *Tertiæ claſſi*
(1) *Vomitus.*
(2) *Diarrhœa* ſimplex ſeu ſeroſo-mucoſa, bilioſa, cœliaca, lienterica, icterica, colliquatiua.

3. *Quartæ claſſi*, ſi quis forte eam conſtituere vellet, *cholera* eſſet adſcribenda, in qua ανω & κατω materia moleſta expellitur. Sed cum in febribus bilioſis iam locum habeat, commode huc transferri nequit.

4. Solemne eſt auctoribus ſyſtematicis, vt, dum de vitiis primarum viarum agunt, etiam de *adpetitus deprauatione* diſſerant. Conſiderantur hic

1) eius *exceſſus*, vbi
(1) in *viris* magis occurrunt
a) *orexis canina* ſeu anxium ciborum deſiderium, cuius expletionem vel vomitus, vel alui excipit deiectio.
b) *bulimus* ſeu intenſior adpetitus, cui dum ſatis fieri nequit, lypothymia & adpetitus amiſſio ſequuntur.
(2) In *feminis*
a) *malacia* ſeu nimium conſuetorum ferculorum deſiderium, quod tamen ſæpe ad cruda plane extenditur.
b) *Pica* ſeu vehemens rerum abſurdarum & eſui prorſus non deſtinatarum adpetitus.

2) eius *defectus no. 2.* iam indicatus eſt.

5.Quod

5. Quod præterea quædam primarum viarum pathemata hic deſiderentur, id non neglectui, ſed receptis ſemel methodi legibus attribuendum eſt. Vnde nulla fit mentio deficientis ſaliuæ in oris ac œſophagi glandulis; neque ventriculi inflammationis; hepatici fluxus; dyſenteriæ & hæmorrhoidum cæcarum, quia in *tabulis* de *hæmorrhagiis*, *congeſtionibus* & *febribus*, tamquam locis conuenientioribus de his iam actum eſt.

III. *SIGNA.*

1. *Adpetitus* tam excedentis, quam deficientis ſigna operoſe conquirere hic non expedit. Nam cuiusuis horum præſentia de ſignis ſimul teſtatur. Interim conferri poteſt *Conſpect. med. tabulis citatis.*

2. *Fœtor oris* pariter, in quocumque ſubiecto occurrat, in eodem moleſto ſuo halitu ſufficiens ſignum præbet.

3. *Ardor ventriculi* per ſenſum & feruorem, tam in ventriculo, quam circa ſiniſtrum eius orificium præcipue manifeſtus fit; vt licet reliqua ſigna ſimul non concurrant: tamen hoc vnum ſatis eſſe poſſit.

4. *Flatulentia* itidem per anguſtias tum medii, quam infimi ventris, in primis per borborygmos & moleſtas in inteſtinis ſenſationes, quæ ab illorum nimia & inæquali expanſione ac toni relaxatione oriuntur, abunde ſe prodit.

5. *Vermes* per aluum reiecti, aliud ſignum vix poſtulant. Interim eorum in primis viis præſentiam, ante ſui excretionem, indicant narium pruritus, tunicæ oculorum albugineæ liueſcentia, abdominis inflatio, torminoſus dolor, frequens ſputatio, ſitis ieiuna & ſæpe conuulſiones.

6. *Obſtructio alui* ex inſueta ſcybalorum retentione, capitis temulenta adflictione, præcordiorum anxietate & flatuum ructuumque incommodis, facile cognoſcitur.

7. Ita porro *cardialgia*, *vomitus*, *colica*, *paſſio iliaca*, *diarrrhœa*, *teneſmus* atque *procidentia ani*, quia ſignis minus ambiguis & ſenſibus vel leuiter aduertentibus facile innoteſcere ſolent; nouam

nouam repetitionem non poſtulant, cum alibi ſingulorum ſigna a nobis ſuppeditata ſint.

IV. *SVBIECTA*

1. *Adpetitus*

1) *excedentis* ſeu *addephagiæ* ſimplicis.

(1) *ratione ætatis* infantilis & puerilis ætas; quæ prudente educatione deſtituitur, vbi ſibi relicta cibos de nouo adpetit, prioribus nondum concoctis, & ita ſenſim noxiæ voracitati adſueſcit, ad morborum vſque euentum. His porro iungendi ſunt verminoſi & quidam hypochondriaci, quartanam aut epilepſiam paſſi, immo & feminini ſexus ſubiecta plura.

(2) *ratione temperamenti* vtriusque ſexus homines *ſanguinei* & *ſanguineo-phlegmatici*; qui adpetitui nimis indulgere ſolent. Quod ſi autem *cholerici* peccent, faciunt hoc non per adſumtorum copiam, ſed per præcipitem ingurgitandi modum. *Melancholici* vero quando in hoc negotio delinquunt, tunc vel inuidia, vel victus aliorum impenſis comparatus, ad hunc exceſſum eos abripit.

2) *Orexeos* & *bulimi* ſunt homines, qui partim cum diuturna inedia conflictati ſunt, vel phantaſiæ nimium indulgentes gulæ cupiditatem quantocyus expletam contendunt.

3) *Picæ* non numquam obnoxiæ obſeruantur feminæ menſium ataxiis laborantes: quemadmodum *malacia* grauidas iam mitius, iam vehementius vexare ſolet. Non tamen deſunt exempla, quæ & viros *malacia* correptos teſtantur. *Conf. Io. Rhodii Obſ. med. Cent. II. obſ. 57.* vbi virum, peruerſo hoc adpetitu laborantem, & per hæmorrhoidum fluxum ab eo liberatum commemorat.

4) *Deficientis* ſeu *anorexiæ* ſimplicis ſunt homines otioſi, meditabundi, & qui tam per temperamenti, quam vitæ rationem, aliis potius negotiis, quam nutitionis actibus inuigilant.

5) *Nauſeæ*

5) *Nauſeæ* vero ſubiiciuntur in primis ii, qui morbis periculoſis detinentur, in quibus natura neceſſario corporis defenſioni & conſeruationi, non autem alimentorum digeſtioni & augendis humoribus intenta eſſe debet. *Conf. ſupra tab. de febribus.*

2. *Fœtoris oris* ſubiecta ex cauſſis paulo poſt enarrandis optimo cognoſci poterunt.

3. *Ardoris ventriculi:* Homines ſanguinei & cholerici, ſi præcipue fuerint plethorici, ſanguine tenui, acri, & abundante bile præditi; iuniores potius quam ſenes; interdum & grauidæ.

4. *Flatulentiæ:* Phlegmatici, ſanguinei & quibus temperamentum ex his duobus mixtum eſt. Porro hæmorrhoidarii, hypochrondiaci, aut malo nephritico, iſchiadico vel podagrico expoſiti: inter feminas hyſtericæ & male tractatæ puerperæ.

5. *Vermibus* ſubiecta eſt inprimis puerilis ætas, voracitati plurimum indulgens: aliis non prorſus excluſis.

6. *Obſtructio alui* plerumque occupat homines vitæ ſedentariæ deditos, ſpeculabundos & in primis hypochrondriacos, temperamento ſicco præditos, plus quidem cibi parum autem potus adſumentes. His merito adnumerantur cacoſtomachi, & qui otioſi ſub crebra fumi nicotianæ ſuctione multum ſaliuæ profundunt.

7. *Cardialgia* infeſtat illos, in quibus vna alteraue ex cauſſis mox indicandis vrget.

8. *Vomitus* ſubiecta pro temperamenti, ſenſibilitatis aliarumque cauſſarum differentia diuerſa ſunt; hinc cognitis demum cauſſis facile perſpiciuntur.

9. *Colica* tentantur frequentius feminæ, & illæ quidem, quæ temperamentum habent ſanguineo-phlegmaticum, vel ſanguineo-cholericum, maxime ſub impedito menſium fluxu, aut ſi poſt puerperium de abdominis decente ligatione illis minus proſpectum eſt.

10. *Paſſionem iliacam*, qui incurrere poſſint, patefient ſub cauſſis.

11. *Diarrhœa* facile corripiuntur ſenſibiles, partim ob frigoris admiſſionem ad corpus vndique calens, partim ob nauſeabundam actiuitatem & certorum obiectorum auerſationem. Phlegmatici præter ea promtius, quam alia temperamenta alui experiri ſolent fluxum.

12. *Teneſmi* & *ani procidentiæ* ſubiectorum ſub *cauſſis* fiet mentio.

V. CAVSSAE.

1. *Adpetitus*, ſiue *excedens* ſiue *deficiens*, vti materialibus cauſſis adſcribendus haud eſt: ita a principio immateriali vnice dependet. Hinc nec veterum *ſuctio*, nec recentiorum *figura particularum*, vllam merentur attentionem. Vbi itaque

1) *adpetitus excedit*, ibi

(1) vel conſuetudo eſitandi ſubeſt,

(2) vel deſiderati ſaporis opinio & æſtimatio prædominatur.

(3) Vtrumque horum, cauſſas agnoſcit immateriales; alias nec conſuetudines emendari, nec adpetitus per vrgens aliud pathema tam ſubito interuerti poſſet. Veluti rationibus clare demonſtratum eſt in *Conſpect. phyſiol. tab. XXV. p. 350.*

(4) Roborat porro adſertum noſtrum ſubiectorum penitior conſideratio, quæ aperte ſuggerit, quod voracitas vitium ſit illorum, qui ſenſuum primos motus ſecuti, per ætatis, temperamenti aut ſexus rationem, id, quod corpori ac animo ſalutare exſiſtit, altius penſitare vel *non poſſint* vel *non velint*.

(5) Quibus monitis, facile erit iudicare, quam longe a vero aberrauerint *veteres*, qui docuerunt,

a) quod *orexis canina* proueniat vel ab oris ventriculi impotentia ingeſtorum pondus ſuſtinendi, vel ab intemperatura frigidiore, vel ab humoribus acidis, quos illud orificium abſorpſiſſe credebatur. *Vid. Galenus de loc. adfect. lib. VI. cap. III. de ſymptomat. cauſſis cap. VII. Commentar. II. in Hippoc. f. m. 311.*

b) quod

b) quod *bulimus* cauſſam agnoſcat frigiditate coniunctam *Conf.* idem *Galenus de ſimplic. med. facultat. lib. V. cap. V.* Verum ſi quis perpendat, quod alibi, nempe in *lib. de euporiſtis cap. XV.* contra hunc morbum commendet acetum, pulegium, pyra, poma & ſimilia olfactui admouenda; in eam facile deueniet cogitationem, quod iſtiusmodi vitia cauſſam efficientem, eamque materialem, in ventriculi ore ſiniſtro hærentem, habere neutiquam poſſint; cum odores, per nares hauſti, materiam, in primiis viis hærentem, abigere minime valeant.

c) Quam exacte ceterum e recentioribus nonnulli cum hac veterum traditione conſpirent, id *Th. Zwingeri theatrum prax. p. 71. Bœrhaave inſtit. med. §. 803.* clare perhibent.

2) Vbi *adpetitus deficit*, eadem valet cauſſa; æſtimatio nimirum & actiua eduliorum auerſatio. Nam

(1) ſi v. g. ventriculus deprauatus cruditatibus laborat, tunc valde incongruum eſt, ante illarum eliminationem, largiore ciborum ingeſtione easdem augere.

(2) Si autem ſub otioſa vita adpetitus iacet; natura non tam erroris argui, quam circumſpe&ionis laude ornari meretur. Cum periculoſum ſit, otiantium plethoræ, quæ imminutionem poſtulat, noua addere incrementa.

(3) Si denique in acutis nauſea obtinet; iterum materia illam non procreat, ſed rationalis principii ſumma contentio, corpus a certo & ſæpe admodum præcipiti interitu vindicandi; quo ipſo omnes ab hoc ſcopo alienas & coquinarias occupationes penitus reſpuit. *Conf. ſupra tab.* de *febribus*, in qua rationalem nauſeæ rationem argumentis demonſtrauimus.

2. *Oris fœtor* non vnius generis habet cauſſas.

1) Quædam enim promte tolli poſſunt: vt ſi fœtor ortus ſit a cibis valde olidis, quales ſunt allium, cepæ, raphanus vterque; vel a fumo nicotianæ, dentium carie & his ſimili-

 bus

bus. Ita facile quoque euaneſcit fœtor, quem potus ſpiritus vini aut medicamentorum adſumtio poſt ſe relinquunt.

2) Plus autem negotii faceſſunt cruditates in ventriculo deliteſcentes, vermes, ſtomacace, lues venerea, vlcera narium, capitis, pulmonis & oris fiſtulæ; a quibus fœtor grauis inducitur, qui medicationi ex voto non facile cedit.

3. *Ardor ventriculi*, ſeu *ſoda*, vulgo pro leui habetur pathemate, quaſi quouis tolli poſſit abſorbente. Verum, ſæpe ſpes eos fallit, qui adeo ſuperficiarie circa illius verſantur cauſſas. E re igitur erit tironum, paullo plenius huiusce mali exponere ætiologiam.

1) *Cauſſa materialis*,

(1) vel ſanguis abundans, & varie commotus,

(2) vel ſaburra bilioſa, in ipſo ventriculo aut duodeno hæſitans.

2) *Cauſſa formalis*, vberior ſanguinis ad ventriculi ſiniſtram regionem congeſtio, illius intra fibras tunicæ muſculoſæ ac nerueæ coaceruatio & per illas transpreſſio; qua fiente ſanguis promte incaleſcit & ipſi ſiniſtro orificio, multis neruis inſtructo ac proinde valde ſenſibili, moleſtum ardorem inducit, qui non modo per œſophagum ad fauces ſe extendit, ſed pro indiuiduorum ſenſibilitate nunc intenſior, nunc vero tolerabilior eſſe ſolet.

3) *Cauſſa efficiens*.

(1) Vulgo creditur vitioſa humorum in ventriculo ebullitio, vtpote ſub qua particulæ, in rapidiorem motum concitatæ, exitum hinc inde quærant & caloris ardorisque ſenſum inducant. Ebullitionem ipſam adſcribunt particularum alcalinarum & acidarum concurſui, quæ in ciborum ſolutione fermenteſcente ſibi inuicem occurſitent.

(2) Ab aliis autem ſanguis acris, bilioſus aut alia materia irritandi vi prædita adcuſatur. Verum enim vero, quia plures eiusmodi ſanguine laborant, & ſæpius cibis acribus, acidis, potibusque non ſatis fermentatis vtuntur,

nec

nec tamen moleſto hoc ardore corripiuntur; alia longe ſubeſſe debet cauſſa.

(3) Quare *efficientem* eamdem hic ſtatuimus, quam in *Conſpectu phyſiol.* & *patholog.* iam crebrius explicauimus, principium nimirum rationale, quod omnes in corpore motus inſtruit & hos quoque congeſtorios producit.

4) *Cauſſa finalis* quærenda eſt

(1) Potisſimum in *abundantis ſanguinis* imminutione. Quando enim ob variarum hæmorrhagiarum ſuppresſionem natura ſanguinem ad ventriculum reſtringit, & eumdem per vomitum cruentum excernere eminus conatur ſpisſitudinis autem vel aliorum impedimentorum ratio hunc finem præcludit: tum ſerum tantum acre per poros in ventriculum ſtillat, & *ſodam* producit.

(2) Vbi autem ſaburra biliofa aliaue acida vel acria in ventriculo iam præſto ſunt, ibi copioſior fit ſanguinis congeſtio, eo fine, vt materia irritans per talem humorum adfuſionem diluatur & eliminetur.

5) *Cauſſæ occaſionales*

(1) *Ratione aëris*, refrigeratio ventriculi aut extremorum imprudentius facta. Quidquid enim tranſpirationem periphericam præcludit, id naturæ anſam præbet, vt eiusmodi tenues & acres humores verſus primas regiones dirigat, ibique deponat.

(2) *Ratione alimentorum* cibi pingues, acidi, acres, fermenteſcentes, paſtæ farinaceæ, butyrum, mellita, fructus fugaces copioſius ſumti, vinum auſterum aut fæculenta cereuiſia. Heluones hoc malum ſæpius incurrunt, vtpote qui poſt crapulam excuſſam acerbe ſatis eo vexari ſolent.

(3) *Ratione motus* accuſanda eſt corporis vehemens commotio, ad exæſtuationem vſque & intenſam ſitim continuata. Hanc ſitim ſi vini dulcis aut cereuiſiæ fæculentæ potu leuare cupiunt, ardorem ingentem ac pertina-

tinacem experiuntur; vti caſus quidam a *Riedlino in curationib. med.* adnotatus, clare teſtatur.

(4) *Ratione animi pathematum*, iracundia eo promtius huius mali recurſum inducit, quo plus temperamentum fauet, & bilioſæ cruditates in ventriculo conſpirant.

(5) *Ratione excretorum & retentorum* plurimum conferunt

a) hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſio, ex quo fundamento

b) grauiditatis ſtatus in nonnullis ſodam adfert.

c) alui obſtructio.

d) ventilationum ſanguinis conſuetarum neglectus.

4. *Flatulentia.*

1) *Cauſſa* huius primaria eſt inteſtinorum & ventriculi atonia, quæ in phlegmaticis & ſanguineo-phlegmaticis præcipue obſeruatur.

2) Hanc atoniam fouent

a) *vita otioſa*, ſub qua tonus indies flaccidior euadit: vnde ſimul patet, cur feminæ vt plurimum otioſæ & ad frigoris caloriſque alterationes ſenſibiliores, flatulentiæ nimium ſint obnoxiæ.

b) materiarum talium in inteſtina admiſſio, quæ flatuum geneſin valde promouent. Harum

α) *aliæ* adſpumidam & elaſticam indolem pronæ ſunt, & hic maxime in cenſum veniunt oleracea, raphanacea, leguminoſa, piſces marini ſiccati, farinacea cocta & frixa, mellita, carnes pingues, ſi præcipue frigidus ſuperbibatur potus.

β) *aliæ* vero habiliores ſunt ad motum periſtalticum eiusque vſum & effectum fruſtrandum.

γ) *aliæ* denique efficaces ad imprimendum inteſtinis ſtimulum diuturnum & recrudeſcentem.

3) *Cauſſa efficiens* eſt ipſa natura, quæ ſymptomati huic paſſiuo ſeu moleſtæ inteſtinorum expanſioni ſeſe opponit, & per ſpaſmos ſuper inductos flatus ex vno clauſtro in aliud propellit, interdum autem *ανω* & *κατω* expellit. Secundum

dum *veteres*; ſucci pituitoſi, aut cibi a deficiente calore in halitum ſolutia dcuſantur. *Vid. Galenus de ſymptomat. cauſſ. lib. III. cap. II. f. m. 26.*

4) Nonnulli *recentiorum* flatus habent pro microcoſmi meteoris, & perhibent, eos eſſe exhalationes calidas, lentas, cohærentes, impetu quodam hinc inde delatas, aut incluſas; quarum *materia* quia *nitroſo-ſulphurea* ſit, accendatur & detonationes producat. *Conf. Pauli de Sorbait inſtit. med. f. m. 57.*

5) Alii cauſſam conſtituunt materiam *aerëo-elaſticam*, e liquore gaſtrico nimis acido, viſcido, auſtero, cibos male digerente & in craſſum chylum mutante, prognatam.

6) Alii contra *materiam* adcuſant *elaſticam*, per *laborem* & *fermentationem dilatabilem*, quæ vno momento coërcetur, altero autem, coërcente clauſto laxato, cum ſono & impetu explodatur. Et hi materiam ac inteſtinorum actionem coniungunt. *Vid. Zwingeri theat. p. 380. Boerhaave aph. 646.*

7) Alii in *ſpaſmos*, ab irritante materia excitatos, omnem reiiciunt culpam. Ab his tunicas inteſtinorum eorumque poros arcte condenſari putant, vt materia halituoſa per illos transhalare nequeat, ſed inteſtina e contrario diſtendat verumque flatum formet. Sed nullius momenti eſſe hoc quoque placitum, ſequentes euincunt rationes. Nam

(1) ſine veri ſimilitudine, nedum ſolido fundamento, nude ſupponitur, materiam halituoſam, elaſticam, per poroſitatem inteſtinorum, ac porro per ipſum abdomen poſſe omni tempore extra corpus ita excerni. Porro hoc commentum attenta praxis refutat, quæ ſæpe ſubiecta ſiſtit, quorum inteſtina ab eiusmodi materia vacua ſunt, miro tamen flatuum prouentu gaudent. *Conf. Stahlii diſſert. de flatulentia §. XVI.*

(2) Altera difficultas, quæ priori haud inferior, & nihil minus, quam mechanicam ακρίβειαν, refert, hæc eſt: nimirum ſi ſpaſmo contrahuntur inteſtina & adeo arcte condenſantur, vt neque halituoſa materia aëreo-elaſtica

ſtica per eorum poros penetrare valeat; qui fit, vt poſthabita tam pertinaci conſtrictione, inteſtinorum canalis nihilo ſecius ad inſignem ſæpe extendi poſſit amplitudinem? veluti teſtatur αυτοψια.

4) *Cauſſa finalis* liquido conſtare poterit ex ante dictis. Cum enim materiæ halituoſæ, expanſiuæ per relaxationem motus periſtaltici amplior conceditur locus: tum illico conſequi ſolet inſignis inteſtinorum, aut portionis ſaltem relaxatæ diſtenſio, quæ ſenſum dolorificum & ſatis acutum inducit. Quod incommodum, vt aboleri poſſit, alibi per inteſtini tractum tonus augetur & ſolito fortius intenditur, vt hac ipſa naturæ antipraxia deficiens paſſim tonus ſuo priſtino reſtituatur vigori.

5) *Cauſſæ occaſionales*

(1) Molimina varia ad hæmorrhoides & menſes.

(2) Abdominis decens ligatio poſt puerperium omiſſa aut negligenter adminiſtrata.

(3) Frequens flatulentorum eſus, de quo ſupra iam dictum eſt.

(4) Artuum refrigeratio, & in primis ambulatio pedibus diſcalceatis in pauimento frigido.

(5) Infuſi calidi, præſente iam aliqua atonia, crebrior vſus; vnde maior relaxatio & flatulentia.

(6) Alui obſtructio.

5. *Vermes.* De horum prima origine, variis generibus, generandi modo & multiplicatione non ſolum in primis viis ſed etiam in aliis corporis partibus, vt in cerebro, auribus, pulmone, corde, hepate & plane veſicula fellis, hac vice non differemus, quia partim in *Conſp. med. tab. CIX.* fuſius iam egimus; partim quia vniuerſum hoc negotium nondum ita exploratum habemus, vt citra oppoſiti formidinem adquieſcere liceat. Interim conferatur *Io. Hen. Schulzii diſſ. de animalibus humanorum corporum infeſtis hoſpitibus*, in qua multa curioſa, quæ huc faciunt, collecta deprehenduntur. Ceterum per vulgus notum eſt, e qualibet corruptione vermes gene-

generari; vnde vero ſatis ſimile putamus, quod etiam in microcoſmo ex eadem corruptionis cauſſa vermes producantur. *Conf. Io. Fr. de Pre diſſ. de genuina verminationis indole & therapia Erford. 1725. Io. And. Fiſcheri diſſ. de Verminatione affectu inteſtinorum moleſtiſſimo. ib. 1728.*

6. *Alui obſtructio*

1) *Cauſſam* habet *actiuam*, quoties natura congeſtiones humorum ad certa loca molitur, vel ſinceras excretiones continuat. Hinc

(1) in *adparatibus hæmorrhagicis* aluus adſtricta eſt, veluti in *tab. de hæmorrhag. nat.* docuimus.

(2) in *febribus acutis*, in quibus excretiones vel particulares, vel vniuerſales celebrandæ ſunt. Quia vis motus tonici omnis eo intenditur, vt materia ſecernenda & excernenda ad deſtinata colatoria vberius dirigatur, & pro ſcopo, quem natura intendit, etiam excernatur; ſub qua vniuerſali & ſolito auctiore toni intenſione, aluus quoque per conſenſum conſtringitur.

2) *Cauſſam paſſiuam* habemus, quando periſtalſis debito ſegnior reddita, fæcum excretionem remoratur, & ſcybalorum indurationem promouet. Ad vtrumque ſymbolam conferunt

(1) temperamentum ſiccum, & inde pendens habitus ſtrictior.

(2) vita ſedentaria.

(3) diæta ſicca craſſa, & prandia largiter ſumta; ſufficientis potus defectus, & per malam adſuetudinem quaſi auerſatio; qualem in hypochondriacis & hyſtericis ſæpe obſeruamus.

(4) flatulentia frequens.

(5) largi ſudores, extra corporis motum contingentes.

(6) ſtimuli naturalis & exonerationem alui monentis neglectus perque negotia meditabunda ſuppreſſio.

7. *Cardialgia.*

1) *Cauſſæ materiales* eſſe ſolent flatulentia hypochondriaca & hyſterica; cruditates in primis viis hærentes; vermes,

varii ſanguinis retenti motus, in primis vomitum cruentum reſpicientes; denique chronicæ primarum viarum læſiones.

2) *Cauſſa formalis*, periſtaltici motus ventriculi in primis eiusque orificii ſiniſtri & ſubinde muſculorum diaphragmatis per conſenſum adfecti, alternatiua toni relaxatio & ſpaſmodica intenſio; a quibus moleſti illi effectus ad ſuffocationem & ſyncopen accedentes dependent.

3) *Cauſſa efficiens* vulgo perhibetur ſpaſmodica fibrarum neruearum ſtomachi corrugatio, flatibus exitum præcludens; cuius cauſſam porro eſſe volunt humorem ſeu paſtam acido-auſteram, acrem, flatulentam. Sed cum motus vitales ciere varieque alterare, nulli materiæ conueniat, refutandis hiſce ſomniis non immorabimur, prouocantes ad *veram* cauſſam efficientem, *immaterialem* & rationalem, de qua ſatis iam actum eſt.

4) *Cauſſa finalis* eſt naturæ intentio, vel ſanguinem ad ventriculum congeſtum, vel materiam aliquam in illo, aut circa ſiniſtrum eius orificium hærentem, diſcutiendi, eliminandi aut vero flatus diſſipandi.

5) *Cauſſæ occaſionales*

(1) Refrigeratio ventriculi & pectoris.

(2) Diæta generatim craſſa; ſpeciatim cibi malæ digeſtionis copioſe ingeſti.

(3) Exanthematum retroceſſio.

(4) Alui obſtructio.

8. *Vomitus*

1) *Cauſſa materialis*

(1) Saburra viſcido-mucida, aut etiam bilioſæ cruditates in primis viis hærentes; ob quam cauſſam infantes vomitu ſæpe corripi videmus.

(2) Ciborum dyſpeptorum, vel optimorum etiam, cum nauſea aut copioſius adſumtorum, reliquiæ, ventriculum adgrauantes.

(3) Ver-

(3) Vermes.

2) *Cauſſa formalis* generatim dici poteſt primarum viarum periſtalſis inuerſa: ſpeciatim vero eſt ventriculi & œſophagi ſpaſmodice adfecti motus quaſi retrogradus & diaphragmatis æque ac muſculorum abdominalium conuulſiua actio.

3) *Cauſſa efficiens* vulgo ponitur tunicæ ventriculi nerueæ irritatio: cauſſa vero irritationis putatur acrimonia ſucci heterogenei. Quia vero vomitum a nuda ſæpe imaginatione oriri animaduertunt, ſine vllius materialis cauſſæ interuentu: hinc ſpirituum quoque animalium motum perturbatum in claudicans ſubſidium vocare coacti ſunt. Nos autem cauſſam efficientem habemus ipſam naturam, quæ per hanc viam materias quasdam moleſtas, ſiue veras ſiue fictas, excernere intendat. Vnde

4) *Cauſſa finalis* facile poteſt peruideri.

5) *Cauſſæ occaſionales*

(1) Refrigeratio abdominis.

(2) Adſumta varia, concoctu difficilia, aut alia inſueta, peregrina, emetica, & in ſenſibilibus variæ medicaminum formulæ, aliæque res viſui, olfactui aut guſtui minus gratæ.

(3) Seſſio ad focum igne inſtructum, compreſſo abdomine, & extrinſecus incalente.

(4) Vigiliæ nimiæ.

(5) Iracundia, terror, reminiſcentia illorum, per quæ ad vomitum olim concitati fuimus.

(6) Sudor impeditus & per repentinam refrigerationem ſuppreſſus.

(7) Grauiditas, vulnerationes capitis, inflammationes diaphragmatis, hepatis, lienis, meſenterii, renum.

9. *Colica*

1) *Cauſſa materialis*

(1) Sanguis hæmorrhoidalis & menſtruus præter naturam retentus.

(2) Materia mucida, viſcida, bilioſa, flatulenta in fiſtula inteſtinorum, præcipue craſſorum, hærens.

(3) Scybala indurata flatibus liberum exitum denegantia.

2) *Cauſſa formalis* eſt inteſtinorum, in primis coli relaxati & a materia flatulenta præternaturaliter diſtenſi, contractio & ad naturalem vigorem tonicum reductio.

3) *Cauſſa efficiens*

(1) ſecundum *veterum* traditiones eſt humor viſcoſus, frigidus, craſſus & ſpirituoſus, egredi neſcius. *Vid. Galenus de loc. adfect. lib. VI. cap. II.*

(2) Ad mentem *Helmontii* eſt fellis fermentum; decernente autem *Muſitano*, ſal acidum reſolutum. Sed apud μεχανικοτάτως philoſophantes particulæ aëreæ, acido-viſcidis cruditatibus concluſæ, & elaſtica ſua virtute liberam ſui expanſionem vndique molientes, vtramque faciunt paginam. Nos motum hunc ſpaſticum vti nullum alium a *materia* quacumque, ſed a principio *immateriali* deriuamus, & breuitatis ergo remittimus tirones ad illa, quæ paulo ſupra de cauſſa efficiente ſæpius iam diximus.

4) *Cauſſa finalis* eſt vel ſanguinis, vel flatuum vel alius materiæ diſſipatio & expulſio.

5) *Cauſſæ occaſionales* ſunt varia ciborum ac potuum genera, in ſe bona, ſed ob indiuidualem ſenſibilitatem ad eiusmodi effectus habilia. Refrigerationes pedum & abdominis tam actu, quam potentia, factas; obſtructio alui; flatus retenti.

10. *Paſſio iliaca.*

1) *Cauſſæ materiales*

(1) Hernia incarcerata

(2) Portio inteſtini vnius in alterum implicatio ſeu inſinuatio, quæ fere numquam ſtaſi inflammatoria deſtituitur.

(3) Ex-

(3) Excrementorum induratorum farrago, adeoque pertinax alui obſtructio.

(4) Inteſtinorum inflammationes.

2) De cauſſa *formali*, *efficiente*, *finali* denuo diſſerere ſuperuacuum eſt; quia quæ huc pertinent, ex cauſſis flatulentiæ, vomitus & colicæ peti poſſunt.

3) Cauſſæ occaſionales ſæpe ſunt:

(1) Colica conuulſiua.

(2) lumbricorum viuorum copia, vel etiam mortuorum colluuies.

(3) cibi crudi, fumo ſiccati, potus auſterus, fæculentus, & fermenteſcens

(4) aër nimium frigidus, & corporis in aquam frigidam immerſio.

II. *Diarrhœa.*

1) *Cauſſa materialis* diarrhœæ ſimplicis eſt materia viſcida & partim ob tenacitatem, partim ob ſui copiam, primis viis moleſta. In caſu autem extraordinario, vt in cholera, adflictione verminoſa, fluxu cœliaco, hepatico, lienteria, in febribus acutis & hecticis aliæ ſubeſſe ſolent materiales cauſſæ.

2) *Cauſſa formalis* non eſt inteſtinorum laxitas præternaturalis & facultatis retentricis læſio ſiue infirmitas; ſed auctior motus periſtalticus, quo inteſtina crebrius conſtringuntur & ad excusſionem moleſti ſollicitantur; ſub quo conſtrictionis & repetitæ corrugationis actu, non modo humores ad primas vias vberius diriguntur, ſed etiam e glandulis inteſtinorum liquidum ad vias lubricandas, materiam reſoluendam & abſtergendam, ſimul exprimuntur.

3) *Cauſſa efficiens* vulgaris eſt irritans acrimonia. Vera autem ex antecedentibus liquet.

4) *cauſſa finalis* citra difficultatem pariter agnoſcitur.

5) *Cauſſæ occaſionales:* refrigerationes corporis; ſudoris re-

preſſiones; cibi varii; fructus recentes; potus fermentans; medicamenta; iracundia; terror; timor anxius; nauſea.

12. *Teneſmus.*

1) *Cauſſa materialis*

(1) Diuturna materiæ acris, bilioſæ per aluum deiectio.

(2) Hæmorrhoidum fluxus impeditus, per varia tamen naturæ molimina ad eruptionem ſollicitatus.

(3) Calculus veſicæ, inteſtinum rectum comprimens.

(4) Aſcarides.

2) *Cauſſa efficiens* ſecundum tritam opinionem eſt omne id, quod toties ſub cauſſa materiali ſigillatim indicatum eſt. Sed quemadmodum in omnibus reliquis morbis falluntur, qui materiam, propter quam certæ motuum alterationes fiunt, cum ipſa cauſſa, motus rationaliter & finaliter alterante, confundunt: ita etiam in teneſmo aberrant.

3) *Cauſſæ occaſionales* ſunt grauiditas; purgantia reſinoſa; abſtergilla ex chartis, quæ acria cauſtica continebant, vt piper. rad. ari, zingib. vitriol. alum. & ſimilia. Eo referri poteſt diuturna equitatio.

13. *Procidentia ani* a nimio teneſmo, præcipue ſub fortiori niſu in deponendis ſcybalis induratis, aut acrioris materiæ deiectione oritur, & non raro infantibus ac pueris, in locis frigidis deſidentibus, euenit. Nonnumquam autem grauior cauſſa ſubeſt, nimirum ſphincteris relaxatio, quæ tamen non totum inteſtinum, ſed tunicam eius nerueam glandulis refertam procidere permittit. Conferri meretur *Stahlii colleg. caſ. mai. caſ. LXVI.* & *Minus caſ. XXXIX.*

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Non incongruum erit, primarum viarum denominationis rationem ſubnectere: cum plures dentur tirones, qui id ipſum ignorent.

1) Equi-

1) Equidem quod per *primas vias* intelligatur longus inteſtinorum tractus, cuius initium eſt pharynx, & finis ſphincter ani, ſatis omnino conſtat.

2) Cur vero *primæ* dicantur viæ, non omnibus liquet. Reſpicimus autem *nutritionis* negotium, ad quod tres actus requiruntur, nempe digeſtionis, ſanguificationis & adpoſitionis. Vnde viæ illæ, in quibus digeſtio *prima* ſeu chymificatio peragitur, *primæ* dicuntur, quæ differunt a *viis ſecundis*, digeſtioni *ſecundæ* ſeu chyli diſtributioni & hæmatoſi inſeruientibus; quemadmodum vtræque a *viis tertiis*, digeſtioni *tertiæ* ſeu adpoſitioni nouæ dicatis, ſatis diſtinctæ ſunt.

2. De hiſce primarum viarum morbis notandum eſt, quod nonnulli eorum plus incommodi, quam periculi, foueant, e. g. ſoda, flatus, diarrhœa, vomitus, & colica ſimplex. Interim quia digeſtionis & chylificationis officinam hæ viæ conſtituunt, iudicatu difficile haud erit, quod in earumdem integritate aut læſione per multum ſit poſitum.

3. Pateſcit huius adſerti veritas tum maxime, cum molimina hæmorrhagica colludunt, & indolem eorum refractariam reddunt, veluti in colica hæmorrhoidali, ardore ventriculi, flatulentia hypochondriaca & vomitu hyſtericarum, ſatis notum eſt.

4. De adpetitus vitiis notamus, quod tanto plures difficultates in horum explicatione ſe offerant; quo frequentius vulgo a pituita inerte, bilis abſentia, fibrarum laxitate aut acrimonia deriuantur. *Conf. de vitriuoris Franckenau Sat. med.* XVI. *Pet. Borell. Obſ. Cent.* I. *obſ.* 52.

5. De *ardore ventriculi* monenda ſunt:

1) quod *Helmontius*, & ante eum *Paracelſus*, arbitrario auſu hoc pathema, contra auctorum conſuetudinem & veram vocis ſignificationem, *orexin* adpellauerint; quod quidam e recentioribus, quos inter *Nenterus* eſt, imitati ſunt.

2) Quod *ſodæ* vocabulum ex arte vitriaria in pathologiam irrepſerit; tertium autem comparationis non adeo liqueat.

Cum

Cum enim in illa cineres, ex herba *Kali* paratos, hic autem dolorem ventriculi vrentem denotet: tum de conuenientia diſpiciant alii.

3) Quod *ſoda* dolorem quoque capitis ſeu *cephalalgiam* deſignat; quo ſenſu, præter alios, *Matth. de Gradibus Conſil. IV.V.VI. f.m.5. ſequ. Io.Geo. Waltherus in ſylua. med. p. 276. 331. Valeſcus de Taranta in philonio* hoc vocabulum vſurpant. Peculiarem vero dolorem capitis eumque *ſoporiferum* per *ſodam* intelligit *Achilles Pirminius Gaſſarus* in *Epiſt. ad Conr. Geſnerum*, in qua dolorem hunc *ſodam ſubethicam* nominat. *Conf. Boneti ſepulchret. lib. I. ſect. III. obſ. 31.* & *Averroës* in *Colliget lib. IV. cap. XV.* voces, *Soda, Hemicrania* & *Sethica* promiſcue pro dolore capitis ponit.

6. *Flatulentiam* promte generari a *ſaccharatis*, pandemia ferme traditio eſt, friuolo innixa fundamento; quod in bilem cauſticam mutentur & cito inſuper aceſcant. Quod vltimum extra corpus humanum non plane negandum; ſed intra illud minime valet, neque cum illa opinione conciliari poteſt, quæ bilis indolem eſſentialiter *alcalinam* eſſe contendit. Nam ex hoc placito ſequitur, materiam *acidam*, e dulcibus enatam, cito mutari debere & poſſe in alcali. Quem fiendi modum explicatum & demonſtratum optant curioſi quique.

7. Ita porro perpetuo confundunt *mellita* cum ſaccharatis, hisque audacter adſcribunt; quod illis ſub certis circumſtantiis tribuendum eſt. Quam vanæ autem ſint illæ in ſaccharum declamationes; innumeris fere exemplis, ſaccharo quotidie abutentibus, demonſtrari poteſt. Nam præterquam quod infuſa calida eo condiantur, & multi in Saxonia inferiori vinum non niſi valde ſaccharo adulteratum bibant: nihil tamen de bilis inſigni prouentu aut muci copia præ aliis conqueruntur. Alias maiore adhuc iure proſcribendæ eſſent formulæ officinales tot ſyruporum, electuariorum, linctuum, iulapiorum, morſulorum aliorumque. *Conf. Conſp. Hygiein. tab. III. p. 473.*

8. Quod

8. Quod vero ad promtitudinem, multos flatus generandi, attinet, duæ accuſantur cauſſæ antecedentes:

1) Atonia flatulenta, vno impetu inteſtinis inducta; quæ ſubiectis poſthac adeo adhæret, vt propter leves cauſſas recrudeſcere ſoleat.

2) Immodeſtius adfectata flatuum exploſio; per quam malam conſuetudinem etiam illi, qui ad flatus alias per atoniæ abſentiam non ſunt procliues, hoc incommodo corripiuntur.

9. Qui vero fiat, vt flatus ſæpe numero ſponte deſinant iterumque euaneſcant, paſſim diſquiri ſolet. Illi, qui ſupra profligatæ opinioni adhærent, quaſi flatus per inteſtina & abdomen exhalare poſſint, aut in ſanguinem remeent; rem explicatu facilem eſſe iudicant. Nos vero notandum commendamus,

1) quod flatus tam facile non euaneſcant, niſi mitiores fuerint.

2) mitiores autem, non obſtante, quam conceperunt elaſticitate, ſenſim iterum denſantur & in corpus arctius fluidum coaleſcunt: quo facto, diſtenſionis energia ſubſidet, tonus placide reſtituitur, æqualiter continuatur & totum incommodum ceſſat.

10. *Vermium* in corpore humano prouentus, vti multis dubiis vexatis ſubiacet, quibus neque a *Nic. Andry*, neque ab *Ant. Valliſnerio* ſatis factum eſt; ita admirantur nonnulli illud phænomenon, quod nimirum canum energia coctrix, quæ alias concoquendis oſſibus ſufficiat, ſoluendo digerendoque lumbrico molli haud par ſit. Quæ admiratio in illis per id augetur, quod nullo tempore voraciores obſeruentur, quam dum his vexentur animalculis. Ex his porro mirandum non eſſe iudicant, ſi humano in corpore idem fieri nequeat. Interim per *viui* & *mixti* differentiam, intimius ponderatam, hæc admiratio imminuitur.

11. *Colicæ* cauſſa tam materialis, quam finalis ſi recte ponderentur, nullo negotio animaduerti poterit, quod principium vitale, ad finem ſuum obtinendum, tanto impetu tantaque

motus periſtaltici exacerbatione haud indigeat, ſed mitior agendi modus materiæ diſſipandæ ſufficere poſſit: Quod non modo de colica ſimplici flatulenta valet, ſed etiam de pertinaci illa hæmorrhoidali, in qua, erroneo prorſus conatu, ſanguis, ad inferiora propellendus, præpoſtere ad mediam regionem cogitur.

12. Diſtinguunt aliqui *paſſionem iliacam* a *chordapſo* ita, vt *illam*, adflictionem inteſtinorum *craſſorum; hunc* vero *tenuium* eſſe adſerant. Præterea ſcite obſeruauit *Gohlius* in *Act. med. Berl. dec. II. Vol. IV.* dari non numquam caſus, in quibus ſubiecta paſſionem iliacam pati videantur; myſterio autem penitius detecto deprehendi, quod perquam raro tali morbo laborent, qui in læſione ſitus partium conſiſtat & adpoſite *Ventriculi hernia* adpellandus ſit.

13. *Vomitus* mere *aquoſus* vices hæmorrhagiarum, tam naturalium, quam artificialium, explere nonnumquam ſolet; qua autem ratione id fieri poſſit, non inepte diſquiritur.

1) Quod ad veritatem exſiſtentiæ attinet, homines ſubinde occurrunt, qui hæreditariam diſpoſitionem habent ad hæmorrhoides; ſed quia nec fluxum experiuntur, nec venæſectionibus ſibi conſulunt, ſponte natura tempore verno & autumnali, vomitu corripiuntur, qui aliquot diebus durat, & euphoriam poſt ſe relinquit.

2) Interim laborioſus & moleſtus modus eſt, tot vomitionibus hæmorrhagiæ defectum ſupplendi;

(1) poſtulat enim copioſam humorum a peripheria ad ventriculum directionem, congeſtionem & reſtrictionem.

(2) Hos actus excipit fortior ſanguinis in ſerum reſolutio, colliquatio, per glandulas gaſtricas ſecretio & excretio.

(3) Quibus peractis demum ſequitur anoterica ope motus periſtaltici inuerſi reiectio; quæ plus moleſtiæ creat, quam decem venæſectiones.

14. Qua occaſione de motu periſtaltico inuerſo, partialiter tantum in vomitu agente, hoc addendum: quod paſſim exempla ſe offerant eorum, qui per emeſin, certam quamdam mate-

materiam ſolummodo eliminent, reliquis in ventriculo reſeruatis. De qua re *Act.med.Berol.* notabile exemplum ſenis cuiusdam referunt, qui per aliquot annos poſt prandium vomere ſolitus, nihil niſi viſcidum ac bilioſum crama reiecerit, eſculenta & potulenta prorſus retinuendo; idque cum euphoria. De grauidis ceterum poſt paſtum vomentibus & adſumtos cibos retinentibus, res notior eſt, quam vt hic repeti conueniat.

15. *Diarrhœam* ceterum non *paſſiue* contingere, vt cum veteribus plures opinantur, ſed principium vere actiuum in hac excretionis ſpecie operari, ex ſequentibus perſpici poteſt.

1) Ægerrime ferre ſolet natura, quando in motibus, quos ſemel propter certum finem excitare decreuit, turbatur, & quamuis interdum tam in motus gradu, quam materiæ excretæ quantitate peccet: propriæ tamen culpæ delicta facilius tolerat ac citius eluit, quam vt aliunde factas cohibitiones perferre velit.

2) Vbi vero ab artifice vincitur; propoſitum non deſerit, ſed, pro differentia ætatum ac temperamentorum, materiam peccantem aliis modis & viis eliminare ſtudet. Vnde, diarrhœæ loco, ſcabies, vlcera, vrinæ vitia, catarrhus ſuffocatiuus & apoplexia ſuccedere ſolent. Tacemus vertiginem, cardialgiam colicam & alia.

16. *Procidentia ani* ad morbos paralyticos aut ſemiparalyticos a non nullis ſolet referri. Sed quamuis illis interdum adnumerari iure queat: tamen ſæpius teneſmum conſequitur, quam paralyſin. Vnde ad primarum viarum morbos congruentius relata eſt.

17. Tantum de morbis *quantitatis* & *qualitatis* commentari viſum eſt. Nunc ad morbos *motuum deficientium*, ſtrictim pertractandos, progredimur.

TABVLA XIV.

DE
MOTVVM VITALIVM DEFECTV.

I. **D***EFINITIO.*

Defectus motuum in corpore viuo eſt actuum tam vitalium quam animalium, ſiue ex parte, ſiue ex toto, ceſſatio, quæ a tædio & deſperabunda principii vitalis tergiuerſatione plerumque originem ducit ac periculoſa œconomiæ vitali conſectaria minatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Expoſitis morbis, in quibus natura, rationaliter & finaliter in corpore agens, per aucta actuum vitalium exercitia ſe manifeſtat: ad illos nunc accedimus, quos voluntaria motuum partim intermiſſio, partim omiſſio, graues & ſæpe deleterios reddit.

2. Horum *tres* præcipue conſtitui poſſunt claſſes, quarum

1) *prima* continet illa pathemata, quæ ob cauſſam potius *moralem*, quam *materialem*, motuum *vitalium* ac *tonicorum* in primis amisſionem, turbationem & omisſionem inferunt; pulſu cordis & actuum animalium exercitio plus minus relictis. Cuius generis ſunt

(1) Defectus virium,
(2) Tremula partium impotentia,
(3) Maraſmus ſeu marcor ſenilis
(4) Paralyſis & hemiplexia,
(5) Apoplexia.

2) *ſecunda* claſſis complectitur morbos, in quibus cauſſa *materialis* manifeſtior occurrit, ob quam natura motibus tam vitali-

vitalibus, quam animalibus, ſufflamen iniicere & frequenter vitæ finem facere ſolet. Hi ſunt

(1) Catarrhus ſuffocans,

(2) Pathemata ſoporoſa.

3) *tertia* claſſis ſiſtit illud malum, quod motuum animalium & vitalium, in his vero *pulſus* præcipue vel debile admodum exercitium, vel quantum ſenſibus percipi poteſt, completam omnium abolitionem adfert, & homines mortuis pæne ſimiles reddit. Cuius *mitior* gradus animi deliquium ſeu *leipothymia*, *intenſior* autem *ſyncope* adpellari ſolet.

3. Hæc generatim motuum deficientium præcipuam differentiam indicant. Quo autem modo ſpeciatim inter ſe differant, e nunc dicendis patebit. Ante omnia propulſandum erit præiudicium, ac ſi *primæ claſſis* pathemata non niſi *gradu* diſtincta eſſent; cum tamen diuerſæ ſint deficientium motuum *ſpecies*. Nam

1) Si morbi iſti differentium tantummodo eſſent graduum, vera inter ipſos deprehenderetur confinitas, ſecundum quam ad mutuum progreſſum & ſucceſſum liberior ac frequentior daretur tranſitus.

2) Ita *virium deiectio* in febribus malignis ſæpe ſumma occurrit & ad mortem vſque augetur; *paralyſis* tamen grauem hanc virium iacturam non excipit, ſed, quod probe notandum, *conuulſiones* non raro illius legunt veſtigia.

3) Præterea compertum & multa obſeruatione firmatum eſt, paralyſin potius ſuperuenire grauiori conuulſionum adflictioni, quam motuum defectui, ordinarie prægreſſo.

4) Verum quidem eſt, quod tremores artuum paralytodei in paralyſin, aut paralyſes ſubinde in apoplexiam degenerent, & apoplexia leuior in paralyſin non numquam abeat, ſed raro id contingit, neque eiusmodi tranſitus adeo facile, nedum tam promte, quam quidem nonnulli opinantur, euenit, verum plures annos ſeu amplam ætatis periodum intercalarem inuoluit: vt minime ſpecificam

inde paritatem, ſed genericam tantum occaſionem perſpicere liceat.

4. Quibus expeditis differentiam defectus virium & tremoris artuum nunc indicare conuenit.

1) Vires aliæ ſunt

(1) vel *a priori* omiſſæ, ac ſponte natura quieſcentes,

(2) vel *a poſteriori* amiſſæ, conſumtæ, exhauſtæ, de quibus plenius ſub cauſſis.

2) Virium defectus oppido inſignis, qualis in malignis ſe offert, ſine tremore paralytode exſiſtere ſolet; tremor autem paſſiuus virium labefactionem ſemper habet coniunctam.

3) Sub eodem virium defectu actus animales admodum imperfecte exercentur, immo ſæpe ſuſpenſi videntur: homines autem tremore adfecti peregre proficiſci valent, inſuper adpetunt, digerunt & nutriuntur, quod aliter longe in vero virium defectu accidere nouimus.

4) Vtræque hæ deficientium motuum ſpecies a *ſenili maraſmo* decenter diſtinguendæ ſunt, quemadmodum veteres hunc ipſum maraſmum, quem *ſenium ex morbo* adpellare placuit, probe diſtinxerunt. Notamus autem:

(1) *maraſmus* enim decrepitis, ſilicerniis euenit, quorum ætas ad duodecimum ſeptenarium accedit, aut eumdem iam transgreſſa eſt: ſed virium defectus & artuum tremor etiam iuniores occupare & eneruatos reddere ſolet.

(2) Deinde *maraſmus* ſine artuum tremore inualeſcere & viciſſim tremula partium impotentia ſine maraſmo adfligere poteſt; licet interdum vtrumque malum iunctim ſubiecta vexare ſoleat.

(3) Virium deiectio in paſſiuo artuum tremore omnino adeſt, ſed in maraſmo longe maior obſeruatur.

5. Pergimus ad reliquas easque grauiores defectus motuum ſpecies, quas inter conſideranda

1) *pa-*

1) *paralyſis* vera idiopathica, ſeu repentina motus & ſenſus e membro quodam corporis vel completa vel maximam partem abolitio. Dantur autem plures paralyſeos ſpecies, e. g. quando oculorum palpebras, linguam, labia, maxillam inferiorem, brachium, digitos, crus, pedem aut ſphincterem ani vel veſicæ corripit.

2) *paralyſis ſpuria* ſymptomatica itemque *ſcorbutica* dicta, in qua adfecta membra

(1) vel potentia mouendi deſtituuntur, *ſenſu* autem prædita manent,

(2) vel vbi ſenſus valde ſtupidus & leuis ad motum diſpoſitio ſuperſtes eſt. Huic ſpeciei ſuppar videtur

3) *paralyſis purpurea*, noſtro tempore non infrequens & purpura laborantes paſſim corripiens.

4) *pareſis ex colica*, ſeu illa paralyſeos ſpecies, quæ vehementiores colicas, vt plurimum narcoticis & diaphoreticis male tractatas, excipit, cum toni in muſculis abdominis remiſſione & ventris quaſi tympanitica inflatione.

5) *hemiplexia* vel *hemiplegia*, ſeu ſenſus & motus in alterutro corporis latere, plerumque ſiniſtro, abolitio, oppoſito latere ſaluo permanente.

6) *Paraplexia* ſeu *paraplegia* eſt motus ac ſenſus in membro paralytico completa & vno impetu facta ablatio, cum manifeſta inflatione & ſecundum *Boerhaavium in inſtit. med.* §. *861.* immobilitate omnium muſculorum, qui neruos a cerebro & cerebello ſub cranio egredientes habent. Interdum *paraplexia* apud Medicos idem eſt, ac paralyſis, grauiorem apoplexiam excipiens.

6. *Apoplexia*, morbus paralyſi vera paullo frequentior, præceps ac ferme momentanea motus & ſenſus per vniuerſum corpus abolitio eſt; & quamquam reſpiratio aliquo modo relinquatur, auditus quoque & viſus ſigna ſuperſint: tamen omnimoda voluntariorum laborant impotentia. Differt

1) *ratione gradus:*

(1) *leuior* dicitur illa, in qua pulſus cum reſpiratione quodam

dam modo relinquitur, cum mouendi facultate admodum tenui & cito peritura: atque hæc non numquam in latioris ambitus paralyſin tranſire obſeruatur.

(2) *exquiſita* autem illa eſt, quæ intra pauciores minutas energiam omnium actionum, vitam quoquo modo indicantium, penitus tollit ſubitamque mortem adfert.

2) *ratione cauſſarum*

(1) alia eſt *ſanguinea*,

(2) alia *ſeroſa.* His tertiam ſpeciem, quæ *a defectu liquidi neruei* proueniat, addendam eſſe, aliqui ſerio contendunt.

7. Quibus porro modis apoplexia ab aliis congeneribus morbis ſe diſtinguat, itidem videndum.

1) a *paralyſi* differt

(1) *ratione ſubiecti ſpecialis*, quod in illa totum corpus, in hac vero alterutrum eius latus, aut ſingulare membrum eſt.

(2) *ratione vehementiæ:* in illa enim præter motus & ſenſus abolitionem etiam rationis vſus tollitur, in hac autem, licet labefactatus, relinquitur.

2) *a paraplexia,* inquit *Galenus in med. definit. f. m. 22.* differt *apoplexia,* vt totum a parte. Apoplectici enim ſunt etiam paraplectici, ſed non in vicem verſam. Ita in paraplexia rationis vſus quodammodo ſupereſt; in apoplexia autem eum ſublatum eſſe nouimus.

3) a *catarrho ſuffocante*

(1) *ratione ſubiectorum;* ſiquidem illa ætatem conſiſtentem & alias ſequentes; hic vero *primam* potisſimum corripere ſolet.

(2) *ratione euentus:* apoplexia alias excipere poteſt deſertiones motuum paralyticas; catarrhi autem ſuffocantis energia illam directe non prouocat.

(3) *ratione curationis.* Catarrhus iſte vti paullulum frequentius occurrit: ita ad ſuſcipiendam medelam pronior eſt. Quorum neutrum de apoplexia adſerere licet.

4) a mor-

4) a *morbis ſoporoſis:* in his enim ſenſus & motus non ſublatus eſt, vti quidem in apoplecticis, ſed vſus tantum eius per præternaturalem ſomnolentiam oppreſſus.

8. Quamuis ceterum *catochus* magno conſenſu Medicorum ſpasmis accenſeri & de *catalepſi* ſynonymice a veteribus & recentioribus vſurpari ſoleat: tamen *Coſchwitzio* placuit in *pathologia p. 419.* ſub iſto nomine ſingulare pathema apoplecticum ſeu paralyticum indicare, in quo totum corpus motu ac ſenſu priuetur; excepto ſolo capite, quod motu, ſenſu ac rationis vſu præditum maneat.

9. Perſpectis illis motuum deficientium ſpeciebus, quæ per ſenſus & motus tonici vitalis inſignem labefactationem, aut repentinam ac veram omiſſionem & abolitionem, in externis potiſſimum corporis partibus, ſe manifeſtant; ad alias progredimur, quarum noxa, intimius latens, interne primum ſe exſerit, & ordinarie tam repentinam omnium vitalium actuum ablationem, aut mortem non adferunt. Huius cenſus ſunt

1) *Catarrhus ſuffocans* ſeu ſumma reſpirandi impotentia vitæ interitum minitans, medelam tamen non prorſus reſpuens.

2) *Morbi ſoporoſi,* qui tam ratione protopathiæ, quam graduum inter ſe differunt. Hinc

(1) *morbus ſoporoſus ſymptomaticus* & acutis ſubinde ſuperueniens eſt

a) *Coma vigil* ſeu pertinax in ſomnum propenſio, ſine quieto, nedum profundo ſomno; vnde κωμα αγρυπνωδες ſeu inſomne veteribus audit. *Conf. Galenus libro de Comate cap. II.* vbi ſimul obiectionem quorumdam diluit, qui dixerint, propenſionem in ſomnum verum etiam ſomnum ſequi debere.

b) *Coma ſomnolentum,* ὑπνωδες, *cataphora,* eſt conſtans in ſomnum non modo propenſio, ſed etiam ſomnus naturali multo profundior, in quem homines, ægre excitati, ex templo iterum relabuntur.

c) *Typhonia* ſeu *typhomania* ex veterum ſententia præcedentibus addenda eſt, eo, quod itidem pro ſymptomate habeatur *phrenitidis*. Explicant priſci per delirium lethargicum, e phrenitide ſcilicet & lethargo complicatum. *Conf. Galenus* in *definit. med. f. m. 22.* Recentiores propterea *phrenitidem obſcuram* nominare malunt; ſiquidem phrenetici occurrunt, in quibus vehemens, clamoſum & inſultibus moleſtum delirium ſe non manifeſtat, ſed ſolum typhomania. Qua de re memoratu digna eſt *Hippocratis obſeruatio lib. III. de morb. epid. ſect. VII. f. m. 171.* vbi eiusdem anni *phreneticos* commemorat, non vehementer, vt alias, inſanientes, ſed *languida in ſomnum degrauatione* emorientes. *Vid. Galeni comment. in Hipp. prædict. f. m. 43. Boneti ſepulchret. lib. I. Sect. VII. obſ. 6. in not.*

(2) *morbus ſoporoſus idiopathicus*

a) *Lethargus*, ſopor comate ſomnolento profundior, e quo ægerrime excitari poſſunt homines, excitati autem, obliuione omnium rerum capti de nouo ac profundius eidem immerguntur; ſine tamen febre acuta, licet *Pancr. Bruno*, *Bonetus*, *Lommius*, *Muſitanus*, *Blancardus*, *Zwingerus* & alii contrarium adfirment. Concurrens enim motus febrilis, isque leuior, exquiſitam acutæ in morem non obſeruat periodum.

b) *Carus* autem in quo a lethargo differat, ob ingentem Pathologorum diſſenſum explicare difficile eſt.

α) Sunt, qui adfirmant, carum eſſe ſoporem profundiſſimum, lethargo grauiorem, cum repentina ſenſuum ac motuum abolitione, relicta ſolum ſpirandi facultate. Ac tum quidem alii *cum* febre, vt *Boerhaauius inſtit. med. §. 858.* & *eiusd. Aphoriſ. de cog. & cur. morb. §. 1045*; alii autem *ſine* febre, e. g. *Blancardus*, El. *Camerarius*, complicatum dicunt. Alii febris in caro nullam faciunt mentionem. Ceterum in hoc conueniunt ferme omnes, vt ſtatuant, eſſe

eſſe pathema lethargo grauius, apoplexia vero inferius.

β) Alii ponunt contrarium & de caro ita decernunt, quod vtique ſit ſopor lethargo leuior, & inter hunc & coma hypnodes, pathema medium cum minori obliuionis gradu. *Conf. Alberti introduct. in vniuers. med. p. 211. Coſchwitz pathol. p. 426.*

3) *Deliquium animi*, eclyſis, cuius diuerſi conſtitui ſolent gradus, quorum potiores ſunt:

(1) *Leipothymia* ſeu actuum tam animalium, quam vitalium notabilis defectus: qui, dum eo vſque increſcit, vt naturalis calor labefactari incipiat, *leipopſychiæ* nomine exprimunt. Alii inuertunt; alii autem plane ſuperfluum iudicant, inter duo iſthæc vocabula ponere diſcrimen.

(2) *Syncope* ſupremus leipothymiæ gradus eſt, in qua occurrit omnium motuum, quantum ſenſibus patet, abolitio quæ celeriter contingit & plerumque diuturnior exſiſtit. Vbi vero hæc inualeſcit, ἀσφυξίαν nominandam eſſe iubent *Boerhave in inſtit. Abrah. Vater in diſſ. de affectu magno mortique proximo ſyncope Witteb. 1723.*

10. Atque hæc ſunt diuerſa deficientium motuum pathemata; quibus alii inſerunt *Apnœan*, *Aphoniam*, *Anaiſtheſian.* Sed obſeruauit iam *Galenus lib. II. de ſympt. cauſſ. cap. II.* peculiares ſpecies non eſſe, ſed vnam eamdemque paralyſin.

III. *SIGNA.*

Signa deficientium motuum operoſe hic congerere eo minus ſtudebimus, quo manifeſtius membri aut totius corporis immobilitas & percipiendi actio abolita eiusmodi motuum ſuspenſionem aut ablationem prodere ſolent. Interim ſigna ſpecialia deſiderantibus ſatis fiet in *Conſpect. med. tab. CXIV-CXX.* vbi cuiusuis horum pathematum ſigna ſigillatim exhibuimus.

IV. *SVBIECTA*

Ex cauſſarum accuratiore enumeratione patebit, quod quidem omnis ætatis ac temperamenti homines motuum vitalium de-

fectus incurrere poſſint, ſenio tamen confecti prærogatiuam hic habeant. Cumque mox plenius de hac re dicendum ſit, anticipando hic diuellere & carptim tantummodo ediſſerere incongruum iudicamus.

V. *CAVSSAE*

A. *Generales.*

1. *Defectus virium* cauſſas ſcrutaturis, diſtincte prius explicandum eſt, quid per vires intelligamus? Sic enim eo expeditius perſpici poteſt nexus inter cauſſas & earum effectus. Per *vires* autem intelligitur principii immaterialis energia ſeu ſufficiens actiuitatis poteſtas, quæ in corpus, per motus conſeruandum, rationaliter, id eſt, ſecundum certum ordinem, gradum & finem impendi debet. Hæc autem energia

1) vel a *priori omittitur* ſeu ſponte natura corpori ſubtrahitur, & quidem in aliis, ex cauſſis mere moralibus, in aliis autem ex materialibus iam latentibus, iam ſatis manifeſtis.

2) vel *a poſteriori amittitur*, conſumitur, exhauritur, non *per* cauſſas materiales, ſed *propter* illas, ſeu inter pugnam & conflictum cum iisdem. Interim vero cum hoc virium defectu non confundi debent

(1) *paſſiua grauatio*, a ſanguinis abundantia coorta, de qua ſub plethora ad vires locuti ſumus.

(2) *Torpor ignauus*, in quo energia partes organicas varie agitandi vere non deficit, ſed ſolummodo ſubeſt agilioris operæ faſtidium, ſub ſegni & ſomnolento otio enatum.

2. His monitis ſubiungendæ erunt cauſſæ principes, propter quas naturæ energia vel *omittendo*, vel *amittendo* deficere ſolet.

1) *In morbis acutis* anſam præbet

(1) vel materiæ peccantis *copia*, quæ validiorem ac conſtantiorem motuum continuationem ad ſubactionem & expulſionem neceſſariam poſtulat; ſub qua actiuitas principii agendi *fatiſcit* & ſenſibili modo minuitur.

(2) Vel

(2) Vel materiæ *ſubtilitas*, quæ efficit, vt natura ad trepidas tergiuerſationes adducatur & deſperans a mouendo demum prorſus deſiſtat: ſucceſſum enim difficilem euentumque ambiguum vel præuidet, vel ſibi præfigurat.

2) *In morbis chronicis* illi in primis virium defectum adferunt, in quibus negotium nutritionis vehementer turbatum & peruerſum eſt.

3) Porro energia amittitur per *excretiones* nimias ſeu iacturam humorum, e. g. per hæmorrhagias ſiue actiuas, ſiue paſſiuas inductam; diuturnas diarrhœas, dyſenterias, prodigos ſudores, pertinaces vomitus. Hac enim ratione ſubtrahitur

(1) præcipuum virium inſtrumentum nempe ſanguis, qui alias moderato ſuo ſuffarctu ſingularum partium ſolidarum tonum ſuffulcit & flacciditatem auertendo, energiæ *mouenti* egregie velificatur ipſosque actus vitales dimidio expeditiores efficit.

(2) Deinde perit reliquæ maſſæ fluxilitas, quia ob fibrarum præcipue collabaſcentium flacciditatem difficilius circulatur.

(3) Hinc ſecretiones & excretiones multo laborioſiores fiunt; quæ circumſtantiæ limitatam in corpore noſtro energiam validius intendendam tandem infringunt, vt, ſuborto agendi tædio prorſus euaneſcat.

4) Deinde organi alicuius vitalis læſio, omnem medelam reſpuens, aut vniuerſi habitus deprauatio non minima cauſſa eſt, vt natura energiam vitalem omittat vel amittat.

5) Diuturna dolorum vehementia eumdem exſerit effectum: quoniam enim cum inquietudine & agrypnia dolores coniuncti ſunt, vires labefactantur & actiuitatis vigor vlterius proſequendis actibus vitalibus impar euadit.

6) Denique animi pathemata e. g. ira, terror, mœſtitia energiam vitalem vel infringunt, vel illius ſubtractioni anſam præbent.

B. *Speciales.*

Iam facile erit ſpeciales cauſſas ſubiungere & primum quidem *tremoris artuum.*

1. Ante omnia ex *differentia* repetere conuenit, quod *actiui* dentur artuum tremores, e. g. in terrore, ira, gaudio, febribus intermittentibus, in quibus tantum abeſt, vt motuum defectus peccet, vt potius ad *ſemi-conuulſiuos* referendi ſint. Contra *paſſiui* tremores a cauſſis priuatiuis dependent & ad morbos *ſemi-paralyticos* pertinent, quorum cauſſa *proxima* neruoſi generis flaccidam conſtitutionem inuoluit.
2. Cur vero natura ceu *cauſſa efficiens* in tremore hoc paſſiuo motus adeo trepide adminiſtret & per toni remisſionem membrorum perpetuam vicisſitudinem & agitationem admittat: id vel ab inſtrumentis debita aptitudine deſtitutis, vel ab actionum laborumque tædio rectam operationem amplius detrectante deriuandum putamus.
3. *Cauſſæ occaſionales*
   1) Morbi graues per vitæ curriculum plures perpeſſi.
   2) Excretionum ſanguinis & ſeri neglectus.
   3) Vehemens vomitus & regimen diaphoreticum, diu toleratum.
   4) Diæta calida aromatica & potus ſpirituoſi larga & quotidiana ingurgitatio. Hac enim ratione orgaſmus ſanguinis & elaſtica partium expanſio contingit, quæ poſt crapulam, conſtitutionem contrariam, nempe atoniam producit.
   5) Immoderatus & ſæpe repetitus ſaturatioris infuſi coffee abuſus, de quo *Conf. Hygieine tab. de cibo & potu.*
4. *Cauſſæ paralyſeos & hemiplexiæ*
   1) Cauſſa *efficiens* immaterialis eſt faſtidium ipſius naturæ, motus vitales ob quamcumque difficultatem exercendi.
   2) Cauſſa *formalis* eſt energiæ motoriæ deſtitutio. Vnde ſenſus animalis & motus tonici in certo membro aut in alterutro corporis latere vel notabilis labefactatio, vel completa ſubtractio

3) Caus-

3) Cauſſæ *occaſionales* ſunt

(1) Quæuis noxa, quæ vel eximiam corrumpendi œconomiam vitalem energiam; vel ſummam corrigendi & expellendi difficultatem inuoluit, non niſi ancipiti conatu adgrediendam.

(2) In ætate *infantili* & *puerili* occurrunt

a) Conuulſiones vehementes & diuturnæ.

b) Variolarum ac ſcabiei retroceſſio ſub imperita medicatione vtplurimum eueniens.

c) Diſtorſiones aut contuſiones, quæ licet leuiores cenſendæ eſſent, ſi in corpus adulti inciderent: in tenera tamen ætate motuum deſertioni anſam præbere ſolent.

(3) In *ætate media*

a) *Motus ſpaſtici* magis rheumatici, arthritici, colici exquiſiti diuturno cruciatu pertinaciter adfligentes.

b) Exanthematum cohibitiones, retropulſiones.

c) Graues membrorum *luxationes*, per debitam repoſitionem dextre minus ſublatæ. Maiores item *contuſiones*, immo & aliæ deprauationes partium per magna vulnera inductæ.

(4) In *ætate ſenili*

a) Conſuetarum hæmorrhagiarum aliarumque ſeroſarum excretionum defectus.

b) Humorum dyſcraſia. Hæc eo facilius in ſenibus ſub otioſa viuendi ratione inualeſcit, quo manifeſtius omnis alacritas, adeoque toni ac ſecretionum & excretionum vigor minuuntur. Vnde impuritatum coaceruatio, retentio, organorum deprauatio, quæ omnia ineptitudinem ad mouendum inducunt, & vitæ tædium excitant.

c) His ſi aduerſa fortuna acceſſerit, aut duriora fata iam prægreſſa fuerint, quæ vel morbis corpus male adfecerunt vel ærumnis animum excruciarunt: tunc multo promtius natura ad motuum abolitionem deducitur.

(5) Animi pathemata & ebrietas.

4. Re-

4. Reſtat, vt aliorum opiniones de *cauſſa efficiente materiali* a *Muſitano* iam profligatas adferamus. Adcuſantur autem

1) Sanguis grumuſus, aut lymphæ coagulum, craſſum, pituitoſum, neruorum principium ſeu medullam oblongatam premens & neruos occludens.

2) Alia quæcumque, quæ

(1) vel phoſphori animalis ſeu radii motoris elaſtici paucitatem, ſeu defectum, ligando, figendo, coagulando inducant, aut tubulos lucidos, ſiue per compreſſionem, ſiue obſtructionem, lædant; id quod iam circa primam eorum radicem, iam circa medium, iam circa inſertionem harum illarumue partium contingere putant.

(2) Vel liquidi neruoſi a cerebro, aut arterioſi in muſculum paralyticum præpeditus vel plane interceptus influxus. Vnde toni fibrarum relaxatio & elaſticitatis defectus, muſculum contrahendi impotentia & ſenſationis iactura. *Vid. Wedelii exercit. ſemeiotico-pathol. cap. XV. p. 35. El. Camerarii ſyſt. cautel. p. 277. Zwingeri theat. prax. p. 334. C. L Wucherer diſcurſ. de ſtatu C. H. præternat. p. 127. Boerhaave aphoriſ. de cog. & cur. morb. §. 1058.*

3) Contra hanc obſoletam & triuialem ætiologiam inſurrexit *Muſitanus in trutina lib. I. cap. III. p. m. 41.* eamque falſam declarauit ſequentibus argumentis:

(1) ſi in cerebro, tamquam medullæ ſpinalis & omnium neruorum origine, humor pituitoſus colligeretur, & inde defluendo ſpirituum animalium ſeu liquidi cerebelloſi commeatum præcluderet, ipſosque neruos obſtrueret: tunc multo frequentius occurreret paralyſis; cum tamen morbus ſit rarior.

(2) Deinde contendit, innumeras nihilo minus fieri humorum defluxiones e cerebro in medullam oblongatam & ſpinalem decumbentes, quibus neruorum genus imbuatur, ſed citra ſenſus & motus priuationem.

(3) Por-

(3) Porro paralyſin colicæ vehementi ſuccedere recte adſerit, in quo caſu tamen defluxiones deſint & cerebrum cum neruorum principio ſaluum maneat.

(4) Prouocat inſuper ad diſſectiones cadauerum, ex paralyſi demortuorum, quæ nihil de pituita, a cerebro in medullam delapſa, manifeſtant.

(5) Tandem ex hypotheſi loquens, ſolam pituitam viſcidam nihil officere pronunciat, quo minus ipſi ſpiritus humorem craſſum penetrare poſſint, cum longe ſint tenuisſimi, ſublitisſimi.

(6) Vltimo falſitatem ex eo probat,

a) quod nerui omnino ſolidi & ex filamentis compoſiti ſint, nullam habentes cauitatem, tubulos nullos, veluti venæ ac arteriæ, vtpote quæ ſpiritus & ſanguinem, nerui ſolos ſpiritus vehant. *Conf. eiusd. lib. I. cap. XI. p. 133.*

b) vrget: humorem potius ſeroſum ac tenuem obſtruendæ neruorum origini longe eſſe aptiorem, quam craſſum, viſcidum pituitoſum, quia facilius in neruos, ſi caui eſſent, infundi & ſpirituum influxum cohibere poſſit.

5) Vti vero *Muſitanus* in refutandis falſis dogmatibus felicior fuit, quam in ſubſtituendis melioribus: ita & hic infeliciter *cauſſam* habet omne id, quod vel ſpiritus vel partes coagulare poſſit; vnde illi motum, hæ vero requiſito tono deſtituantur, vt ſpiritibus via præcludatur. Senſum autem amitti docet, quando tenſio nerui pereat; id quod euenire putat in fibrillarum neruearum relaxatione. Relaxationem vero æque ac coagulationem adſcribit *vapori vitriolato*, immo & *cauſſis incognitis.* Vnde autem & quomodo ille generetur, quid generationi materiam & anſam præbeat, quibus rationibus id demonſtrari poſſit, id ſecure præteriuit.

6) Sed mittimus hos errores & breuibus tirones monemus cacochymicam quidem humorum conſtitutionem, ad ef-

fectus obſtruentes & neruos comprimentes aptisſimam, tam ex diætæ, quam vitæ generis vitio, ingenti hominum numero ineſſe, & quod amplius eſt, ad varias congeſtiones verſus caput naturam quaſi ſollicitare: ex aliquot tamen millibus vix vni accidere, vt motuum deſertione corripiatur. Vnde ſatis liquet, hæc placita principii petitionibus vndique laborare.

5. *Cauſſæ apoplexiæ* poſt paralyſeos ætiologiam facilius iam perſpici poterunt.

1) *Cauſſa* ſcilicet *materialis antecedens*

(1) *remota* eſt ſtatus plethoricus & ſerum inde ſimul abundans.

(2) *propinqua* eſt repentina ſanguinis commoti & ob quamcumque cauſſam exitum non inuenientis ad cerebrum ominoſa congeſtio.

(3) *proxima* eſt interecptio motus ſanguinis in cerebro, præcipue per plexum choroideum eidemque dicatas venoſas ramificationes & hanc excipiens vel ſanguinis eruptio, vel tenuioris ſeroſæ portionis ſecesſio & effuſio. Vnde principium neruorum, quod vocant, per compresſionem extrauaſati humoris male adficitur organicisque vſibus ineptum redditur. Modus interim neruorum ſyſtema in ſuo principio adgrauandi, non is vnus, quem diximus & ſolus eſt, ſed plures habentur, quos paſſim manifeſtarunt cadauerum ſectiones, eorum, qui apoplexia exſtincti ſunt. *Conf. Boneti anat. pract. lib. I. ſect. II.* vbi ſeptuaginta obſeruationibus varii modi ſuppeditantur.

2) *Cauſſa efficiens* eſt principium vitale, quod, vti motus in corpore inſtruit & continuat: ita eosdem non numquam repente deſerit; & quidem non ſemper per pasſiuam virium oppresſionem & amisſionem, ſed ſæpius etiam per conſultam ſubtractionem & omisſionem, citra manifeſtam cauſſam materialem; quemadmodum cadauerum ſectiones euicerunt, quod ſcilicet in pluribus apoplecticis tres cor-

corporis cauitates illæſæ fuerint. Priori quidem caſu, vbi inſtrumenta motuum læſa ſunt, facili negotio cognoſcitur, cur natura ad motuum vitalium repentinam abolitionem & energiæ motoriæ ſubtractionem perducatur? Læſis enim ſenſus ac motus inſtrumentis ſatius ipſi videtur, a motibus plane deſiſtere, quam ſine effectu eosdem continuare. Vbi autem nullæ cauſſæ materiales adſunt, vel præſentes ita comparatæ ſunt, vt per motus debite inſtructos & continuatos ſubigi omnino poſſint: ibi aufugiendi ratio difficilius perſpicitur; ſed humanæ indolis ea eſt corruptio, vt ad extrema facile confugiat & in illis maxime rebus delinquat, quæ multam circumſpectionem & indefeſſum laborem expoſcunt. Ceterum ærumnoſæ vitæ conditio, ſpes melioris, blandæ quietis deſiderium, naturæ tædium, feſtinationem non mediocriter excitare poſſunt.

3) Iam diſpiciendum erit, quam cauſſam efficientem illi adcuſent, qui tam deficientes quam auctos motus a *materiis* peccantibus in morbis deriuant

(1) *Secundum veteres*

a) vel eſt *multus ſanguis*, confertim in principium animantis incumbens, & hac ratione apoplexiam producens. Vbi enim in aliam partem ruat, ibi tumorem præter naturam efficere ſtatuunt. *Vid. Galenus de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. V.*

b) vel eſt *impotentia*, qua vis animalis in partes infra caput defluere nequeat; ſiue propter aliquam diſpoſitionem, quæ inflammationis ſenſum referat, ſiue propter cerebri ventriculos, pituitoſo humore repletos. *Conf. idem Galenus comment. II. in aph. Hippoc. f. m. 314.*

(2) *Secundum recentiores*, qui veterum placita maximam partem in hoc negotio ſua facere nituntur, ſupponitur centralis obſtructio pororum cerebri medullarium, vel a ſanguinis largiore diffuſione extra vaſcula & torulos, vel a ſero immobili ſtagnante, viſcido, quod interluat,

 dis-

diſtendat, oppleat ac grauet. Vnde neceſſario, ob elaterem deficientem, tubulorum lucidorum medullarium ſubſidentia, compresſio, occluſio & interceptus ſpirituum influxus a medullæ cerebri origine ad neruos inde ortos & late diſperſos. *Vid. Auctores* ſupra *citatos*. Cauſſæ vero huius cauſſæ efficientis ſtatuuntur ea omnia, quæ in cerebro ſpirituum ſuppoſitorum liberum fluxum impediant. Quæ vti meræ cauſſæ occaſionales ſunt: ita *quinque* earum formari ſolent claſſes, in quarum

a) *prima* ponuntur fracturæ, impresſiones, exoſtoſes, compresſiones cranii, in primis in iuuentute.

b) in *altera* humores cruenti, ſeroſi, purulenti, pituitoſi, ſtagnantes, effuſi in iis locis, in quibus cerebrum comprimere vel erodere poſſunt; e g. inter cranium & meninges, inter has & cerebrum, in ventriculis, medulla oblongata & ſpinali.

c) in *tertia* tumores inflammatorii, aquoſi, ſeroſi, purulenti, mucoſi, ſebacei, ſcirrhoſi, lapidoſi.

d) in *quarta* ſunt varia, quæ fluxui ſanguinis adpellendi obſunt, vt ad cerebrum perfluere nequeat; vitia in primis vaſorum vulneratorum, compreſſorum, aut per polypoſa ſpiſſamenta obſtructorum.

e) in *quinta* impedimenta ſimilia in finibus ac venis tam maioribus quam minimis.

(3) Sed hæc omnia tanti non eſſe, vt cauſſam EFFICIENTEM conſtituere vere poſſint, ſequentia probant.

a) graues cerebri læſiones ſæpe occurrunt, quæ longe periculoſiores ſunt, quam exigua humoris extrauaſatio & tamen a natura, arte miniſtrante, curantur, nec apoplexiam inducunt.

b) Si eiusmodi cauſſæ apoplexiam actiue & efficienter prouocare poſſent, omnes profecto hydrocephalo laborantes, apoplexia perirent, quod tamen experientia non confirmat.

c) Plu-

c) Plurimos ex phlegmaticis, catarrhoſis, cacochymicis quotannis apoplexia necare deberet, ſi ſola materia viſcida in cauſſa eſſet. Verum multitudo ſubiectorum, quæ ita comparata ſunt, & apoplexiæ infrequentia, omnia eiusmodi placita facile euertunt.

d) Tandem illud, in quo totius rei cardo vertitur, nudum ſuppoſitum eſt; nimirum neruorum tubuloſitas, ſpirituum exſiſtentia, influxus in neruos, ſenſus & motus cauſſa, huiusque cenſus alia. Quod *Muſitanum* mouit, pleraque ex his, tamquam ridicula commenta, reiicere & impoſturæ crimine adcuſare *lib. cit. cap. II. de apoplexia.*

4) *Cauſſæ occaſionales* magnam partem ſub prioribus cauſſis recenſitæ ſunt, quibus porro addendæ

(1) Conſuetarum excretionum ſanguinis & ſeri in vtroque ſexu turbatio, ceſſatio aut voluntarius neglectus.

(2) Diſpoſitio hæreditaria.

(3) Podagra male tractata & per metaſtaſin ad caput perducta, vti obſeruatum eſt in *Act. med. Berolin. Dec. II. Vol. VII. p. 26.*

(4) Frigoris & caloris ſubita mutatio.

(5) Senium, vitam ſub variis ærumnis transactam excipiens

(6) Diuturnæ adflictiones vertiginoſæ.

(7) Frequens temulentia.

(8) Terrores anxii, conſternatio ſubita, vehemens gaudium.

(9) Anni climacterici, de quibus egit *Fr. Hoffmannus in diſſ. quæ annorum climactericorum rationalem & medicam explicationem ſiſtit. Halæ 1074. Act. med. Berol. Dec. II. Vol. III. p. 34. Vol. VIII. p. 65. Vol. X. p. 55.*

6. *Cauſſæ catarrhi ſuffocantis.*

1) *cauſſa materialis*

(1) *remotior:* ſerum per temperamenti ac ætatis rationem abundans & habitus corporis flaccidior.

(2) *propinquior:* materia hæc ſeroſa, & mucida ad pulmones copioſius congeſta.

(3) *proxima:* eiusdem materiæ ſtagnatio oppletoria viſcus diſtendens & vſum eius in reſpirationis negotio impeditum reddens.

2) *Cauſſa formalis* eſt ſubita toni in pulmone paralytodea relaxatio, & hanc immediate excipiens materiæ ſeroſo-mucidæ in veſiculas pneumonicas irruptio, quæ pulmonis officium & vſum turbat maximæque confuſioni in reliquis motibus vitalibus anſam præbet & ad eorum abolitionem naturam prouocat.

3) *Cauſſa efficiens* vulgo ponitur humoris ſeroſi aut lymphatico-ſalſi, acris, acidi, reſoluti atque hinc figuram, magnitudinem & motum particularum præternaturalem adepti ſtagnatio & extrauaſatio, qua pulmo, bronchia, fauces, male adficiuntur & introitus aëris intercipitur. Huius vero extrauaſationis cauſſas, ſectionibus cadauerum freti, ſtatuunt varias, quas ad ductum obſeruationum prolixe enumerant & conſueto more nihil, niſi *occaſionales,* adferunt. Cum vero maxime incongruum ſit, efficientem motuum cauſſam in materia quærere, ad ea prouocamus, quæ de cauſſa *efficiente immateriali* ſupra diximus.

4) *Cauſſa finalis* eſt quidem intentio ſerum ſuperfluum excernendi, ſed ob organi periculoſam electionem exitus horum conatuum plerumque funeſtus eſt Quia natura ob vitiatum vitale inſtrumentum ad aliud extremum delabitur, & periculo vrgente a mouendo plane ſe ſe ſubducit.

5) *Cauſſæ occaſionales*

(1) in infantibus achorum & cruſtæ lacteæ repulſiones.

(2) in ætate conſiſtente excretionum ſanguinis & ſeri ſuppreſſiones; v. g. menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſio, conſuetæ venæ ſectionis neglectus, cohibitio lippitudinis, ſudoris pedum, vlcerum inueteratorum aut fonticulorum conſolidatio.

(3) Sca-

(3) Scabiei repulſio & rheumatum peruerſa tractatio.

(4) Nimia obeſitas.

(5) Cerebrum laxum & valde humidum.

(6) Prægreſſæ adflictiones pectoris anguſtantes, aſthmaticæ, incongrua methodo tractatæ.

(7) Colicæ hæmorrhoidalis per adſtringentia ſuppreſſio, cuius occaſione pectus & pulmo in conſenſum trahuntur, & paulo poſt ad contrariam paralytodeam remisſionem diſponuntur.

(8) Concretio pulmonis cum pleura.

(9) Polypus cordis ſubito in pulmonem truſus. *Vid. Boneti anat. pract. lib. I. ſect. XVII. obſ. 16.*

(10) Vitia varia *viarum*, aërem non intromittentium; *thoracis*, aërem extrinſecus irrumpentem non admittentis; *neruorum* & *muſculorum*, reſpirationi inſeruientium. *Conf. Teichmeieri diſſ. de ſuffocatione ex muſto fermentante. Ienæ 1729.*

7. *Cauſſa morborum ſoporoſorum.*

1) *Cauſſæ materialis*

(1 *remota:* in ſubiectis præcipue phlegmaticis humorum abundantia.

(2) *propinqua:* congeſtio ſanguinis aut ſeri ad caput facta.

(3) *proxima:* ſtagnatio & vera ſtaſis, qua cerebrum comprimitur, & ſenſus inſtrumenta ad officia inepta redduntur. Hinc natura nec motus animales inſtruere, nec rerum ideas percipere valet.

2) *Cauſſa efficiens* vulgo perhibetur ſpirituum bonorum & copioſorum interceptus influxus, a medulla per neruos ad organa ſenſuum & muſculos voluntati ſeruientes, & ab his ad illam refluxus. Sed iſta certiora non ſunt, ac aliorum ſulphur vaporoſum, narcoticum, in lympha reſolutum, & intrinſecus, viſcerum culpa, genitum, vel etiam ab extra illatum. Quare operæ pretium non eſt, vt hiſce refellendis diu immoremur. Vera cauſſa efficiens eſt ipſa natura, ob læſa ſenſus ac motus inſtrumenta, conſternata & in

in agendo turbata, quæ in hoc ſtatu tædio corripitur, vt noxæ continenti auctiores therapeuticos motus opponere nolit, ſed potius corpus deſerere intendat.

4) *Cauſſæ occaſionales*

(1) Translationes & reſtrictiones humorum ad caput in febribus acutis; vnde *coma.*

(2) Scarificationes neglectæ.

(3) Achores in infantibus obeſis repulſi.

(4) Sæpe reuertentes catarrhi.

(5) Obeſitas & ſomnus nimius.

(6) Vulnera & oſſium temporum ac bregmatis contuſiones.

(7) Serum ventriculos cerebri opplens.

(8) Tumores meningum ſcirrhoſi & ſuffuſiones purulentæ in cerebro factæ.

(9) Opii vſus & narcoticorum v. g. radicis hyoſc. improuida adſumtio. *Vid. Boneti ſepulchret. lib. I. fol. 153.* Commoratio aut pernoctatio in locis, vbi multum croci adſeruatur.

(10) Vſus nicotianæ tam ſub pulueris, quam fumi forma diu adſuetus, & poſtea prorſus intermiſſus.

(11) Fonticulorum coalitio.

(12) Senectus lauta, diæta vinoſa abutens & frequens ebrietas.

8. *Cauſſæ leipothymiæ & ſyncopes.*

1) Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod a mouendo & ſentiendo deſiſtit; & hoc quidem vel leipothymice vel ſyncoptice, prout æſtimatio obiectorum, quæ ad eiusmodi motuum ſufflamen impellunt, comparata fuerit, vel ideam plus minus periculoſam reliquerit.

2) Cauſſæ *occaſionales* & *prouocantes* ſunt vel *materiales* vel *immateriales.*

(1) *Materiales* ita ordinarie comparatæ ſunt, vt earum pleræque tantam conſternationem & deſperantem motuum omiſſionem non mereantur; quam obſeruare licet

cet in permultis, præcipue feminis, in quibus leipothymias ex cauſſis friuolis tam frequenter obſeruamus, vt Medicus magis mirari, quam de adplicandis medicamentis ſollicitus eſſe debeat.

(2) *Immateriales* cauſſas ſeu phantaſticas præfigurationes principatum hic habere, per vulgus notiſſimum eſt.

(3) Conueniet autem, præcipuas tam materialium, quam immaterialium, ſubiungere.

a) Connata ſenſibilitas concurrente plethora & ſpiſſitudine humorum.

b) Animus meticuloſus, diffidens, trepidans, pericula, vel inſtantia, vel futura, ita ſibi præfigurans, ac ſi ſuperari non poſſent.

c) Venæſectiones, vulnerationes vel largæ ſanguinis profuſiones per nares, hæmorrhoides, menſes, lochia, hæmoptyſes.

d) Dolores vehementes & diuturni.

e) Inedia diu tolerata.

f) Vigiliæ immodicæ & labores nimii.

g) Refrigerationes immodeſtæ, præcipue poſt perpesſas febres.

h) Diuturnæ diarrhœæ & fortiores catharſes.

i) Terror & iracundia.

k) Conflictus & verbera, ad quorum adſpectum non nulli eclyſin patiuntur.

l) Adpropinquatio ad flumina.

m) Obiectorum valde inuiſorum auditus, viſus, odor.

n) Vitia cordis e. g. polypus, vermis, vlcus, calculus cordis.

3) Qui ex cauſſis *materialibus* defectum motuum vitalium & animalium in leipothymiis deriuare ſtudent, ſanguinem viſcidum accuſant, qui preſſioni fibrarum cordis & arteriarum reſiſtat, earumque tonum deſtruat ſeu elaterem debilitet. Vnde inæqualem fieri putant circulum ſanguinis & influxuum liquidi cerebelloſi in cordis ſubſtantiam.

 4) Ve-

4) Verum enim vero neque has neque alias materiales cauſſas ſufficere ad leipothymias directe efficiendas, attenta mens facile perſpicere poteſt: multos enim viſcidum habere ſanguinem & quæuis aſpera perferre e. g. magna vulnera, herniotomiam, lithotomiam, amputationes, trepanationes, nulla tamen leipothymia corripi, certiſſimum eſt. *Conf. Stalpart van der Wiel* hiſtoria de trepanatione viceſies ſepties in vno ſubiecto patrata *cent.* I. *obſ.* VIII. Porro alii abſceſſus cerebri, polypos cordis & nobilium viſcerum læſiones patiuntur, neque tamen leipothymiam incurrunt.

5) Ex contraria parte plures leipothymia corripiuntur, qui ſatis ſani, incredibili autem ſenſibilitate adfecti ſunt. Sic

a) ratione *viſus:* inſtrumentum chirurgicum, enſis ſtrictus, ſanguis humanus profuſus, caſeus, mures, araneæ, bufo &c. ſolo adſpectu leipothymiam prouocant.

b) ratione *auditus:* ſonus campanæ & cantilenæ ad ſepulturam, narrationes de cædibus, vulneribus, eumdem effectum præſtant.

c) ratione *odoris:* multi enim fiunt leipothymici, quorum nares percellit odor lilii, roſæ, ambræ, moſchi, zibethi, benzoës.

6) Quare manifeſtum eſt, cauſſam leipothymiæ *efficientem* non eſſe *materiam*, licet ſubinde *propter* eamdem fieri ſoleat. Vlteriorem huius adſertionis confirmationem conferunt illa remedia, quæ ad ſuſcitandos leipothymicos externe adhibentur: videlicet ſalia volatilia & alia odorifera fœtida adplicantur, aër frigidus admittitur, aquam frigidam faciei adſpergunt, quæ omnia materiam, ſi quædam adeſſet, non attingere, multo minus auferre poſſent. *Conf. Galenus de arte curatiua libr. I. cap. XIV. f. m. 97;* vbi talia opem tuliſſe obſeruauit.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Morbi motuum exacerbatorum quamuis horrendum nonnumquam præbeant ſpectaculum: tam præceps tamen ac imme-

medicabile damnum non inuoluunt, veluti morbi *motuum deficientium.* Quod inprimis de vehementioribus ſpeciebus intelligendum eſt. *Artuum tremores* periculo quidem grauioribus cedunt, pertinacia tamen eos æquant. *Deiectio* autem *virium* in morbis, poſt inediam, vigilias, multos exantlatos labores, aut copioſas humorum excretiones occurrens, per ſubſidia diætetica commode ſatis curari poteſt.

2. Cur vero tam difficile arti auſcultent, non immerito diſquirunt Medici & demirantur. Verum, ſi ſubiecta & alias, quæ anteceſſerunt, circumſtantias ponderemus, tunc veri motuum defectus obſeruantur in illis,

1) qui multis negotiis implicati diu aſſidueque illis incubuerunt, & curis quaſi confecti adeoque laborum pertæſi ſunt.

2) qui ſub variis calamitatibus, tam corpus, quam animum eneruantibus, conſenuerunt aut cum morbis per omnem vitam conflictati ſunt.

3) quibus aliquod inſtrumentum vitale vehementer læſum & vitales motus nimium turbati ſunt. Hinc abunde patet, motuum abolitionem plerumque non prius euenire, quam poſt energiæ motoriæ ſatis diuturnam adplicationem ad tædium vſque exercitam, aut poſt alia ſontica impedimenta, motuum continuationem turbantia. Vbi tamen negandum non eſt, naturam ſibi interdum impedimenta tamquam certo futura & ineuitabilia confingere & viuide præfigurare. Mirum ergo non eſt, ſi ad motus, quos tam firmiter omittere decreuit, de nouo pellici nequeat. In cœpto enim propoſito, niſi vertumnus ſit, quilibet perſiſtere contendit, nec facile, vbi libertas agendi conceſſa eſt, ad contrarium ſe abripi patitur.

3. Nihil itaque negotii faceſſet pathologo, ſi obſeruauerit,

1) quod etiam *infantilis ætas* ad motuum omiſſiones delabatur. Hæc enim conſilii expers facile terretur & facillime ſuperatur: blandum itaque omnium rerum ſucceſſum depoſcit; ad reſiſtendum æque ac ad laborioſe eluctandum minime omnium capax. Hinc arma licet optima adhibeantur, tamen vltro mouendi finem facere ſolet,

 2) *ætas*

2) *ætas* autem *media* vti moraliter in agendo præceps, velox & impatiens eſt: ita in vitalibus, loco motuum æquali & conſtante vigore exercendorum, vel ad conuulſiones properat, vel deſperatam motuum abolitionem decernit. Es muß bey ſolchen gehen oder brechen.

3) *ætas ſenilis* diutius deliberat de eo, quod ſtatuendum ſemel iudicat; vbi vero ſtatuerit, propoſiti irreuocabilem tenaciſſime ſuſtinet ſententiam, & potius immori, quam a cœpto decedere ſatagit. Quæ omnia velut in tranſitu docere poſſunt, quantum tot laudatis arcanis in paralyſi & & apoplexia fidendum ſit.

4. Quid vero ſubſit cauſſæ, cur omnimoda motuum omiſſio tam ſubito ibi eueniat, vbi homo per *ratiocinationem* nihil minus quam mortem & fugam e vita cogitat: hoc ita perplexum eſt, vt nemo hactenus ſolidam omnium rationem reddere valuerit. Hic enim dormiens a motibus ceſſare mauult; iſte in conuiuio; ille medios inter labores; alius in itinere aut inter rixas, aut ſub pleno tacitoque otio & ita porro. De quibus ſingulis, cur hac hora hocque die ita fiant, facilius eſt quærere, quam veram ætiologiam ſuppeditare.

5. *Euentus* motuum deficientium, etiamſi vitam mox non auferant, ſemper noxii obſeruantur: peiores tamen ſunt, qui per modum fiunt *omiſſionis*, quam *amiſſionis*. Nam

1) principium agens, ob peruerſam æſtimationem & intentionem, actus vitales non amplius decenter adgreditur, aut ſufficienter proſequitur.

2) Sub hac vero deſperabunda trepidatione

(1) materiæ noxiæ nimium adcumulantur,

(2) ſecretiones & excretiones negligenter fiunt,

(3) atonia augetur: hinc nouæ reſtagnationes, infarctus, ſtaſes & ſubinde ſphacelus ſuperueniunt.

6. De *paralyſi* & *hemiplexia* obſeruandum, quod ætiologiam vulgarem vehementer conuellant illi caſus, qui per plures annos alterutro malo adflictos, & ſubito ab eodem liberatos

tos nobis ſiſtunt, ſine artis ope, per ſolos naturæ motus intenſiores autocraticos, & ſumme actiuam intentionem membra paralytica, tamquam mortua, nouis actibus animandi & quaſi viuificandi. Exemplum de viro, qui, coorto incendio, lectum iam corripiente, diu ante paralyticus e plumis proſiliit ac ſanus euaſit, refert *Valleriola.* Et aliud de ruſtico ſub impetuoſa iracundia, motum in membris paralyticis recuperante, *Act. Nat. Cur.* narrant. Plura ex obſeruationum ſcriptoribus non adcumulabimus.

7. Præterea adfirmant aliqui, linguæ paralyſin in nouilunio vehementiorem eſſe, mitiorem in plenilunio: cuius quidem phænomeni *Laur. Ioubertus lib. de paralyſi p. 333.* rationem reddere laborat, ſed ætiologiam, quam adfert, de lunæ in augendos humores potentia, a multis reiicitur.

8. *Apoplexia* vtrum morbus magis *ſolſtitialis* vel *æquinoctialis* ſit? paſſim quærunt, & quod cuilibet vero ſimile videtur, id tueri laborat. Sed quamquam annus interdum occurrat, qui alterutrum confirmare poſſit: tamen obſunt aliorum annorum obſeruationes, quæ idem valide infringunt. Interim inſignes tempeſtatum mutationes a *cauſſis* apoplexiæ *occaſionalibus* non excluduntur, quia in corporibus, nimia ſenſibilitate præditis, plus poſſunt, quam vulgo credi ſolet.

9. Ad *frequentiam* vero apoplexiæ quod attinet, *ratione ſexus;* adfirmant de illa *Acta med. Berol. Dec. II. Vol. VII. p. 26.* hunc morbum ſæpius *feminino,* quam *virili* ſexui exitialem eſſe. Quæ res vlteriori practicorum obſeruationi commendanda eſt.

10. *Catarrhus ſuffocans* maiorem attentionem excitat in ſenibus quam infantibus. Vnde plures adſerere non dubitant, hunc morbum potius eſſe adultorum, quam infantum. Verum curatius obſeruantibus ignotum eſſe nequit, quod multo plures infantes, recens natos, & intra annum bienniumque conſtitutos, interimat, quam quidem adultos.

11. *Morbus ſoporoſus idiopathicus,* v. g. in catarrhoſo, reſpectu periculi, apoplexia non eſt inferior; reſpectu autem ſubiti exitus, multum omnino huic cedit. Hinc maior ſpes

eſt in pathemate tali *ſymptomatico*, vbi morbus primarius non raro tolli poteſt, ſecundum illud *Galeni de arte med. lib. XII. cap. VII. cauſſam ſi adimere poſſis, contra ſymptoma non pugnaueris.*

11. *Leipothymiam* & *ſyncopen* ſæpius adfligere feminas, quam viros, experientia confirmatum eſt. Ratio huius phænomini e longinquo haud erit petenda. Nam plurimarum actiuitas exquiſitior, acutus phanthaſiæ vigor, iudicium debile, meticuloſitas fere connata, euentibus leipothymicis & ſyncopticis adeo velificantur, vt mirum non ſit, plures huius ſexus perſonas hiſce malis ſubiectas eſſe.

13. De *maraſmo ſenili* non prætermittendum eſt *Galeni* adſertum, quod in *libro de marcore cap. II.* poſuit, hominem nimirum cum tanta virium iactura non neceſſario conſeneſcere oportere, cum viribus etiam integris ſenectutem conſequi poſſet. Licet enim contrarium per experientiam omnino conſtet, adeoque hæc iactura multis neceſſaria videatur, tritum inſuper axioma id ipſum innuat, omne genitum corrumpi debere: tamen ſolide reſpondet, non neceſſarium, eſſe hanc conſecutionem, cum genitum etiam perſiſtere ac minus corrumpi poſſit, & ſolidam huius rei *a priori* demonſtrationem adhuc deeſſe.

14. Idem *de ſenectute* ſiue virium amisſione docuit olim *Galenus* quod noſtro tempore de *morte Stahlius.* Quod nimirum ſufficiens ſolidaque ratio dari non poſſit phyſica, cur homo naturaliter, id eſt, ſine vi externa aut læſione ſontica interna moriatur. Nam *corruptibilitas* ſeu diſpoſitio ad corruptionem, ad quam, tamquam ad mortis cauſſam, prouocant, plane contrarium euincit. Illa enim in corpore corruptibilitas numquam minuitur, nedum ceſſat, & corpus nihilominus olim per plures annorum centurias conſeruari potuit, & hodie ad centeſimum annum vltraque ſubinde conſeruatur: quod ipſum euidenter probat, huius conſtitutionis nullam in ſe eſſe efficaciam. Quamuis experientia *a poſteriori* confirmet, omni homini, & plerisque in ætate non adeo prouecta, eſſe moriendum.

15. Hinc

15. Hinc quæri potisſimum debet, quam ob cauſſam *actus vitales*, corruptibilitatem alias potenter auertentes & illius efficaciam infringentes, ita deſinant & ſponte ceſſent? Porro cur organa ad triginta vſque annos non tantum durare, ſed plane augeſcere, immo ad quadrageſimum & vlterius in robore ſuo perſiſtere; poſt illos vero ſenſim eneruari ac hebeſcere debeant? cum corpus ratione materialis mixtionis ſit idem; motor idem; modus per victum materias decedentes reſtaurandi idem.

16. Non igitur mortis fundamentum in materialibus cauſſis quærenda eſt, ſed in ſublimiori quadam determinatione, qua limites energiæ vitalis & corpus in perpetuum conſeruare compotis ita circumſcribuntur, vt periodum habeant augeſcendi & decreſcendi. Omni itaque dubio prorſus caret, ſi energia hæc ſibi ſemper conſtaret, & numquam deficeret, vnus idemque ſequeretur effectus; *vitæ* nimirum conſeruatio. *Conf. Stahlii theoria p. 602. Eiusd. diſſert. de mortis theoria medica theſi II. p. 11.*

TAB.

TABVLA XV.
DE
MORBIS ANIMI.

I. DEFINITIO.

Morbi animi ſunt ſenſuum internorum læſiones, quæ vel actuum rationalium remisſionem & impotentiam; vel vero nimiam perturbationem & motuum vitalium alterationem, cum delirio modo leuiore, modo vehementiore, inuoluunt.

II. DIFFERENTIA.

1. De animi morbis dum agimus, non intelligimus talem animæ læſionem, qualem intellectam volunt pathologi, quando de vitiis partium corporearum agunt; ſed innuitur conſtitutio præternaturalis, *generalius* ſumta, vbi anima ſenſibus internis vti nequit, aut peruerſe nimis in ſui plerumque & aliorum detrimentum iisdem vtitur.

2. Vti vero generatim *tres* ſunt actiones animæ principes, *intellectus* nimirum, *voluntas* & huius *exſecutio*: ita ſecundum hanc conſiderationem tres animi morborum conſtitui poſſunt claſſes. Hinc dantur morbi,

   1) qui *intellectum* ſeu veram rerum adprehenſionem turbant & intellectiuæ energiæ impotentiam inferunt, vt: congenita *ingenii tarditas*, *ſtupiditas*, *anxietas*.

   2) qui *voluntatem* varie adficiunt, vt inde vehemens rerum adpetitus, vel mira auerſatio oriatur; veluti in erronea fœtus formatione fieri aſſolet: vbi debita ſtructura ſæpe reſoluitur, aboletur & monſtroſum quid in eius locum ſurrogatur.

   3) qui *inuentionem* & ad iuſtum finem directionem valde alterant, ſub quibus motus ſæpe errantes, inutiles, noxii inſt-

inſtituuntur. Quo pertinent varii errores motuum, qui per importunas congeſtiones, exacerbationes & non raro per lethales exceſſus & defectus manifeſtantur.

3. Diuerſi porro reſpectus, ſecundum quos hi morbi partiri & explicari poſſunt, diuerſas quoque ſuppeditant differentias; v. g.

1) *ratione frequentiæ* alii

(1) *ſæpius* occurrunt, vt melancholia hypochondriaca & hyſterica, memoriæ debilitas, furor vterinus & in regione tarantulis abundante tarantiſmus, erotomania.

(2) *rarius:* moroſis, mania, phrenitis idiopathica, noctambulatio, delirium ex morſu canis & lupi rabidi, chorea Viti, noſtalgia.

2) *ratione periodi*

(1) *acuti* habentur: cynanthropia, lycanthropia, tarantiſmus, deliria acutarum & peracutarum febrium.

(2) *chronici:* memoriæ debilitas, moroſis, mania, melancholia hypochondriaca & hyſterica, hyſteromania, noctambulatio, ſaltus Viti, noſtalgia, erotomania.

3) *ratione indolis* in admittenda medela, plerique valde ſunt refractarii & vel Medici patientiam exercentes, vel eius ſpem fruſtrantes.

(1) *Spem* ſanitatis obtinendæ relinquunt noſtalgia, melancholia hypochondriaca & hyſterica, erotomania ſine philtro, furor vterinus, chorea Viti, noctambulatio & ſæpe mania, rarius hydrophobia & tarantiſmus.

(2) Medelam plerumque reſpuunt: moroſis, memoriæ debilitas, mania ex philtro, deliria in *ſtatu* febrium malignarum.

4) *ratione cauſſarum*

(1) Alii horum morborum oriuntur ex cauſſis *immaterialibus* ſeu ſimpliciter ſpeculabundis initiis, malis animi moribus & ſenſuum internorum abuſu, e. g. noſtalgia, erotomania, memoriæ debilitas, melancholia, mania.

(2) Alii contra ex *materialibus* oriuntur, & corporis læſiones vel vere præſentes vel impendentes pro fundamento habent, vt: memoriæ debilitas, moroſis, melancholia & mania hypochondriaca, rabies canina & lupina, tarantiſmus, deliria acutarum. *Conf. Alberti diſſ. de morbis animi ex anomaliis hæmorrhagicis Halæ 1719.*

(3) Alii ex mixtis cauſſis ortum ſumunt, vt melancholia, mania, ſaltus Viti, de quo vid. *obſ.* noctambulatio, furor vterinus. Dum iſthæc prelo parantur, aduentat diues quidam mercator, gente Iudæus, ætatis conſiſtentis, melancholia laborans; antea ſanus & alacris. Cum vero mors intra anni ſpatium tres filios ſuſtuliſſet, acerbius lugere cœpit: & quia ex more gentis plures hoc anno tranſigere debuit hebdomadas humi ſedendo, humorum ſpisſitudinem tantam ſibi contraxit, vt indies, maior euaderet melancholia. Quas de periculoſa corporis conſtitutione ideas natura ſibi formauerat, eas ad res *externas*, præcipue œconomicas perpetuo adplicabat & nil niſi bonorum iacturam, pericula & pauperiem loquebatur; cum tamen, teſtantibus aliis, integra eſſent omnia.

4. Quia plerique horum morborum delirio ſtipati ſunt; etiam ſub deliriorum nomine a Medicis pertractari ſolent, eo ordine, vt alia ſint

1) *deliria pathetica*, quibus occaſionem præbent perturbationes patheticæ & abuſiuæ memoriæ ac phantaſiæ concitationes, exagitationes.

2) *deliria ſympathetica*;

(1) libidinoſa

(2) melancholica

(3) febrilia. Hæc ipſa autem deliria ratione obiecti ita diſtinguuntur, vt

a) alia obiecta habeant indifferentia, temporaria & magis accidentalia.

b) alia magis ſtata & determinata, quæ certo tempori & certorum indiuiduorum rationi reſpondent.

III. SI-

III. *SIGNA.*

Signa vti ſatis euidentia ſunt in ſubiectis memoria laborantibus, melancholicis & delirantibus: ita *in generali Pathologia* ea repetere, quæ *ſpecialius* a nobis alibi ſunt exhibita, non ducimus conſultum.

IV. *SVBIECTA.*

Subiecta pariter ſpeciali recenſione determinare eo minus laborabimus, quo opportunior diſſerendi de his in expoſitione cauſſarum mox ſubiungenda, ſe offeret occaſio. In quocumque enim hæc vel illa cauſſa ad quemdam animi morbum inducendum apta deprehenditur, ille pro ſubiecto horum morborum haberi poteſt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſæ *debilitatæ memoriæ.*

1) Hæmorrhagiarum naturalium repentina ſuppresſio & artificialium neglectio; vnde congeſtiones ſanguinis verſus caput contingunt.

2) Intenſior memoriæ vſus, aut verius abuſus cum vita ſedentaria & multis variisque negotiis coniunctus. *Conf. Paul. Zacchias libr. 1. tit. 11. quæſt. 7. fol. m. 170.*

3) Organi mnemonici læſio per violentam capitis contuſionem, depresſionem, vulnerationem; de qua *Horſtius opp. tom. II. libr. II. obſ. VII.* caſum memoratu dignum refert: videlicet ſerui, cuius caput globo traiectus fuerit, qui licet reſtitutus & naturales & vitales actus vegete exercuerit: tamen rationis, phantaſiæ ac memoriæ vſum adeo amiſerit, vt litterarum elementa de nouo addiſcere & pingere neceſſe habuerit. *Conf. Boneti ſepulchret. tom. I. p. 255.*

4) Huc etiam pertinet lapſus retrorſum præcipue contingens & occiput grauiter concutiens. Qua de re conferatur *Tulpius libr. IV. obſ. XIV.* Ibi enim homo ſiſtitur, qui occiput in glaciem valde concutiendo poſtea nomen atque hoſpitium ſuum oblitus fuerit.

5) Grauiores capitis morbi, e. g. febres acutæ deliroſæ, phrenitis, coma, ſpeciatim peſtis, quæ olim Athenis graſſata in quibusdam reualeſcentibus omnium rerum præcedentium obliuionem poſt ſe reliquit, vt non ſolum propinquos, ſed etiam ſemet ipſos ignorarent; obſeruante *Thucydide. Conf. Galenus de ſymptomat. differ. cap. III. f. m. 11.* Item alii capitis morbi: epilepſia, hydrocephalus, paralyſis linguæ; ex mente præcipue veterum nimia cerebri ſiccitas, moles iuſto minor, aut paucioribus gyris inſtructa, puſtulæ meningum, veſiculæ corpori calloſo incumbentes, cerebri flacciditas, notabilis illius defectus.

6) His addimus ſenectutem, nimium ſomnum, ebrietatem, præcipue ſi heluones poculis indormiant, veneris abuſum, qui quam obliuioſos reddat & ſtupidos, vtriusque ſexus exempla teſtantur. *Vid. Frid. Hoffmanni diſſert. de morbis e nimia & intempeſtiua venere oriundis. Halæ 1725.*

7) Opii & aliorum narcoticorum inconſulta adſumtio etiam huc referenda. Sic *Bonetus in addit. ad ſepulchret. tom. I. lib. I. obſer. II.* de quodam meminit, qui poſt multum papaueris rhœados vſum infatuatus & mortuus ſit.

8) Tandem huc ſpectant: connata fatuitas, frequentes anxii terrores, ſpectrorum viſiones.

9) Ex hiſce læſionibus & aliis antecedentibus ac coniunctis facile iudicare valemus, quod anima, tamquam cauſſa *efficiens*, actus memorandi & reminiſcendi exercere nequeat. Læſis enim inſtrumentis actio artificis impeditur.

2. Cauſſæ *melancholiæ, maniæ* & *deliriorum febrilium.*

1) *Antecedentes* & *occaſionales* ſunt

(1) vel *materiales*

a) Dyſcraſia humorum & inprimis ſanguinis ſpiſſi circa venam portæ ſtagnatio, infarctus, incarceratio, ſtaſes, ex menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſionibus originem principem ſumentes.

b) Hæmorrhagiarum artificialium conſuetarum neglectio. Exemplum maniæ ex intermiſſione venæſectionis videatur *in Ephem. N. C. dec. II. ann. IV. obſ. X. p. 31.*

c) Vi-

c) Viſcerum vitalium læſiones: ſcirrhi, vlcerationes & aliæ corruptiones. Huc ex *Sydenhami* obſeruatione etiam pertinent febres intermittentes diuturnæ, præcipue quartanæ, mala ſcil. tractatione corruptæ. *Vid. huius Auctoris Opp. Conſtit. epid. p. m. 74.* Item ſecundum *Boerhaavii Aph. de cog. & cur. morb. §. 1093.* febres acutæ minus ſalutariter decurrentes.

d) Veneris abuſus. Conf. quæ *Eph. N. C.* loco cit. leguntur de vietore poſt nuptias vehementer maniaco.

e) Philtra vario modo operantia. In his enim melancholiam, in aliis maniam producunt.

f) Vermes in cerebro. *Conf. Boneti anat. pract. tom. I. lib. I. ſect. VIII. obſ. 5.*

g) Singulare eſt, quod *Galenus lib. de atra bile cap.* III. f. m. 26. de ſectione varicum & hæmorrhoidum adfert, quod nimirum melancholiam induxerit iſthæc operatio, quam ipſe conſpexerat.

h) Diæta inſuper generando ſanguini melancholico apta, a multis quidem recentioribus, quibus *Galenum* preſſo pede ſequi volupe eſt, cauſſis melancholiæ & maniæ adnumeratur; ſed ingens illorum multitudo, qui eiusmodi diæta vtuntur, & tamen melancholici non fiunt, de falſitate huius ſuppoſiti ſatis teſtatur. Referunt autem ad talem victum:

α) ex *carnibus:* bubulam, caprillam, hircinam, maxime vero carnes aſini, cameli, apri, vulpis, canum & limacum. Porro carnes huc trahuntur ſale conditæ animalium tam terreſtrium, quam aquatilium, caſeus vetus & alia.

β) ex *vegetabilibus:* braſſicam, germina arborum, panem furfuraceum, lentes, vina craſſa nigra. *Conf. Galenus de loc. adf. lib.* III. *cap.* VII.

(2) vel *immateriales*

a) Hæreditaria diſpoſitio.

b) Meditatio continua & profunda de obiecto, quod firmiter animo inſedit.

c) Speculationes trepidæ cum indignatione, ira ſuppreſſa, vindictæ deſiderio, aut deſperatione coniunctæ.

d) Curæ & angores propter comparandum victum aut commiſſa grauiora delicta. Carceres.

e) Dolor & metus ex principum indignatione, iactura bonorum per incendia, rapinas, naufragia, veluti *Theod. Craanen in praxi cap. VI.* refert de mercatore, qui poſt mercium amiſſionem in melancholiam inciderit. Huc pertinent: mors coniugum, filiorum, propinquorum, patronorum, contemtus & calumniæ, proſtitutiones, proſcriptiones.

f) Peruigilia varias ob cauſſas inducta.

g) Spei, quæ nos tenuit, maximæ fruſtratio; adeoque omnium intentionum & cœptorum ſiniſter euentus. Quo referas *repulſam*, quam ſæpius ferre coguntur iuuenes proci eorumque amaſiæ.

h) Terrores crebri & peiora in futurum minantia.

i) Incantationes & ſpectrorum viſiones.

2) *Cauſſa efficiens*

(1) Secundum vulgares *veterum* traditiones eſt humor atrabilarius, ſeu intemperies calida & ſicca, cui alii addunt venenatam ſeu malignam qualitatem.

(2) Secundum *recentiores*, veterum placita atrabilaria retinentur, & nouó pigmento incruſtantur. Credunt nimirum cauſſam efficientem melancholiæ eſſe omne id, quod mobiliores humorum partes expellat, & immobiliores relinquens, humores craſſos reddat; vnde ſpirituum animalium, domeſticorum, ſilueſtrium, & fibrarum motus peruerſi, luminoſi, tenebricoſi, per lineam rectam, obliquam, vorticoſam, ſuſcepti; acidum porro turbatiuum, fixum, bilioſum, exaltatum, quod

mentis

mentis alienationes producat, particulis mercurialibus depreſſis, eo plane modo, quo acetum fieri ſibi concipiunt. De qualibus commentis *Stahlius in diſſ. de animi morbis* adfirmat, quod vtique proponenda non ſint, vt forte riſu excipiantur, cum illo indigna ſint; ſed vt ſerio animaduertatur, quam neceſſario de verioribus cogitandum ſit cauſſis.

(3) *Vera* igitur cauſſa *efficiens* eſt anima rationalis. Licet enim huius ſubſtantia phyſice lædi non poſſit: quia tamen corporis neceſſitatibus præeſt, nec ſine illo in vita naturali operari poteſt; ab illius quoque ſtatu periculoſo varie adficitur, atque illud viciſſim diuerſimode adficit, alterat, commouet, & tam in humoribus, quam motibus turbas excitat, prout propoſito ſatis fieri poſſe credit. Per eiusmodi enim cauſſas tam materiales, quam immateriales ſenſim inducuntur motuum vitalium perturbationes, anxia ſollicitudo, manifeſta contriſtatio, phantaſiæ confuſio, peruerſum inde iudicium, erronea æſtimatio, & inſolitæ, miræ, deſperatæ actiones: præcipue autem a talibus noxis, *intra* corpus exſtantibus, occaſionem ſumit natura, analoga pericula, carceres, hoſtes, terriculamenta, inſidias, perſecutiones & inſtantes cædes *extra* illud confingendi, incuſandi, propulſandi, euitandi. Ex hoc etiam fundamento mox latebras quærunt, arma parant, certamen inire geſtiunt, fugam loquuntur.

3. *Cauſſæ erotomaniæ & furoris vterini.*

1) Vtriusque morbi cauſſæ ex iis, quæ ſupra paſſim dicta ſunt, facile perſpiciuntur. Ingens enim deſiderium certi obiecti in vtroque ſexu profundas meditationes, viuidas præfigurationes, phantaſiæ ludibriis varie exornatas excitat, fouet & tam diu conſeruat, vſque dum voti ſui compos factum ſit ſubiectum amans, per *erotomaniam* hactenus amens. Ceterum aulæ principum longe exquiſitiorem huius morbi ſciunt hiſtoriam, indolem, ſigna, cauſſas, ſymptomata & therapiam, quam Medici, quibus inter

ter clinicas miſerias conſeneſcendum eſt. *Conf. Ier. Loſſii diſſ. de Erotomania Wittebergæ 1681.*

2) *Furor* autem *vterinus*, *hyſteromania* ſeu *nymphomania* ſexus feminini ſubiectis proprium eſt, & ſalacioribus præcipue euenit intenſior iſte libidinoſi delirii gradus, qui ad actiones mirum in modum laſciuas, feroces & prorſus deteſtandas compellit. Non ſemper autem ardens & effrenatum coëundi deſiderium in cauſſis eſt, ſed aliæ quoque patheticæ animi commotiones hunc furorem excitare poſſunt. Quidquid vero ſit cauſſæ procatarcticæ, concitatur vbique per motus tales impetuoſos vehemens ſanguinis orgaſmus & ſuccedit œconomiæ vitalis turbatio. Vnde faciei rubor, oculi ſcintillantes, loquacitas, cantus, cibi potusque obliuio & ad maſculi adſpectum ſubinde noua exacerbatio vel deliquium ſyncopticum. His porro accedit menſium retentio, aliquando largior profuſio & teſticulorum muliebrium monſtroſa interdum inflatio. *Conf. Stahlii theoria p. 1420. Boneti anat. pr. lib. I. ſect. VIII. obſ. I.*

3) Alii quidem ex *materialibus* cauſſis hos morbos explicare intendunt, & de ſemine in vaſis ſpermaticis per acrimoniam accenſo commentantur: ſed parum fidei merentur.

4. *Noctambulatio, ſomnambulatio* ſeu *noctiſurgium* reſpectu ætiologiæ ſuæ multum ſemper faceſſiuit negotii Medicis, illis in primis, qui placito illo, quod noctambulationis cauſſa ſit ſpirituum animalium irrequietorum excurſio, contenti eſſe nolunt. Vnde *Muſitanus* dicit: magnæ molis eſſe huius pathematis detegere cauſſam. Siquidem, pro ſubiectorum diuerſitate, vel ſola intemperata phantaſiæ actiuitas ſubeſt, vel materiales ſimul læſiones concurrunt, quæ tam in fluidis, quam ſolidis partibus vigilantiam & circumſpectam obſeruationem poſtulant. Speciatim vero cauſſa

1) *remota* eſt exquiſita per temperamenti rationem ſenſibilitas ſeu actiuitas.

2) *proxima* eſt vel conſuetudo negotiis vacandi aſſidue & quæ expe-

pedienda incumbunt, cum cura perficiendi; vel phantaſiæ ſub otioſa vita inconditus abuſus.

3) Cauſſa *efficiens* eſt ipſum principium mouens immateriale, quod ſub ſenſuum externorum quiete ſenſibus internis abutitur, & ſecundum polymorphas præfigurationes tam inſolitos actus in corpore inſtituit

4) *Occaſionales*

(1) ſtatus plethoricus, nonnumquam hypochondriacus, in quo viſcerum nobiliorum læſio vel iam adeſt, vel impendet.

(2) Hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſio, veluti exemplis relectu dignis id comprobant *Collect. Vratislav.* vbi adoleſcentem ſiſtunt noctu e lectu aufugientem; virum, qui interdiu eques iter dormiens fecit, nec prius euigilauit, donec amici domum, ad quem profectus, intraſſet. De virgine pariter ſomnambula referunt, quod inſtrumentum muſicum ſcite pulſauerit, epiſtolam ſcripſerit, obſignauerit, hoſpitem quaſi ſe viſitantem ſibi finxerit, humaniter eumdem exceperit, & honorificis compellationibus iterum a ſe dimiſerit. *Conf. Io. Bohnii diſſ.* in qua caſus ægri *ſomnambulationis* morbo laborantis reſolutus ſiſtitur. *Lipſiæ 1717.*

(3) Pauperies & inquieta ſollicitudo de ſuſtentanda vita.

(4) Multorum conatuum & moliminum, quæ effectui danda ſunt, in mente volutatio. Wann der Kopf von mannigfaltigen deſſeins und proiecten voll iſt.

5. *Cauſſa noſtalgiæ,* ſeu ardentis deſiderii, ex oris peregrinis in patriam redeundi

1) *remota* eſt peculiaris ſenſibilitas & patriorum inſtituorum, quæ ſola placent, reminiſcentia.

2) *proxima* eſt diſplicentia morum, victus, conuerſationis & aliorum, quæ in aliis regionibus obtinent. Vnde inquietudo & ſuſceptæ peregrinationis pœnitentia, adeoque amiſſi boni ſollicita præfiguratio, & anxium patriam

 repe-

repetendi deſiderium cum extremo præſentis ſtatus tædio coniunctum. Sie haben nicht Luſt das geringſte vorzunehmen, ſondern ſitzen immer und ſpeculiren. Sub inualeſcente hoc tædio notabilis quoque vitalium actionum languor ſuccedit; hinc impuritatum coaceruatio & noua occaſio ad maiorem ſollicitudinem & ad febriles motus expurgatorios, noxæ recens contractæ deſtinandos.

6. *Cauſſæ choreæ S. Viti* noſtro æuo plerumque obſeruantur *materiales;* quamuis non leuis ſuſpicio ſubſit, ſæpe quoque fuiſſe *imaginarias*, vt infra *in Obſ.* dicetur. Morbus autem, conſentiente ſchola medica, conuulſiuus eſt, qui non ſolum ſaltandi deſiderium fere inſatiabile inuoluit, ſed varias quoque capitis motitationes, brachiorum, pedum & totius corporis agitationes inducit, cum manifeſta fatuitate, in qua riſus & fletus frequens viciſſitudo & inſolitæ prorſus geſticulationes obſeruari ſolent. Scenam hanc ante plures annos aperuit virginum quadriga, quos tamen ſanatas per naturæ & artis ſubſidia vidimus. *Conſ. Greg. Horſtii Opp. tom. II. lib. II. obſ. 45. Act. med. Ber. Dec. I. Vol. II. p. 54. Pelargi Eteodrom. III. p. 289. 850.* Exemplum vero curſitationis, pernici ſubſultu per aliquot dies & noctes peractæ, refert *Tulpius lib. I. obſ. 16.* tamquam teſtius αὐτόπτης. Mulierem vero tali inſania correptam & per integrum ferme menſem ſaltantem adnotauit *Platerus in obſ.* & *Io. Rud. Camerarius in memorab. Cent. XI. obſ. 85. & 87.*

Cauſſæ occaſionales eſſe ſolent vermes, retroceſſio effloreſcentiarum cutanearum, tranſpirationis ſuppreſſio & menſium ataxiæ. Ceterum *conf. tab. de ſpaſmis & conuulſionibus.*

7. *Cauſſæ tarantiſmi, cynanthropiæ, lycanthropiæ.*

1) *cauſſa proxima* per tarantulæ ictum aut canis vel lupi rapidi morſum ſatis manifeſta eſt.

2) *formalis:* materiæ ſubtilis valde agilis per ictum aut morſum communicatæ, per inteſtinam fermentatiuam commotionem ad nocentiſſimum ſtatum ſeu veneni formam redactio, maſſæ ſanguineæ intimior inſinuatio & ad præcipitem corruptionem diſpoſitio & inchoamentum.

3) Vn-

3) Vnde natura, tamquam cauſſa *efficiens* a damno accepto extreme anxia, conſilii inops & valde trepidans, æque facile ad motuum exacerbationes ac ad eorumdem abolitiones prona obſeruatur. Confuſe enim actus vitales & morales ſub hoc periculo adminiſtrantur. Licet autem etiam in his deſperatis caſibus bona naturæ intentio ſit, corpus quoquo modo conſeruandi, therapeuticæ tamen ipſius inuentiones a norma ſalutari aberrant, finemque ſuum non adſequuutur.

VI. *OBSERVATIONES.*

1. Morbi animi, *in ſe* conſiderati, medicinæ quidem obiectum non conſtituunt; quia vero ſæpiſſime e vitio corporis ſeu præternaturali tam ſolidarum, quam fluidarum conſtitutione initia ſua ſumunt, aut e cauſſis moralibus orti vitalem quoque œconomiam turbant & ſanitatem grauiter lædunt: hinc iure in eorum ætiologiam inquirit *Pathologia*, quemadmodum de eorum medela ſollicita eſſe ſolet *Therapia*.

2. *Memoriæ debilitatem* ab hominis natiuitate manifeſtam, ſine ratiocinantis facultatis læſione obſeruare, vix licebit. Sed verſam in vicem ſæpius deprehendimus congenitam *moroſin*, quæ, vti iudicii & phantaſiæ deprauationem inuoluit: ita & memoriæ defectum abunde prodit. Cauſſa autem vtriusque mali, veluti *Paul. Aegineta lib. III. cap. XI.* ad mentem veterum indicat, cerebri nempe nimia humiditas, æque dubia eſt, ac illud adſertum, quod humidum & frigidum *lethargi* exſiſtat fundamentum.

3. *Melancholiam* & *maniam* vernali & autumnali tempore facilius, quam alias, oriri ſolere, *Hippocrates ſect. III. aph. XX. XXII.* docuit, quoniam in climate ſuo ita accidiſſe obſeruauit. Cum vero in temperatis noſtris regionibus aliter eueniat: cauſſis occaſionalibus ſupra non inſeruimus. Aetiologia interim, cur hiſce tempeſtatibus in melancholiam incidere homines poſſint, longe alia eſt, quam illa, a fermentorum defenſoribus adlata; opinantur nimirum, fermentum, quod tota hieme quaſi emortuum delituerit, tempore verno

per nouam fermentationem produci, & per energiam ſuam coagulantem ſanguinem ſpiſſum & melancholicum reddere. Atque hoc accidere, aiunt, in æſtate, in qua partes ſpirituoſæ, ac tenues per iugem & auctam tranſpirationem auolent, vt neceſſario ſub auctumnum melancholia aut inſania ingruere debeat. Sed qui congeſtionum doctrinam, theoriam de aëris & tempeſtatum efficacia in corpus humanum & pluribus conſuetum regimen rite ponderat; alias ſubeſſe deprehendet rationes *Conf. Conſpect. Hygieines lib. II.* & ſupra *tab. de congeſtionibus.*

4. Licet melancholiæ & maniæ cauſſæ ſatis inter ſe conſpirent: melancholicus tamen cum maniaco confundendus non eſt. Ille enim mitius delirat, ſine furore, & pro temperamenti differentia vel hilaris eſt, & vbiuis locorum ſe ſe immiſcere cupit, vel triſtis, anxius, ſollicitus, taciturnus, agit, hominum conſortia auerſatur & raro eo audaciæ procedit, vt vim aliis inferre decernat. Maniacus autem, idiopathice talis, contrario modo agit, vti prolixe in *Conſp. med. tab. CXXIII.* indicauimus. Valet de his *Celſi* deſcriptio *lib. III. cap. XVIII.* vbi alios commemorat triſtes, hilares alios; alios qui facilius contineantur & intra verba deſipiant; alios qui inſurgant & violenter quædam manu faciant. Et de his porro ſubdit: quod alii nihil niſi impetu peccent; alii vero artem adhibeant, ſummamque ſpeciem ſanitatis in captandis malorum operum occaſionibus præbeant.

5. Variæ vero ſunt melancholicorum & inſanientium actiones; interdum miſerandæ, ridiculæ; ſæpe vero impudicæ, periculoſæ, truculentæ. Quæ quidem omnes videntur abſurdiſſimæ: at ſi debite ponderemus temperamentum, prædominantes adfectus animi, aliaque momenta moralia antegreſſa, tunc illas tam incongruas & rationi contrarias non eſſe deprehendemus, ſiquidem hypotheſi ſeu primæ ideæ, in animo delirantis firmiter radicatæ, ac ſpeciali obiecto, circa quod hoc vel illo tempore occupatur, apte ſatis reſpondent, licet eos in quibusdam minus acute agere palam ſit. Obſeruauit hoc præter *Stahlium in theoria p. 1424.* & *diſſ. de animi morbis §.*

§. XX.

§. *XX.* etiam *Franciſc. Valleriola,* celebris quondam *Taurinenſium* doctor.

6. Ita ſi quis, ex male concocta ſuperbia, potentem ſe putet regem aut principem; nihil mirum, ſi imperioſum, iracundum & truculentum ſe præbeat erga obloquentes, immorigeros, irriſores & contemtores. Pariter qui e litterariis coaceruationibus, ingenii & memoriæ vires ſupra modum laceſſiuerunt, ac eruditorum primos ſe opinantur: ii indignabundi ſunt, faſtuoſi, magniloqui, impatientes; & quo maiorem iniuriam ſibi, tamquam eruditis ſine pari, fieri credunt: eo ferociores euadunt.

7. Eadem eſt ratio illorum, qui neminem vel eminus adpropinquantem ferre volunt, quia vel vitreos, vel, vti *Galenus* obſeruat, teſtaceos ſe eſſe firmiter perſuaſi ſunt. Hinc clamore & mira geſticulatione accedentes a ſe abigunt. Alii ignem & ſolem angue peius fugiunt, quia ſe butyraceos eſſe dicunt, & colliqueſcendo perire detrectant. Ita lotium reddere ſubinde recuſant, ne diluuium aliquod excitent. Forte quia ſeri in corpore abundantis ideam & ſuffocationis periculum in animo voluunt. *Conf. Teichmeieri diſſ. de delirantium furore & dementia Ienæ 1733.*

8. In maniacis ſpeciatim obſeruari meretur ſingularis illa circumſtantia, quod, licet febriles commotiones non concurrant: illi tamen tanto caloris robore polleant, vt ſæpenumero enorme frigus perpetiantur, neque tamen inde perniones reportent, aut ſphacelum incurrant. Ita notus eſt infelix quidam maniacus, cuius abdomini miles ebrius vulnus amplum inflixit, ex quo dolorem non percepit læſus, ſed illico poſt deligationem faſcias ſoluendo ſplenia cum emplaſtro abiecit, atque ſeminudus, vt antea, per aliquot annos ſuperſtes palatus eſt.

9. Ratio huius phænomeni minor principii vitalis ſenſibilitas, eſſe videtur, qua per externos ſenſus obiecta percipiendi abſtrahit & ſpeculationi intente nimis ſe adplicat. Quo maior vero ſenſationis neglectus eſt, eo vehementiores ſunt ipſi motus vitales, ſecundum intentiones cerebrinas auda-

cia & animoſitate ſuffulti: vnde extraordinarius partium calor & perpetua noxarum, extrinſecus lædentium, depulſio, reſiſtentia & profligatio.

10. Ceterum in delirantibus rationem lædi per ſenſuum internorum læſionem, tam certum eſt, vt nemo tam facile contrarium adſerere auſit. Pauciores vero, qui ob ſolam imanationis læſionem, *manente ratione integra*, aliquem delirare poſſe, opinati ſunt, illos iam refutauit *Paul. Zacchias in Quæſt. medico-leg. lib. II. tit. I. quæſt. 4. collata diſſ. Chriſt. Thomaſii de præſumtione furoris atque dementiæ §. XX & XLV.* Anſam paradoxæ adſertioni dedit *Galenus lib. de ſymptomat. differentiis cap. III. f. m. 11.* dum exemplum narrat de *Theophilo* Medico ægrotante, qui ſcite diſputare, & cum viſitantibus ipſum doctos ſermones miſcere valuit, nihil adferens, quod vllo modo delirium argueret. Hoc ſolum adſtantes impenſe rogitabat, vt tibicines, qui angulum domus, in quo ille decubuerat, occupaſſent & noctu diuque aſſidue pulſarent, protinus eiicerent, quo quietus & ab inſtrumentorum ſtrepitu liber agere poſſet. Imo ſanus factus, tædii a tibicinibus creati meminit, &, quæ quisque adſtantium ad ſe dixerit, repetiit. Verum enimvero, hunc caſum euincere contrarium in aprico eſt.

11. Vtrum præterea melancholicos delirantes catenis vincire, carceribus includere, fuſtibus cædere, proſcribere, aut per carnificis manus occidere conueniat? Hic quidem non expediemus, ne therapeutica pathologicis miſcere videamur. Interim pauperem quemdam melancholicum ad ſupplicium ita raptum & capite plexum commemorat *Stahlius in diſſ. de animi morbis §. XLV.* vbi facinus illud nefarium ſerio deteſtatur & ſaniora ſuppeditat. Hinc & *Thomaſius* pernegat, delirantem quemquam ad ſanam redire poſſe mentem, ſi vinculis coërcitus detineatur, in primis cum vel opum diues, vel ditionis alicuius dominus fuerit. Quia modus tractandi & ratio ſtatus illorum, qui dominio ſpe ſuccedendi inhiant, id omnino prohibent. De ruſtici autem vel ciuici ordinis hominibus, qui benignius habiti coniugum aut liberorum curæ

relin-

relinquuntur, reſtitutionem facilius concedit. *Vid. citata diſſ. § XIV. Halæ 1719. edita.*

12. De tali medendi methodo, delirantibus adplicata, valet ſententia *Stahlii:* quod ſcilicet maxime ſit ambiguum, vter ſtultior ſit, ſtultus ne confeſſus, an reliqui adeo ſtulte cum ipſo procedentes. Interim hic non audiendus eſt plebeius rumor, ac ſi peculiaris malignitas vinculis ineſſet, quæ delirantes plane furioſos reddere valeret, cum æſtimatio moralis, terror, pudor ac triſtitia, in lucido, quod aiunt, interuallo miſeros corripiens, id efficiat & tantopere ipſos percellat, vt noua eaque longe vehementior ſequi debeat exacerbatio.

13. *Furor vterinus* ſæpius corripit cælibes ſalaciores, otioſas & venereis ſpeculationibus indulgentes: interim non deſunt etiam exempla earum, quæ in matrimonio viuentes idem malum incurrunt. Caſus notabiles videantur in *Matthæi de Gradibus conſil. LXXX. f. m. 71. Greg. Horſtii Opp. tom. II. lib. II. obſ 28.* Ceterum attentione digna ſunt, quæ *Plutarchus* de vxoribus Lugdunenſium & Mileſiorum refert, quod veneris adpetitu vehementius aliquando percitæ, neque deſiderium ſuum cuiquam aperire auſæ, cateruatim in flumina ac puteos ſe dederint præcipites. *Conf. Io. And. Fiſcheri diſſ. de furore vterino Erford. 1720.*

14. *Somnambulatio*, quia omnino morbus habetur; in pathologia quoque merito ſibi locum vindicat. Ex quo autem fundamento aliqui pro pathemate naturali venditare voluerint, nullo modo perſpicimus.

15. Qui vero fiat, vt noctambuli periculoſa loca, ad quæ vigilantes ne cogitando quidem adpropinquare audirent, tam impune tranſcendere & præcipitia reptatu difficillima ſuperare poſſint, multum diſquiritur. Aliquid lucis mutuabit phænomenon ex illis, quæ paulo ante *obſ. 9.* iam monuimus. Paucis interim notandum, quod phantaſia, quæ in his ſubiectis ſine diſtincto ratiocinio & ſine rerum, quæ fieri vel non fieri poſſint, comparatione, ſola agit, quæuis molimina, tamquam effectu facillima, ſibi præfiguret. Hinc metus

tus abſentia & ſenſuum externorum feriatio efficiunt, vt cœptis tantum roboris atque dexteritatis accedat, quantum ad patrandas tam miras & portentoſas actiones ſufficiat.

16. Infantes, lunæ radiis expoſitos, tandem euaſuros eſſe ſomnambulos, vulgo quidem dicitur, ſed vanæ opinioni innitens traditio eſt. Penitiore vero indagatione inquirendum eſſet in illud adſertum: quod nimirum ſomnambulorum muſculi ſentiant, non vero eorumdem cutis.

17. *Noſtalgia* quam iuſte ad animi morbos referatur, vel inde coniici poteſt, quod *Heluetii* eius paroxyſmo corripiantur, ſi modo certæ cantilenæ tonum, cui aures in patria adſueuerunt, audiant. Vnde in caſtris Germanorum militum, quibus etiam Heluetii mixti fuerunt, vetari debuit, ne quis fiſtula canens eumdem tonum præcinat & aduenis noſtalgiæ paroxyſmum excitet. *Vid. Collect. Vratislauienſes.*

18. *Chorea* S. *Viti*, quæ etiam ſaltus S. *Modeſti* audit, cum *Tarantiſmo* paſſim ab auctoribus confunditur, ſed quia in illa non præcedit animalis aculeati ictus, vti in tarantiſmo; tum pro vno eodemque morbo haberi nequit. Cur autem is morbus ſaltus *Viti* dicatur, de eo obſeruandum, quod ſuperſtitio & idololatria quorumdam *Sueuiæ* incolarum Medicis ſuppeditauerit occaſionem, vt morbum hunc conuulſiuum, qui ſubinde per curſus & ſaltus ſe manifeſtat, ita adpellare voluerint.

19. Crediderunt nimirum idololatriæ cultores, ſe ope huius idoli, cuius nomen in faſtis, veluti ſancti alicuius viri, notatum legitur, ſanos & incolumes viuere poſſe per integrum annum, ſi menſe Maio dona obtuliſſent, & ad eius ſacellum noctu diuque tamdiu ſaltaſſent, donec mente perturbati ad inſtar ecſtaticorum conciderent. Quibus peractis domum ſe recipiunt & ex voto viuunt. Maio autem iterum adpropinquante membrorum inquietudinem perſentiſcunt & varie torquentur, vt de nouo, ſi rectius valere velint, ad ſaltationis ædiculam ſe conferre cogantur. Tanta phantaſiæ & adſuetudinis vis eſt.

20. Elus-

20. Eiusmodi ſacellum, *Vito* ſacrum, & ob ſaltantium frequentiam celebre exſtitit in finibus *Vlmenſium* in *Dreſelhauſen*, non procul a *Geislingen* & *Weiſſenſtein*, ditionis *Rechbergenſis*; & notante *Theod. Zwingero* in *theatro prax. p. 238.* etiam prope *Ravenſpurgum* in Sueuia. Ipſe inſuper *Greg. Horſtius* cum quibusdam ſuperſtitioſa hac ſaltatione, tamquam remedio prophylactico vtentibus, locutus eſt, qui ipſi adſeuerarunt, quod probatæ fidei euporiſton ſit, quodque alter ex illis quater & viceſies, alter vero tricies bis huncce ſaltum probatum inuenerint. *Vid. eius opp. tom. II. f. m. 119. Plateri obſ. lib. I. Io. Rud. Camerarii Syllog. mem. Cent. XI. 84-88.*

21. De *tarantiſmo*, ſeu delirio ex tarantulæ morſu, fuſius iam egit *Baglivius*; vnde prolixa commentatione ſuperſedere poſſumus. Morbus iſte quibusdam *Italiæ* incolis proprius eſt, illis nimirum, qui *Apuliam* incolunt, in qua quotannis ingens numerus phalangiorum prouenit, quæ menſe Iunio, Iulio & Auguſto, quibus campi ſolis æſtu torrentur, hominibus valde infenſa ſunt, & venenato ſuo ictu plures, in acutisſimum prius delirium coniectos, miſere interimunt, niſi mature ſuccurratur. Singula præterea ſymptomata & ſaltandi rationem, per triduum & quatriduum continuandam, & quotidie octies reiterandam cum aliis recenſuit *Bern. Albinus in diſſ. de tarantiſmo Francof. 1691.*

22. Tarantulas Apuliæ ſtatis menſibus nocentisſimas, mitiores autem alias eſſe, quas ager Romanus, Calabria & Sicula terra alunt, omnes fatentur. Sed ratio tam differentis & adeo noxiæ energiæ clare non patet. Si enim quis rabidas eas concipere ſibi velit, quod nonnulli faciunt, iterum ratio deſideratur, cur non in alio pariter diſtrictu æque calido rabie corripiantur. Narrant ceterum, primam tarantulam ann. 1540. ineunte autumno circa *Tarentum* viſam eſſe.

23. Præter ea in explicanda huius veneni indole multum deſudarunt auctores; & *Sennertus* occultis qualitatibus illud accenſere non dubitat. *Helmontius* ad ideam confugit infatuantem; *Kircherus* autem, relicta veneni natura, circa vim ſaltandi enodandam occupatus eſt. Sed nullus horum ſibi,

Nn nedum

nedum aliis, ſatisfacere potuit: cum in primis notiſſimum ſit, quod ſingulis annis paroxyſmus redeat, vſque dum omnes reliquiæ veneni, ſeu potius ideæ de priſtino veneno, e corpore eliminatæ fuerint.

24. Tandem notatu dignum eſt, quod non quiuis inſtrumentorum concentus muſicus, ſed certus tantum delirantibus placeat, qui *Tarantella* ſeu *Aria Turcheſa* vocatur. Quando enim alio tono aures adflictorum replere ſuſtinent fidicines; tunc illico cardialgia & dirorum ſymptomatum ſyndrome corripiuntur tamdiu, donec priorem ſonum lædenti, vt aiunt, tarantulæ gratiorem percipiant. *Vid. Valentin. Muſ. tom. I. p. 514.*

25. *Cynanthropia* ob ſingularem liquidorum auerſationem *hydrophobia* dicitur, item *lycanthropia.* Licet autem cum acutiſſima febre complicata ſint deliria: tamen nihil lucis ex hac circumſtantia peti poteſt, ad explicandam tam celeriter agendi energiam. Vnde *Stahlius*, cum nec natura, nec ars methodica ſuppetias ferre poſſit, ſed ſimplices empiriæ experimentum hic valeat, vix medicæ theoriæ verum obiectum eſſe iſta pathemata cenſuit, in *theor. p. 1426.*

26. In cauſſas, quæ canes delirioſos reddunt, fuſius inquirere præter inſtitutum quidem eſt: non tamen prætermittenda eſt hiſtoria canis rabidi, globo traiecti; cuius cerebrum, adnotante *Boneto in anat. pract. lib. I. Sect. VIII. obſ.* vermibus refertum & in fauum diffluens ſectione repertum eſt. Ita luporum rabidorum renes ſerpentes alere e *Collect. Vratislau.* diſcimus.

27. Dum vero in pathologia de rabie canina & lupina tantum agitur, nemo cogitet, ac ſi ſolius canis & lupi rabidi morſus tam noxii atque deleterii ſint; nam & aliorum animalium vulnerationes, morſicatim factæ, eumdem effectum in corpore humano interdum exſerere ſolent.

28. Ita rabiem e morſu galli gallinacei refert *Ettmüllerus in colleg. pract. f. m. 885.* & idem accidere ſolet illis, qui a furente vipera, fele, vulpe, ſimia, cercopitheco, ſue, boue, equo, aſino, mulo, camelo, leopardo, vrſo aut homine demorſi

ſunt.

ſunt. Quo pertinet mater illa, quæ a morſu filiolæ epilepticæ facta eſt hydrophoba. *Conf. Io. Andr. Fiſcheri* διασκεψις *veneni canis rabidi Erford. 1725.* & *Io. Bapt. Scaramucci ad Magliabecchium* ſcribit: ſe iuuenem XXVII annor. vidiſſe, ira valde percitum, qui præ indignatione proprium digitum mordendo confeſtim hydrophobus euaſerit. *Vid. A. N. C. Dec. III.*

29. Quamuis autem rabiem plerumque præcedat morſus: tamen ſubtiliores adhuc ſuperſunt modi, quibus contagium mumiale ſpecificum, vti *Wedelius vocat. in diſſ. de hydrophobia Ienæ 1695.* ſeu venenum animalis rabidi communicari & propagari poteſt. Et quidem

1) per *inſpirationem aëris,* qui cadauer ex rabie necatum ambit. *Vid. obſ. Boneti* ſupra *num. 26.* Sic *Ettmüllerus tom. II. part. I. artic. IV.* ex *Bartholino* refert, feminam rabie canina correptam, quæ alii hydrophobæ vomenti propius adſtiterat.

2) per *attactum* animalis rabidi; quale exemplum *Matthæus de Gradibus conſil. CI. f. m. 96.* de viro quodam primate communicat, qui manum ori rabidæ caniculæ imponendo quarto die poſt, triſtia rabiei præludia cœperit.

3) per *comeſtionem* lactis & carnis beſtiæ a rabido cane demorſæ. Funeſtam hiſtoriam recenſet *Pet. Borellus cent. I. obſ. 75.* vbi plures horrenda hac rabie correptos teſtatur, qui carnem ſuis a cane rabido demorſæ, guſtarunt. *Conf. Fr. Hoffmanni med. rat. ſyſt. tom. II. p. 176.* §. VIII.

4) per ſolam *reminiſcentiam.* Ita *Collect. Vratislav.* mentionem faciunt viri, qui poſt annuum interuallum lapidem præteriens, iuxta quem ſuperiori anno rabidus canis ipſum momorderat, de nouo rabie correptus eſt.

5) per *oſcula* a rabioſo patre accepta, liberi quoque in rabiem acti ſunt. *Vid. Iul. Palmarius de morbis contagioſis.*

30. Sed longe maiorem attentionem merentur illa exempla, quæ hydrophobiam homines inuaſiſſe demonſtrant, ſine prægreſ-

ſo morſu, attactu, aut vllo commercio cum rabido animali. Ita

1) obſeruati ſunt quidam melancholicorum, qui nullius generis liquores ob ſingularem hygrophobiam videre, nedum deguſtare potuerunt. *Conf. Bern. Albini diſſ. de hydrophobia theſ. XI. Francof.* 1687.

2) Ex *terrore* in hydrophobiam incidit mulier quædam, cui fortuito extra vrbem ſemel pernoctandum fuit. Referente *Platero* in *obſeruationibus.*

3) In *febribus* malignis liquidorum auerſationem ſubinde obſeruarunt *Salmuth*, *Marcellus Donatus*, *Ioſ. de Aromatariis* & alii.

4) *Vteri morbis* ſuperueniſſe hydrophobiam adnotauit *Sennertus*; & grauidam ſine manifeſta cauſſa in hoc malum incidiſſe ſcribit *El. Camerarius in diſſ. Taurinenſib.*

5) *Eph. N. C.* pueri XV. an. mentionem faciunt, qui farinaceos paſtillos, nimis calentes, auide deglutiens & glacialem aquam ſuperbibens, tertio die hydrophobia correptus ſit.

6) Anno 1719. menſe Febr. *Schneebergæ* hydrophobia quaſi epidemice infantes inuadens obſeruata eſt. *Conf. And. El. Büchneri diſſ. de rabie canina ad mentem celeberrimorum quorumdam noſtræ ætatis virorum conſiderata. Erford.* 1726.

31. Vti ceterum pleraque in hoc delirii genere admodum perplexa ſunt: ita & hoc non minorem admirationem excitat, quod inſignia interualla intercedere ſoleant, inter ipſum tempus, quo vulnus inflictum eſt, & inter hydrophobiæ eruptionem. Solet enim corripere hæc liquidorum auerſatio poſt quartum a morſu diem, poſt duas, ſex, ſeptem hebdomadis; poſt menſes quatuor, ſex & plures immo poſt annos ſeptem, duodecim, octodecim, triginta, &, vt *Alzaharauius* prodit, poſt quadraginta. *Vid. Pet. Borellus cent. 1. obſ. 74. Phil. Eyſelii diſſ. de hydrophobia §. XXI. Erford.* 1705. Ex quibus obſeruationibus aliqui argumentum deſumunt pro ſtabilienda materia varioloſa, a natiuitate in corpore profundius

fundius deliteſcente, quam per fermentationem poſt multos tandem annos, perfractis carceribus continentibus, vim ſuam exſerere credunt. *Conf. Theod. Craanen prax. med. ref. p. m. 136.*

32. Inter ſymptomata rabiei, præcipuum & maxime intricatum eſt ipſa hydrophobia, quæ *cynanchen* ſeu anginam cum ardente ſiti & extrema potulentorum auerſatione coniunctam habet, adeo, vt ne proprias quidem lacrymas ferre poſſint rabioſi. Si vero ponderemus, faucium adeſſe inflammationem, quæ per ſe iam ſuffocationem minitatur; minus videbitur mirum, ſi ægri, vrgente ſiti poſthabita, potum tantopere deſideratum præ metu præſentisſimæ ſuffocationis nihilominus cum tremore exhorreſcentes detrectent. Cuius rei exemplum notatu dignum *vid. in Tulpii obſ. lib. I. obſ. XXI.* Occurrunt interim nonnumquam, qui parcius bibunt, ſed tamen intereunt.

33. Quamuis cynanthropia omni iure deliriis acutisſimis accenſeatur: tamen offerunt ſe paſſim ſubiecta, quibus mens per interualla integra rediit. Nota eſt virgo *Patauina*, quæ cedente paroxyſmo impenſe rogauit adſtantes, vt arctius ipſam conſtringerent, ne reuertente exacerbatione, cum qua mordendi furor ſimul inualeſcit, quemquam læderet. *Vid. Io. Rhodii Cent. I. obſ. 46. Eph. N. C. Dec. II. an. IV. obſ. 79. p. 164. Zacchias in Quæſt. med. leg. lib. II. tit. 1. quæſt. 17. f. 191.*

34. *Deliria* tandem in morbis occurrentia, non tantum in *febribus acutis* aut ſubinde in *intermittentibus* obſeruantur, ſed aliis quoque læſionibus ſuperueniunt, quales ſunt: inflammationes partium, contuſiones, luxationes, ſphacelus. *Conf. Teichmeieri diſſ. ſupra allegata.*

35. *Mania* ex *philtro* huc quoque referri ſolet ab aliis; ſed eius mentio iniicietur in *tabula* ſequente, in qua de caſibus quibusdam reſeruatis ſeu fortuitis, ad praxin extemporaneam pertinentibus, tractare conſtitutum eſt.

TABVLA XVI.

DE
CASIBVS RESERVATIS.

I. D*EFINITIO.*

Caſus reſeruati ſunt morbi plerumque fortuito ſubitoque euenientes, qui ad certam & vſitatam morborum claſſem ordinarie referri non ſolent; licet vel motibus auctis, vel turbatis, vel deficientibus generatim adnumerari poſſent.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Si ſcire quis cupiat numerum illorum morborum, qui ad caſuum inopinatorum claſſem referri debeant; reſpondemus, quod ſecundum arbitrariam methodum quidam liberaliores, quidam autem parciores ſint in eiusmodi caſibus adcumulandis.
2. Nos *ſex* tantum hic tractabimus; cum de non nullis aliis alibi iam actum ſit. e. g. tab. præcedente.

III. *CASVS IPSI.*

A. Venenvm

1. *Definitio*

Venenum eſt materiatum deleterium, quod plerumque exigua quantitate, & citra proportionatam violentiam, ſenſibus manifeſtam, vitalem œconomiam breui temporis ſpatio intime peruertere & ita deſtruere ſolet, vt inde, niſi feſtinatum ſufficiensque auxilium feratur, vel mors, vel ſonticum & irreparabile partium internarum læſio ſuccedat.

2. *Differentia*

1) *Venenum* ancipitis notionis vox eſt, perinde ac *valetudo* apud Latinos, & *pharmacon* apud Græcos. Hinc venenum datur

(1) bo-

(1) *bonum*, quod idem ſignificat ac medicamentum. Ita e. g. *Lucanus lib.* VIII. faciem vulneribus defœdatam infuſo *veneno* i. e. medicamento traumatico, ſolidatam ſcribit; & *Plautus in Pſeudolo act.* III. *Scen.* II. v. 80. de *Medea* refert: quod ſenem *Peliam* fecerit adoleſcentulum per ſua *medicamenta* & *venena*. *Plinius hiſt. nat. lib.* VII. omnibus hominibus contra ſerpentes ineſſe dicit *venenum*, ſeu ſuccum abſtergendo & diluendo veneno nocenti aptum.

(2) *malum* ſeu *nocens*, de quo valet *definitio*, quodque hodie ſemper intelligitur, ſicubi de veneno diſſerendi occurrit locus.

2) Si ſuperioris æui, aut paulo antiquiores conſulamus artis doctores: tunc eos in ſignificatu laxiori veneni vocem vſurpare deprehendimus. Ita *Rodericus* & *Caſtro lib.* I. *cap.* VI. *in Medico Politico* venenum id eſſe tradit, quod disſidio & inimicitia naturam noſtram depeculetur. *Ioubertus dec.* II. *paradox.* X. *f. m.* 147. illud proprie venenum vult, quod intra corpus adſumtum ita eius naturæ repugnet, vt ab ea vinci eique adſimilari non poſſit, ſed e contrario immutet.

3) Atque ſecundum hunc reſpectum a recentioribus omnino differunt, qui venenis ſemper lethiferam vim adſcribunt, licet repentina mors maturo auxilio impediri poſſit; quam quidem & veteres conceſſerunt, non tamen de veneni eſſentia eſſe exiſtimarunt, vt neceſſario interimere debeat. Vnde enata eſt differentia venenorum,

(1) quæ abſolute necant & θανατοφορα audiunt.

(2) quæ inſaniam aut fatuitatem conciliant.

(3) quæ ſine læſione ſubſtantiæ corporis varios motus & mira phænomena producunt.

(4) talium rerum, quæ venena quidem non ſunt, adſumta tamen vel adplicata vitam auferunt, vt vitrum, ex mente veterum lactucæ ſuccus ob nimiam frigiditatem pernicioſus, ſpiritus ardens copioſe ingurgitatus, cibi in ſe quidem laudabiles, ob peculiarem autem quorumdam

rumdam idioſyncraſiam deleterii, aqua frigida corpori calenti ſuperfuſa, medicamenta emetica & cathartica draſtica, de quibus *Vid. Hoffmanni med. rat. ſyſt. tom.*II. *cap.* V.VI. VII. Atque ex his intelligi poteſt mens antiquorum, qui latiore ſenſu venenum deſcripſerunt.

4) Porro venena alia ſunt,

(5) quæ tota ſubſtantia, vt aiunt, nocent, e.g. napellus.

(2) alia, quæ ſolis qualitatibus venena fiunt, & ſecundum quatuor primas proprietates vel

a) nimium calefaciendo, vel

b) infrigidando, vel

c) exſiccando, vel

d) humectando nocent.

5) Ratione *modi operandi* ita differunt, vt

(1) hæc putrefaciendo;

(2) iſta corrodendo, inflammando, exulcerando;

(3) illa ſtupefaciendo, coagulando;

(4) alia ſuffocando & quaſi ſtrangulando interimant.

6) Ratione *modi adminiſtrationis* nocent

(1) per os adſumta.

(2) per ictum aut morſum communicata.

(3) per ſolum attactum.

(4) per olfactum.

(5) per viſum.

(6) per auditum. *Conf. Laur. Ioubertus dec.* II. *paradox.*X. *Paul. Zacchias Quæſt. med. leg. lib.* II. *tit.* II. *quæſt.* 2.

7) Ratione *originis* venena dantur

(1) ex *mineralibus:* cobaltum venenum natiuum, arſenicum, mercurius ſublimatus, vitrum & butyrum antimonii, mercurius viuus in ſpiritu acido ſolutus, aqua fortis, aqua regia, oleum vitrioli, & ſecundum quosdam adamas.

(2) ex *animalibus* plures ſerpentum ſpecies, quas Zoologi & hiſt. nat ſcriptores & *Obſeruationes itinerariæ* ſuppeditant. Lepus marinus, phalangium, vipera, ſcorpius.

(3) *ex vegetabilibus:* napellus, helleborus albus, datura, ſolanum furioſum, colchicum, cicuta aquatica, euphorbium, eſula, yucca, opium, hyoſciamus, & certæ fungorum ſpecies.

8) Ratione *vehementiæ* alia

(1) vel tam repentinæ ſunt efficaciæ, vt cito intermiant,

(2) vel tardius deleteriam edant virulentiam: vnde *temporaria* audiunt. *Conf. Conſpect. med. tab.* CXXX. *C. G. Stenzel de venenis terminatis & temporaneis Wittebergæ* 1730.

9) Præterea venena ſunt

(1) vel fortuito adſumta

(2) vel doloſe propinata

(3) vel miaſmata partim intra corpus genita, partim extrinſecus illata per contagium.

10) Quæ adhuc ſuperſunt differentiæ, arbitrariæ ſunt, ſecundum quas diuidi ſolent in venena

(1) *natura* talia & *per accidens* ita facta.

(2) vel ſecundum *totum* & ſecundum *partem:* prioris exemplum præbent cantharides; poſterioris: cerebrum felis.

(3) ita alia ſtatuuntur *cordi* inimica, alia *cerebro* perniicioſa.

2. *Signa.*

Signa cum viginti in *Conſp. med.* exhibita ſint; ad repetenda illa tirones eo ablegamus.

3. *Subiecta.*

De ſubiectis pariter nihil monendum reſtat; ſiquidem quilibet homo, cuiuscumque ætatis ac ſexus fuerit, veneficio lædi aut occidi poteſt.

4. *Cauſſæ.*

1) Quando venenum, tamquam *cauſſa materialis*, cum corpore communicatum eſt: tum omnium motuum, inprimis vitalium, turbatio contingit.

2) Natura enim, ceu *cauſſa efficiens* ob præceps periculum turbata, trepidans & anxia motibus primum vehementiſſimis præcipiti noxæ ſe opponit: ſi vero fine ſuo non potitur, ad motuum omisſiones deinde prolabitur, corpusque putredini relinquit.

3) De *occaſionalibus* differere cauſſis plane ſuperfluum eſt: parum enim vtilitatis practico inde redundat; ſi vel maxime ſciamus, quod alter incautus ipſemet venenum, loco medicamenti, ſumſerit, alter vero per nefarium dolum ab aliis illud acceperit. Præter ea tacere potius, quam propalare, conuenit plures illos modos & occaſiones, quibus venena, ſine adſumtione per os, cum corpore communicantur.

B. Philtrvm

1. *Definitio*

Philtrum eſt pharmacum ſeu ſceleſtorum hominum artificium, veneficio proximum, quo coactum amorem homini erga alium, ſiue iam acceptum, ſiue inimicum, variis modis conciliare ſtudent, ſed cum magno plerumque ſanitatis detrimento, quod aut perpetuam fatuitatem, melancholicam, maniam, aut ipſam mortem inuoluit.

2. *Differentia*

1) Philtrum *poculum* quoque dicitur *amatorium*, quoniam ſub forma liquida & potulentis conſuetis immiſtum clam exhiberi ſueuit. Sed poſtquam impietas ſatanæ mancipiorum ad ſummum faſtigium perducta eſt, plures dantur modi, quibus intentioni ſatisfacere poſſunt maleuoli.

2) Differunt auctorum ſententiæ ratione exſiſtentiæ philtrorum: quidam enim prorſus negant, philtra dari naturalia, ſeu amorem per cauſſas naturales conciliari poſſe; alii contra id ipſum ſerio adfirmant.

3) Philtra *ratione cauſſarum* ſunt

(1) *Moralia*, quæ animum reſpiciunt, & præter morum ſimilitudinem, vitæ generis & hypotheſium conuenientiam ac enatam inde mutuam animorum inclinationem, nihil inuoluunt.

(2) *Na-*

(2) *Naturalia*

a) *connata* ſub quibus tam formæ externæ pulchritudinem, quam internorum humorum conſtitutionem, in duobus indiuiduis conſpirantem, intelligunt; vnde animorum oriri poſſit inclinatio & conſenſus.

b) *arte parata*, quæ ex ingredientibus naturalibus conficiuntur, modo naturali agunt, & determinati ſubiecti amorem inducunt.

(3) *Præternaturalia.* Hæc ſunt pharmaca ex tribus naturæ regnis quidem deſumta, ſed modo prorſus præternaturali operantia. Vnde, amoris loco, dira ſæpe ſymptomata, motuumque extremæ perturbationes & philtromania ſequuntur.

(4) *Magica* & *magnetica*; quæ iterum duplicis ſunt generis: partim enim ſuperſtitio & incantationes per ſigna, verba & actus perpetrandæ, partim magica materiarum naturalium adplicatio & præparatio eorum fundamentum conſtituunt.

4) *Ratione originis* habentur philtra

(1) *Animalia*

a) ab homine deſumta

b) ab aliis animantibus, e quibus vel internæ, vel externæ partes ad nefarios vſus adſciſcuntur.

(2) *Vegetabilia.* Quæ explicatius tradere non conuenit, ne maleficia docere velle videamur.

(3) *Mineralia* varia, vario modo paranda & adplicanda.

5) *Ratione finis*

(1) Alia amorem inducunt *inter homines*

a) diuerſi ſexus, aut eiusdem.

b) inter ſubiecta antea ſibi mutuo grata vel ingrata.

(2) Alia *inter hominem & animal* inclinationem conciliant. Ita *Io. Hartmannus* Marpurgenſium quondam profeſſor medicus paſſerculo capto philtrum puluerem ſub eſca

 exhi-

exhibuit, tanto cum effectu, vt auis poſthac non modo in muſeo ipſi adhæſerit, ſed etiam ægrotantes viſitantem iugiter comitata ſit. Huc porro pertinet *Helmontii* experimentum a ſe ipſo in canicula factum *Bruxellis*, vbi pedem illius comprehenſum in manu ſua tantiſper detinuit; quo facto, animal illico relicta hera, peregrinum & numquam antea viſum *Helmontium*, ſecutum eſt, neque interdiu, neque noctu illum deſeruit.

6) *Ratione effectus*

(1) Quædam ita operantur, vt vim vltra dies aliquot non exſerant.

(2) Alia amorem inductum ſine corporis detrimento & ſenſuum internorum læſione diutius conſeruant.

(3) Alia contra peſſima quæque conſectaria & magna mala excitant; e. g. hæmorrhagias per os & aures, ranarum & limacum deiectiones, obliuionem, lepram.

3. *Signa.*

Signa varia habentur, de quibus vid. *Conſp. med. tab. CXXVIII.*

4. *Subiecta.*

Subiecta determinari curate nequeunt. Accidit enim, vt non modo nauci homines cum ſui ſimilibus conuerſantes hoc periculum incurrant, ſed etiam innocentiſſimis ſubinde per diaboli mancipia tales ſtruantur inſidiae. Exempla habemus paſſim in doctoribus eccleſiaſticis, quorum zelus ſcorta quædam eo permouit, vt clam exhibito philtro, vindictam ſumerent ab iis, qui veritatem dicendo, laſciuiam publice deteſtati ſunt. Idem nonnumquam euenire ſolet peregrinantibus.

5. *Cauſſæ.*

1) *Cauſſa materialis* e *num. 4. diff.* abunde cognoſci poteſt.

2) *Cauſſæ formalis* quæ ſimul verum operandi modum ſecundum omnes philtrorum ſpecies manifeſtum redderet, a *priori* ita demonſtrari nondum potuit; quidquid tentauerint philoſophi ac medici, vt verum inde conceptum formare,

mare, nexumque inter cauſſam materialem & notabiles effectus perſpicere licuiſſet. Quæ enim circa philtrorum indolem explicandam paſſim adferunt, plures habent difficultates, quas hoc loco enumerare nihil attinet; a *poſteriori* autem tantum eluceſcit, quod philtra plerumque naturæ maximopere ſint aduerſa, quia tam vehementes ac impetuoſos motus, ſonticasque actionum vitalium & rationalium perturbationes conſequuntur.

3) *Cauſſa efficiens* omnium præternaturalium motuum, qui poſt exhibitum philtrum obſeruantur, eſt ipſum principium agens rationale, quod damnum ex philtri maleficio iam contractum, vel proxime impendens cum ſumma auerſatione perſentiſcit, & omnibus viribus ad læſiones auertendas noxamque expellendam ſe conuertit. Licet autem varia molimina & arma huic hoſti opponat, raro tamen finem adſequitur.

4) *Cauſſæ occaſionales.* De his prolixe agendum non videtur; omnibus vero commendanda eſt medicina illa vniuerſalis, ad *omnia* vtilis, nimirum ευσεβεια, remedium contra quasuis Satanæ eiusque famulitii energeias efficaciſſimum quidem, ſed paucis familiare.

C. Fvlmine tacti.

1. *Definitio.*

Fulmine tacti eſſe poſſunt omnis ætatis ac ſexus homines, quos fulmen vel ſubito occidit, vel ad tempus attonitos & quaſi mortuos efficit.

2. *Differentia.*

1) Medicina non mortuis ſed viuis deſtinata eſt: hinc in Therapia non tam de fulmine occiſis ſolliciti ſumus, quam de iis, quos fulmen ſeu ignis poſt emicans fulgur cum ingenti fragore ſeu tonitru e nubibus erumpens, quocumque modo læſit, in pathologia autem ad ipſos vſque mortuos nos extendimus, quo nexum ætiologicum perſpicere queamus.

2) Ipſas ceterum læſiones, a fulmine metuendas, in tres partiemur claſſes.

1) *prima* comprehendit moleſtias tranſeuntes, quas in quouis alio terrore anxio alias obſeruamus, de quibus *vid. Conſp. Hyg. tab. de animi path.* Vbi nonnumquam & hoc euenit, vt attoniti facti aphonia quoque & ἄνοια aliquamdiu corripiantur, quidque cum ipſis fiat, plane ignorent, ſecundum illud:

Non aliter ſtupui, quam qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

(2) *ſecunda* exhibet vel grauiores vel leuiores in peripheria corporis ambuſtiones, febres, aliaque conſectaria, vt ſunt: auditus grauitas; capitis aut artuum tremor, balbuties, impotentia alterutrum brachium vel pedem pro arbitrio mouendi & adplicandi.

(3) *tertia* inuoluit omnium motuum abolitionem & ſubitam mortem, vel cum manifeſta corporis aduſtione aut oſſium confractione, vel ſine iſtiusmodi accidentibus euenientem.

3) *Ratione reſtitutionis*, alii ex fulmine, non lethaliter læſi, intra paucos dies iterum ſanari poſſunt; alii diuturnam ſatis operam flagitant. Et hi

(1) vel in integrum reſtituuntur ſine reliquiis, languorem aut alia incommoda inuoluentibus.

(2) vel valetudinarii manent, per dies vitæ durioris fortunæ memoriam retinentes.

3. *Signa.*

Signa adeo euidentia ſunt, vt illis fuſe recenſendis ſuperſedere omnino poſſimus: ſpecialem vero eorumdem enumerationem qui deſiderat, *Conſp. med.* adeat.

4. *Subiecta.*

Subiecta ſtrictim in definitione indicata generatim ſufficere poſſent: hic tamen ſubiungimus, illos qui oborta tempeſtate in montibus aut campis verſantur, periculo mortis magis eſſe expoſitos, quam alii, qui intra parietes ædificiorum latitant. Abſolute autem tutus a fulmine nemo dici poteſt, vtut in locis ſubterraneis reconditus eſſet profundius.

5. *Cauſſæ.*

5. *Cauſſæ.*

1) *Cauſſa materialis proxima* eſt ipſe ignis atmoſphæricus poſt accenſionem particularum ſulphureo-nitroſo-aquoſo-elaſticarum e nubibus prorumpens & obuia quæque, liberum tranſitum impedientia, vario modo lædens.

2) *Cauſſa formalis* eſt

(1) aëris, ſubiectum a fulmine læſum, ambientis, nimia per ignem vehementiſſimum rarefactio, & quaſi plenaria ſubtractio. Vnde

(2) immediate aër inſpirandus & veſiculas pneumonicas replens deficit; pulmones vero æque ac veſiculæ collabuntur, thoracis pondus ſubſidet, & ab aëre externo, quia pulmo ob deficientem aërem internum minus expanſus eſt, vehementius comprimitur, tonus huius viſceris læditur; vnde humores irrumpentes illud ſubito replent, & circulus ſanguinis maximopere alteratur ac ſufflaminatur. Hinc porro ſubitæ ſtaſes & violentæ ſanguinis extrauaſationes contingunt, & plures ex fulmine ſuffocati, vt apoplectici, intereunt. His omnibus accedit actiua tracheæ coarctatio, qua aëris portio, in pulmone reſtans, & numquam perfecte exſpirari ſolita, retinetur, & vitæ iam periclitanti magis officit, vti paulo infra dicetur *de ſubmerſis*.

3) Iſta autem laryngis occluſio nititur auerſione, quam natura, ceu *cauſſa* motuum *efficiens*, teſtatur, dum vaporem ſulphureum & grauem odorem, quem ignis fulminaris affatim ſpirat, percipit, & vna cum aëre ad pulmones admittere abhorret; vti experimur, dum ſulphur aliquod accendimus. Præterea læſionem, a fulmine factam, quantum per ſummam conſternationem licet, motibus therapeuticis diſcutientibus & conſolidantibus reſtaurare intendit.

4) *Cauſſæ occaſionales* nullæ ſpeciatim determinari poſſunt; Vbicumque enim fueris, omnipotentis manus fulmine te perdere poterit. Interim altiora loca præ humilibus huic periculo expoſita obſeruantur.

D. Aqva svbmersi.

1. *Definitio.*

Aqua ſubmerſi ſunt homines, in vndis partim valde alterati, & in ſummum vitæ diſcrimen adducti, partim vere ſuffocati.

2. *Differentia.*

Cum non omnes, qui aqua ſubmerſi ſunt, in illa moriantur, grauiores autem motuum vitalium turbationes ſubeant; ſponte eluceſcit, Medicinam therapeuticam de his, non vero de mortuis eſſe ſollicitam. Pathologia autem de vtriſque ſolet disquirere.

3. *Signa.*

In enarrandis ſignis prolixos eſſe non decet, quia longe ſunt euidentiſſima. Cuiuis enim intuenti faciei pallor, corporis rigor & immobilitas, thorax elatus, ſcrobiculus ferme diſparens & abdomen prætumidum, facile ſe offerunt.

4. *Subiecta.*

De his non habemus, quod dicamus; quia quilibet homo, data occaſione, periculum ſuffocationis ſub vndis, incurrere poteſt.

5. *Cauſſæ.*

1) *ſecundum tritam* & omnibus vmquam probatam ſententiam, habetur *cauſſa formalis*, aquæ per tracheam in pulmones, & per œſophagum in ventriculum ſiue attractio, ſiue illapſus, & conſequens inde ſuffocatio.

2) *ſecundum recentiores* autem epiglottidis adductio & arctior laryngis occluſio, cuius effectus immediatus ſuffocatio eſt. Argumenta, quæ recentiores ad deſerendam vulgarem ſententiam adduxerunt, ſunt

(1) *Obſeruationes* & ſectiones cadauerum, aqua ſubmerſorum. Ita v. g.

a) *Paul. Zacchias* ſubmerſos interire adfirmat, non ob aquæ ingeſtæ copiam, ſed ob cohibitam reſpirationem. *Vid. Quæſt. med. leg. lib. V. tit. II. quæſt. XI. f. 435.*

b) *Pla-*

b) *Platerus* in *quæſt. patholog. n. 55.* diſerte docet, ſubmerſos non mori, quod aquam affatim & nimium bibant, ſed quod ſuffocentur. Conf. *Boneti ſepulchret. lib. II. obſ. 44. f. m. 589.*

c) *Waldſchmidius in Eph. Nat. Cur. Dec. II. an. VI. obſ. 153. p. 316.* teſtatur, ſe ne guttulam quidem aquæ in ventriculo aut thorace ſubmerſorum inuenire potuiſſe, adeoque certum eſſe, eos non ex repletione pulmonum aquis immori, ſed ob ſuffocationem.

d) *Dethardingus in diſſ. epiſt. ad Schroeckium A. 1714. de methodo ſubueniendi ſubmerſis per laryngotomiam:* caſum tunc recentem proponit militis transfugæ & aqua merſi, cuius cadauer abdomen tumidum valde & thoracem elatum exhibuerit; facta autem ſectione vtriusque cauitatis, nil aquæ in ventriculo & pulmone adparuerit.

e) *Wedelius ſenior in epiſt. ad Io. Conr. Bekerum A. 1718.* de piſcatore eiusque filio in flumine Sala ſubmerſis, idem teſtatur.

f) *Goblius in Act. med. Ber. dec. I. vol. III. p. 38.* refert: ſe A. 1722. menſe Ian. ſectioni ſubmerſæ interfuiſſe, ſed nihil aquæ neque in pulmone neque in ventriculo deprehendiſſe.

g) *Io. Conr. Beckerus in tract. de ſubmerſorum morte ſine pota aqua Ienæ 1729.* recuſo, ceu teſtis αὐτόπτης hiſtoriam refert ſectionis, in ruſtico aqua merſo adminiſtratæ, in cuius ventriculo parum liquoris, zythi odorem referentis, inuentum ſit. In thorace autem, vehementer inflato, obſeruauit, reſecto gutture, flatum ſonorum exeuntem, ac inde ſubitam thoracis & pulmonum ſubſidentiam §. XXI. Similem caſum ex propria praxi communicat. Conf. *Alberti ſyſt. iurisprud. med. cap. XI.*

(2) *Rationes*, cur aqua per tracheam in pulmones illabi non poſſit, ſunt ſequentes:

a) Homo præſentiſſimæ mortis metu ſumme perculſus,

 ſolito

ſolito profundius inſpirat, quod omnibus notiſſimum eſt. Hoc facto epiglottis celeriter a fibris muſcularibus adducitur, & rimæ firmiter adplicatur; cui accedit, quod ab ipſa aqua adlabente fortius deprimatur, vt epiglottis attolli prorſus nequeat.

b) Diaphragma in fornicem non redit, nec coſtæ reſiliunt.

c) Aër autem vltima inſpiratione largiter hauſtus, intraque pulmonem hoc modo concluſus & calefactus, amplius ſpatium poſtulat. Hinc

α) multum expanſus ipſas quoque veſiculas pneumonicas expandit.

β) pulmonis viſcus ſecundum omnes dimenſiones dilatat, ipſumque thoracem diſtendit.

γ) bronchia ſimul elongat.

δ) vaſa ſanguifera coarctat & comprimit.

ε) circulo ſanguinis remoram iniicit, dum ſanguinem e dextro ventriculo expellendum arcet, illapſum vero partim exprimit, partim retinet, & in grumos cogit; veluti autopſia docuit, quod ſcilicet in ſubmerſis dexter cordis ventriculus nimium ſuffarctus, ſiniſter contra ſanguine vacuus fuerit. Hinc

ζ) ſtagnationes, ſtaſes & repentinæ vaſorum in cerebro rupturæ, vt vero ſit ſimillimum, ſubmerſos eodem modo exſtingui ac apoplecticos. Cum in vtrisque ſanguis per nares & aures defluere poſt mortem ſæpius obſeruetur.

d) Tandem id ipſum quadantenus illuſtrare poſſunt caſus illorum, qui ſola malitioſa ſpiritus cohibitione proæretice ſe vita priuarunt. Qualem caſum *Galenus* refert de ſeruo *lib. II. de motu muſc. cap. VI. f. m. 121.* Plura exempla collegit allegatus *Bekerus* §. *LIX.*

e) Patet ergo abunde, in aquis idem contingere, quod in aliis occaſionibus, ſuffocationem minitantibus, fieri ſolet; vbi nuſquam materia aliqua, in pulmones ſe inſinuans, hunc effectum producit.

3) Ita-

3) Itaque natura, quæ noxia quæuis, ſiue aquoſa illa fuerint, ſiue fumoſa, vaporoſa, ſtupefactiua, aut acida, cum aëre inſpirando permixta, auerſatur, introitum per laryngem in tracheam occludit. Licet autem principium vitale per talem conſtrictionem optima intentione aquas ab irruptione arcere laboret, in tanta tamen calamitate, vbi aliorum auxilium deeſt, ipſum remedium, quod opponit periculo, vitæ finem promtius accelerat.

E. Strangvlati.

1. *Definitio.*

Strangulati ſunt ii, quibus laqueo aut alio quocumque ligamento collum arctius conſtrictum & reſpirandi libertas intercepta eſt.

2. *Differentia.*

Qui vere iam mortui, aut vita indigni ad malam crucem ſublati ſunt, eos non amplius curat artifex. Ergo de iis potiſſimum hic agimus, qui ſine vitæ iactura ſtrangulati ſunt.

3. *Signa.*

Signa oppido manifeſta, & nihil ambigui exhibentia, recitare non expedit.

4. *Subiecta.*

1) Huc in primis pertinent melancholici & maniaci
2) Vehementer conſternati aliique deſperabundi.
3) Homines malefici, qui præ metu grauioris ſupplicii laqueum potius experiri, quam iudicis animaduerſionem exſpectare volunt.
4) Alii quique, quibus latrones aut alii hoſtes gulam frangere intendunt.

3. *Cauſſæ.*

Cauſſarum expoſitione eo rectius ſuperſedere poſſumus, quo diſtinctius de ſuffocationis negotio in præcedentibus iam actum eſt. Quod enim in aliis caſibus natura conſilio facit, dum tracheam arcte claudit, hoc in ſtrangulatis violenta manus, extrinſecus adplicata, perpetrat, & eumdem præfocationis euentum producit.

F. Ebrietas.

1. *Definitio.*

Ebrietas eſt delirium tranſiens, per potus ſpirituoſos excitatum; quod actus vitales nimium alterat, & ſenſuum tam internorum quam externorum actiuitatem ita intercipit, vt ebrii, quid actum ab ipſis ſit, vel adhuc agendum, omnino ignorent.

2. *Differentia.*

1) Exſecrandum hoc vitium, extrema cum auerſatione fugiendum, vltimum merito locum occupat; non quod leuiſſimum ſit, ſed quod aliis præponi ob deteſtandam turpitudinem non mereatur: quidquid egerint, quos ebrietati panegyrin recitare non puduit.

2) Vti præterea tam cœtui chriſtiano, quam ipſi ſalutari arti dedecori cedit, ſi de lue ſcortatorum, ex remotiſſimis orbis terrarum partibus arceſſita, tractare coguntur Medici: ita ebrietatis theoria & therapia non minorem illi inurit ethnicæ ſpurcitiei maculam. Quia vero eo iam deuentum eſt, vt chriſtianum nomen profitentes in eodem aſotiæ cœno ſe volutent, perinde ac ethnici *ἄθεοι Epheſ. II, 12.* ideo nec Medicis ſuo officio deeſſe licebit.

3) Dantur ceterum

(1) ſtrenui bacchi cultores & heluones exercitati, qui poſt prodigam potuum inebriantium ingurgitationem vix pro ebriis habendi ſunt.

(2) occurrunt porro alii, qui crapulas quotidie tolerant, & nullo modo valetudinem lædere aliquamdiu videntur: vtrique Medici operam implorare non ſolent. Sed offerunt ſe

(3) inſuper alii, quos temulentia grauius lædit, ita vt vel morbus ſæpe ſuccedat, vel morbida adflictio delicti recens patrati comes ſit. Et hi ſunt, qui Medici miniſterio & artis adminiculo peccati pœnam eludere ſatagunt.

3. *Signa.*

Signa omnino plurima ſunt, quibus ebrietas craſſo modo ſe prodit. Sed vti infimæ plebi per experientiam notiſſima ſunt, ſic operæ vlteriori hic merito parcimus.

4. *Sub-*

4. *Subiecta.*

Subiectis temulentiæ adnumerantur illi, qui potu generoſiori, ad roborandum a Creatore conceſſo, turpiter abuti non verentur; ſub quocumque etiam prætextu delictum emollire ſtudeant.

5. *Cauſſæ.*

1) Quando largior potus ſpirituoſi ingurgitatio contigit, tum motus orgaſtici per ſpirituoſa excitantur, qui functiones vitales, naturales & animales valde turbant & hominem ad quæuis ineptum reddunt.

2) Huic malo, a particulis ſulphureo-orgaſticis exſpectando, natura ſe opponit per auctiores motus excretorios, & materias peccantes per vomitum, aluum, diureſin & diaphoreſin excernere intendit.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Antiquitas, præter *cicutæ* ſuccum, recens expreſſum & inſpiſſatum, pauca nouit venena. *Arſenicum* autem veterum nihil commune habuit cum noſtro hodie elaborari ſolito, quia *Celſus lib. V. cap. V.* aperte *auripigmentum* ſynonymice ἀῤῥενικον vocat, & medicamentis purgantibus adnumerat.

2. Sed vltimis ruituri mundi ſæculis, quibus omnes artes ad ſummum perductæ videntur faſtigium, malefica quoque ars, venena præparandi, miſcendi, clanculum propinandi & adplicandi per nefandam flagitioſorum induſtriam tanta ſumſit incrementa, vt cum alia arte, νομικως occidendi, de palma certare poſſit.

3. Non quidem immorabimur in venenis inquirendis & explicandis, ſcire tamen conuenit, quod penetrantisſima & reliqua ſubtilitate ſuperantia ſint illa, quæ ex animali regno proueniunt.

4. Vbi notandum, quod ſubiecta ſiue humano, ſiue brutino veneno infecta ſint, iterum alia inficere facile ſoleant; quem effectum in aliud corpus transferentem venena mineralia aut vegetabilia non edunt.

5. *Arſenicum* noſtrum vti interne celeriter noxiam vim corrodentem exſerit; ita etiam externe, e. g. vlceribus, parcius licet adplicatum, febres, deliria & conuulſiones excitat.

6. *Adamas* ab Arabibus primum venenorum familiæ adnumeratus; per alios contra ab hac infamia liberatus eſt. Rumor autem nouus percrebuit orbem medicum de eius lethifera qualitate, poſtquam *Paracelſus*, qui ſe futurum *macrobium* dictitabat, præmatura morte occubuiſſet. Nam ſectatores eius, vt honori & famæ magiſtri etiam poſt fata conſulerent, prætexere non ſunt veriti, eum doloſe circumuentum & per *adamantis* puluerem, tamquam inuictum venenum, occiſum eſſe. *Conf. Frid. Hoffmanni diſſ. de cauta & circumſpecta veneni dati adcuſatione Halæ 1734.*

7. Præterea mirum eſt, quod aliqui venenorum eſui ita adſueſcere poſſint, vt ne quidem alterentur. Sic ex relatione Medici, fide digni, notus eſt militum quidam tribunus, qui mercurio ſublimato, tamquam confortatiuo archei, quotidie veſci ſolebat cum euphoria, quam etiam per deſperatum hoc remedium intenderat. *Veſci* illo ſolebat, non *deguſtare*; ſiquidem tres vno die drachmas deglutire poterat. Quod omnem propemodum fidem ſuperare videtur. Et is caſus illuſtrat quodam modo illam non nullorum hypotheſin: quod nimirum non dentur venena *abſoluta*, ſed *reſpectiua*.

8. Ad venena ſupra retulimus medicamenta draſticotera, quibus porro ſubiungimus *adſtringentia* & hæmorrhagiarum ſucceſſum cohibentia, de quibus obſeruatu dignum exemplum adfert *Salmuth Cent. III.* quod hæmorrhoides periodicas per vetulæ infauſtum artificium, potionem ſcilicet adſtringentem, repente ſuppreſſas teſtatur, cum inſequente pectoris anguſtante compreſſione, dyſpnoea & inopinata morte, non aliter ac ſi venenum ſumſiſſet.

9. Summum tandem venenum, quod reliqua ſynergeticωs acuit, &, vt ſumme noxia euadant, exaltat, eſt antiquum illud venenum ſeu labes connata, quæ maximas turbas, non ſolum in mente ſed etiam in corpore, inſtar fortisſimi veneni, excitat.

10. De *philtris* data opera nec fuſius, nec explicatius tractare convenit. Diſerte enim pronunciauit *Galenus*, eos non minus, qui de philtris ſcribant, quam qui eadem parent, eſſe odio dignos. Vnde etiam de medicamentis lethalibus & philtris tacendum eſſe cenſuit. *Si enim*, inquit, *etiam abunde expertus eſſem:*

eſſem: tamen mentionem eorum facere in animum non inducerem. Præterea monet, non decere probum Medicum ea conſcribere, quæ non expertus ſit, ſi vero propriam experientiam talium maleficiorum haberet, impiiſſimus eſſet. *Vid. eius lib. X. de ſimplic. med. facult. f. m. 71.*

11. Itaque farraginem hiſtoriarum de philtris exhibitis eorumque peſſimis effectibus ex *Suetonio* & *Plutarcho* adferre; aut de materia philtrorum & præparandi modo, ex *Ouidio, Virgilio, Propertio* & *Iuuenali* exponere, laborem iudicamus nefandum & pernicioſum.

12. Qui ceterum philoſophi aliis acutiores videri volunt, id hodie agunt, vt philtrorum exſiſtentiam prorſus negent; ſed optandum eſſet, vt eorum negatio fundamentum haberet. Quia vero experientia multos per philtra perditos comprobat, ſublimem hanc ſapientiam ſuis relinquimus auctoribus, & magis ſobrie in hoc negotio philoſophantem *Rod. a Caſtro in Medico politico lib. IV. cap. II.* illis præferimus.

13. Interim audax nimis conatus eſt, ſi illud impugnare velis, quod ipſe non expertus es. Qui vero id facere non dubitant, cenſuram prudentiorum haud effugient, neque a ſuſpicione liberari poſſunt, quod hoc tantum negent ex vano inclareſcendi pruritu.

14. Placet vero *Helmontii* hac in re iudicium, quod in *tr. de mag. vuln. curatione* tulit: nimirum a ſuperbiæ peccato explicari illum non poſſe, qui, quod non percipiat rationem naturalem, idcirco audacter neget, Deum eiusmodi rebus virtutem dediſſe, quaſi homo vermis, Dei & conſilii eius compos eſſet. Omnium animos ex ſuo æſtimat, qui putat fieri non poſſe, quod ipſe capere non valeat.

15. De *fulmine* eiusque differentiis Pathologia non diſſerit. Manet ergo phyſicis demandatum munus, in hanc rem inquirendi, quænam fulmina

1) *ratione figuræ* ſint triſulca, quadriſulca, globoſa, lapide fulminari, vt vulgus putat, imprægnata, & quæ ſunt alia.

2) *ratione effectus*, quando cadat fulmen diſſipans ſeu *diſcutiens* a *Plinio ſicccum* adpellatum, quando *obfuſcans* ſeu humidum; quando *terebans*; quando *vrens*.

16. Ne-

16. Neque noſtrum eſt, in illud phænomenon inquirere, cur fulminis tactui feles & canes tam obnoxii habeantur; & vtrum exorta tempeſtate peregrinantes, quibus canis eſt pediſſequus, habeant, quod tantopere metuant, ne ſcilicet fulmen, per canis præſentiam inuitatum, ipſosmet diſperdat.

17. Ceterum non plane prætermittendum cenſemus, quod alii quidem fulgura, tonitrua comites non habentia, minus metuant, alii autem & fulgura & tonitrua adeo exhorreſcant, vt ſub virium repentina proſtratione quaſi exanimentur, quemad modum in febres incidere ſolent nonnulli. De hiſce tamen phænomenis in corpore viuo ita ſe manifeſtantibus tenendum: quod ſingula non ab iſtiusmodi meteoris, ſed ab adfectuum vehementia & peculiari indiuiduorum ſenſibilitate dependeant.

18. De *ſubmerſis* addimus, quod plures ex vndis, ſub quibus non adeo diu latuerunt, extracti & pro mortuis habiti, ſeruari poſſent, ſi auxilio, promte & dextre adplicato, illis ſuccurreretur. Ita ſubmerſum nobilem pro mortuo habitum, ſed per euporiſton in vitam reuocatum refert *Pet. Borellus Cent. II. obſ. II.* Quia vero in eiusmodi caſibus terror & conſternatio adſtantium animos valde percellit, vt neſciant, quid decernendum ſit, infelices ſubmerſi, licet animam nondum efflauerint, ſuccumbere coguntur.

19. De ſordido *ebrietatis* vitio non prætermittenda ſunt, quæ ethnicorum moratiores ſenſerunt. Nimirum exemplis demonſtrant, ebrietatem a diis iratis pœnæ grauioris loco immiſſam fuiſſe numinis contemtoribus, vbi ad *Cyanippi Syracuſani* fata prouocant, qui ebrius factus, filiæ ſuæ vim intulerit, ideoque Apollinis iuſſu immolatus fuerit. Illud autem, quod *gentiles* ceu pœnam deteſtati ſunt, *Chriſtiani* non ſolum pro re licita ſed etiam ſalutari habent, dum menſtrua hilaritatis pocula, ex ore quorundum Medicorum, ad excitandos ſpiritus laudant.

20. *Plutarchus* longe æquius pronunciat, ebrietatem verecundo cuique & modeſto viro vitandam eſſe. Inſaniæ quidem cedit duratione: illam autem ſuperat eo, quod vltro adſciſcatur. Ceterum vti elogium de poculorum menſtruorum ſalubritate eſt falſiſſimum: ſic contra *Paulinum* de potatoribus, a regno Dei excludendis, eſt veriſſimum.

F I N I S.

CONSPECTVS
SEMEIOLOGIÆ.

TABVLA I.

DE

SEMEIOLOGIA GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Semeiologia eſt pathologiæ pars altera, quæ de morborum & eorum ſymptomatum ſignis, tam *diagnoſticis*, quam *prognoſticis* exponit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quamuis in ſignificatu latiore *Semeiologia* doctrinam denotet, in qua non tantum ſigna morborum, ſed etiam ſanitatis traduntur: conſulto tamen de ſtatu ſolum, qui præter naturam eſt, hic agemus.

2. Atque hoc inſtitutum nemo facile incongruum iudicabit, perpendendo, quod alii auctores, quos inter C. I. *Langius* eſt, iam pridem monuerint, Medico clinico commercium non eſſe cum ſanis, ſed ægris. *Phyſiologus* autem iure de illo ſtatu ſollicitus eſt, qui ex actionibus omnium partium, debite conformatarum & illæſarum, reſultare ſolet, & per ſua ſigna *ſanus* eſſe declaratur.

3. Interim non reprehendendi ſunt illi, qui in *Semeiologia* vtriusque ſtatus ſigna coniungunt, quia oppoſitorum clarior eſſe ſolet dignotio. Cur vero nos priore via hic incedamus, ob Phyſiologiam, & ſpeciatim *Hygieinen*, iam ante a nobis editam, factum eſt.

4. Ipſa quidem doctrina, quam in præſenti explicamus, a multis etiam vocatur *Semeiotica:* ſed obſeruauit iam *Iac. Pancr. Bruno in dog. med. general. Part. III. cap. I.* id fieri minus

congrue, cum Semeiotica potius denotet rem ipſam, quæ ſignificat aut ſignificatur, non vero diſciplinam, quæ de ſignis tractat.

5. *Semeiologia* alia *generalis*, alia *ſpecialis* eſt. Vti vero illa ſcopo noſtro minus ſatis faceret: ita hanc breuiter adumbrabimus.

6. Eſt vero *ſignum* nota manifeſtior, quæ in ægri corpore aut animo alterius, rei, antea minus cognitæ præſentiam, vel aduentum nobis indicat.

7. Hæc ſigna ſemeiologica ſunt duplicia, nempe *diagnoſtica* & *prognoſtica*.

1) *Diagnoſtica generalia* ſeu *indicatiua* ſunt, quæ morbi præſentis *cauſſam*, *ſymptomata* & *locum adfectum* manifeſtant, eumdemque ab aliis diſtinguunt. Et iſta ſunt

(1) *coniecturalia* dicta, ſeu *communia* & *adſidentia*, quorum

a) alia *vni ſoli* morbo, ſed *non ſemper* competunt, vt: ſcybalorum per œſophagum reiectio, in nullo alio morbo obſeruatur, niſi in *iliaca paſſione*; ideo tamen non ſemper eo vſque inualeſcit, vt graue hoc ſymptoma eius comes ſit.

b) alia *ſemper* quidem in certo morbo obſeruantur, ſed in aliis non minus occurrunt, v. c. flatulentia ſemper euenit hypochondriacis, ſed non ſolum hi, verum etiam alii ab hoc malo vexantur.

c) alia nec *ſemper*, nec *ſoli* cuidam morbo eueniunt. Ita deliria in acutis quidem familiaria ſunt, ſed in multis ſubiectis tam placidus eorum decurſus eſt, vt mens numquam turbetur. Præter ea delirant etiam hypochondriaci ſine febre; nonnumquam vero etiam *tertiana* aut *quartana* laborantes.

(2) *Demonſtratiua*, *propria* ſeu *pathognomonica* ſtricte dicta, quæ certis morbis conueniunt, eorum eſſentiam declarant, cum illis incipiunt, augentur & iterum deſinunt. Vocantur demonſtratiua, non quod ſemper exquiſite demonſtrent, quibus ex cauſſis morbus obortus

ortus ſit, ſed quis aut qualis in præſenti adfligat. Hæc vero ſunt vel

a) *inſeparabilia*, quæ vni ſoli morbo ſemper accidunt; v. g. dolor lateris punctorius, non vltra mammillam inferius ſe extendens, ſignum eſt pleuritidis veræ, proprium ac inſeparabile; vel

b) *ſeparabilia* ſeu propria *late* dicta. v. g. orthopnœa aſthmati quidem propria eſt; ſed in malo mitioris gradus, poſſunt etiam ſub alio ſitu corporis, aſthmatici reſpirare.

(3) *Anamneſtica*, vulgo *rememoratiua*, quæ præterita nobis ſuggerunt. Hæc quidam a diagnoſticis ſeparant, ſed eam ipſam ob cauſſam aliorum incurrunt animaduerſionem, qui præteritorum memoriam ideo neceſſariam iudicant, vt ſtatus præſentis adcuratiorem notitiam comparare, immo euentus futuri præſagia interdum colligere poſſimus.

(4) *Præſentia*, quæ morbi nunc adfligentis eiusque continentis cauſſæ & ſymptomatum conditionem manifeſtant. Iſta vero notitiam ſuppeditant

a) *præſentium* præter naturam phænomenωn.

b) *præteritorum* v. c. cicatrix in præſenti obſeruata, aliquando vlcus, aut aliam continui læſionem adfuiſſe arguit.

c) *futurorum*, vt: facies hippocratica, aut inſolita alacritas in febribus malignis; mens ſana & per repentinam mutationem recte ſibi conſtans poſt vehementiora deliria; ſomnus placidus in morbi acuti incremento &c.

2) *Prognoſtica* ſunt illa ſigna, quæ futurorum notitiam adferunt, ex quibus in omni morbo certum propemodum formari poteſt præſagium de euentu, qui

(1) vel *repentinus* eſt vel *lentus*,

(2) Vterque autem vel *ſalutaris* vel *funeſtus*.

8. *Pathognomonica* ſigna alias etiam diuidi ſolent in

1) *Eſſentialia,* quæ morbi ſpeciem & naturam certo denunciant, nec quid aliud exprimunt, quam *demonſtratiuæ,* de quibus *no. 7.*

2) *Accidentalia, ſynedreuonta, conſidentia,* quæ de morbi eſſentia non ſunt, ideoque etiam abeſſe poſſunt, & ſæpe abſunt. V. g. fiſſura linguæ in acutis, dolor lateris, ad hypochondria & clauiculam vſque ſe extendens, in pleuritide vera.

3) *Epiphænomena, poſt adparentia, ſuperuenientia,* quæ ſub morbi decurſu paſſim ſuperueniunt, vt maior inquietudo, leue delirium, mictio purulenta, leipothymiæ. Horum *tres* conſtituuntur claſſes, quarum

(1) *prima* continet ſigna vel *coctionis,* vel *cruditatis.*
(2) *altera* ſuppeditat *criſes* ſeu ſigna decretoria.
(3) *tertia* modum euentus vel boni, vel mali docet.

9. Ex qua delineatione facile patebit ratio, quid Medicos mouerit, vt *epiphænomena* potius *prognoſticis,* quam *diagnoſticis* adnumerata voluerint, licet in hac re non omnibus eadem mens ſit.

10. Præterea diſplicet quibusdam hæc ſignorum in *ſynedreuonta* & *epiphænomena* diſtinctio: Dicunt enim & *ſynedreuonta* eſſe *epiphænomena,* ſeu poſt adparentia; quod certo quidem reſpectu verum eſt, ſed propterea diſtinctio nec vana, nec inutilis, quia omnino notabili ſatis modo ſe ab inuicem diſtinguunt. Nam

1) *pathognomonica* eſſentialia morbi eſſentiam, vt ſupra dictum, atque ſpeciem determinant.

2) *ſynedrouonta* ad pernoſcendas differentias & alia morbo adnexa conferunt.

3) *epiphænomena* vero alias mutationes monſtrant, vt adeo præcipua horum ſignorum differentia non tam a tempore, in quo emergunt, ſed ab ipſis rebus, quas manifeſtant, deſumenda ſit.

11. *Alzaharauii* methodum amplexi, ſigna diuidunt in

1) ſigna

1) ſigna *incolumitatis*
2) *infirmitatis*
3) *conditionis mediæ*. Cuiusuis harum ſigna ſpecialia deſumuntur
(1) a *materia* ſeu quatuor elementis, calido nimirum, ſicco, frigido & humido, quæ temperamentum hominis efficiunt.
(2) ab *accidentibus*, quorum quædam
a) ex tactu
b) ex functionum naturalium
c) ex actionum animalium vigore manifeſta fiunt.
4) Idem auctor porro conſtituit ſigna
(1) *recordatiua* ſeu αναμνηστικα
(2) *demonſtratiua* ſeu pathognomonica
(3) *præſignificatiua* ſeu prognoſtica,
a) vel *extra corpus* in colore, calore, cutis duritie vel mollitie.
b) vel *intra corpus* in excretionibus læſis. Et hunc ordinem retinuerunt *Auicenna, Auerroes* aliique ex *latinis* arabizantibus.

12. Differunt inſuper medicorum ſententiæ ratione certitudinis *Semeiologiæ*. Nam
1) quidam, quos inter non quidem primus, ſed anteſignani loco habendus eſt, *Paul. Ammannus*, contendunt, nihil plane fidi inde deſumi poſſe, & ipſe *Ammannus* adſeuerare non dubitat, quod vti in omni medicina nihil ſit certius, quam incertitudo: ita ſpeciatim de *Semeiologia* probare laborat, eam eſſe incertisſimam, quia morborum cauſſæ & definitiones adhuc valde dubiæ ſunt. Vnde concludit: nihil certi ineſſe poſſe ſignis, cum de ſignato ambigant & allucinentur. *Vid.* eius *parænefis ad diſcentes occupata circa inſtitutionum medicarum emendationem. Lipſiæ 1677.*
2) Alii contra ex hac doctrina totius artis medicæ certitudinem probare, ſaltem corroborare nituntur. Tantam enim

enim eius ad recte faciendam medicinam vim eſſe pronunciant, vt hac ſublata totius artis fundamenta euerſam iri credant, cum infallibilibus argumentis ad morbi cognitionem nos manu ducat, ac futurorum notitiam ſuppeditet. Vera hæc ſunt, ſi diſcrete explicantur & adplicantur. *Conf. Bernh. Rottendorffii epiſt. ad Guil. Schefferum obſeruationibus Lommianis præfixa. Wedelii exercitat. Semiotico-pathologicæ in præfat. Sennertus de chymicor. diſſenſu cap. XVII. p. 530.*

III. *FONTES SIGNORVM.*

1. Hi fontes ab aliis *cauſſæ* ſignorum vocantur, ac tum quidem diſtinguunt inter ſigna
   1) quæ *ſignificant*
   2) quæ *ſignificantur*
   3) quæ *vtrumque præſtant.*
2. Cum vero ſigna, quæ ſignificantur, ſeu *cauſſæ*, non ſint obiectum *Semeiologiæ*, ſed Pathologiæ, quæ in euoluendis ætiologiis vnice occupata eſt: tum cum ſignis non ſunt confundendæ;
   1) nam morbos ex effectibus dignoſcere & inde futura prænunciare ſolemus.
   2) incongruum eſt, manifeſta per magis obſcura demonſtrare.
3. Fontes ſignorum tam diagnoſticorum, quam prognoſticorum petuntur
   1) *Generatim*
      (1) Ex *cognitione virium* naturæ humanæ; vbi attendimus, quo gradu & modo illa tam ſecundum, quam præter naturam agere ſoleat? Porro quo vigore in præſenti morbo motus ſuos inſtituat? Naturæ enim ægrotorum medentur morbis, & per ſe ſibi inueniunt motiones, ad obeundas actiones, non ex conſilio alterius; vt recte docuit *Hippocrates lib. VI. epid. ſect. I. ſ. m. 278.* Quam ob rem *Galenus* inculcat, Medicum præſagientem debere eſſe *phyſicum* ſeu naturæ finaliter operantis gnarum, vt perſpicere valeat, naturam prorſus ſufficere,

re, & ſumma quadam prouidentia corpori proſpicere, ordinatisque motibus vti. *lib. III. de dieb. crit. cap. II. f. m. 153.* Et ne quis temere hunc fontem prætereat, iterato vrget, illum, qui *arte dignus euadere* nitatur, noſſe debere, naturam rem eſſe ordinatam, & cum materiam ſuperauerit definitis quibusdam proportionibus, tum demum fieri motiones ordinatis periodis. Si vero materiam non vincat, imo ab eadem prohibeatur, id fieri præter rationem, ſeu naturæ intentionem.

(2) Dignoſcitur autem robur naturæ ex motibus

a) *Vitalibus;* vbi obſeruamus

α) *pulſum* eiusque differentias; num ſcilicet ille ſit vel nimium *auctus*, vel imminutus, vel ad ſenſum abolitus.

β) *reſpirationem*, num velox, anxia, inæqualis, difficilis aut ſuppreſſa ſit?

γ) *tonum*, an ſit

vel *proportionate tenſus* vel *exacerbatus*, vnde paſſim in ægrotis ſpaſmi, ſingultus, palpitationes, rigores & conuulſiones obſeruantur,

vel *inæqualis* aut *deficiens*, qualis manifeſtatur in laſſitudine, tremore, paralytodeis torporibus, aphonia.

b) *Naturalibus* ſuccedentibus vel impeditis.

α) ex *adpetitus conditione*, cum præſente morbido ſtatu magis vel minus conueniente, quo pertinent frequentiores vomitus, ſitis immoderata, bradypepſia.

β) e *ſecretionibus* & *excretionibus*, nempe

Sudoris, cuius obſeruatur

quantitas

qualitas, ratione conſiſtentiæ, coloris & odoris.

locus, num ex vniuerſi corporis peripheria, vel ex vno alteroue membro, latere vel parte erumpat.

tempus, num matutinus, meridianus, veſpertinus, nocturnus ſit.

Vrinæ, in qua notantur

modus excretionis, vtrum promte vel cum dolore ſuccedat.

mingendi frequentia.

conſiſtentia tenuis vel craſſa.

color varius

odor & varia vrinæ admixta.

Sanguinis, vbi attendi ſolent

quantitas

qualitas

tempus }
locus } *excretionis*.
modus }

Sputi ſeu *ſaliuæ*

Deiectionum aluinarum.

Vermium.

c) *Animalibus*

α) e *ſenſuum internorum* conſtantia, perturbatione, exagitatione, obſcuratione, abolitione.

β) e *ſenſuum externorum* læſione.

γ) e *motus voluntarii* variis conſtitutionibus & alterationibus; vbi obſeruantur

manuum geſticulatio

decubitus: *erectus*, *ſupinus* artubus extenſis, *in alrutro latere*.

pandiculatio, *oſcitatio*.

inquieta iectigatio.

alterationes vocis, quæ reſpectu ſoni, debilis, demiſſa, rauca, clangoſa, ſuſpirioſa aut ſolito fortior eſſe ſolet.

d) ex *aliis circumſtantiis*

α) e *doloribus*, in quibus indoles, vehementia, duratio, recurſus varia indicare ſolent.

β) e *re-*

β) e *regionibus* & *partibus adfectis.*

γ) e *faciei adſpectu* cadaueroſo

δ) e *lingua* ſicca, nigra, muco obducta, tremula.

ε) e dentium ſtridore, faucium inflammatione, collo rigido, deglutitione intercepta. *Conf. Hippocrat. Prænot. f. m. 3. ſeq. Lib. I. de morb. epid. Sect. 3.*

e) ex *Hiſtoria morborum:* Hanc enim ſi perſpectam habuerit Medicus, magno inſtructus erit prædicendi adminiculo. Nam

α) ſi *ordinaria* obſeruantur phænomena; adparent illa vel iuſto tempore ſeu debita morbi periodo; vel ſolito maturius aut tardius, a naturali ordine, gradu, menſura, deflectendo.

β) ſi *extraordinaria*, tunc vel naturam turbant, aut opprimunt; vel morbum impeditum reddunt, vt tardiorem nanciſcatur decurſum. Quodcumque vero ex his contigerit, aliquid ad præſagiendum omnino conferet.

f) *Climata* tandem, anni *tempeſtates* quatuor primariæ harumque ſubitæ reſpectu caloris, frigoris, ſiccitatis, humiditatis, ventorum, mutationes & viciſſitudines. Hæc enim ſingula diagnoſin iuuant & prognoſin pariter fulciunt.

2) *Speciatim*, quo pertinent

(1) *Antecedentia.*

a) Vitæ genus

b) Morbi grauiores ſemel aut ſæpius perpeſſi. His adnumerantur vulnera, lapſus, luxationes & chronica mala.

c) Diſpoſitio hæreditaria.

d) Inſignes animi exagitationes per frequentes iras & terrores.

e) Graues diætæ errores.

f) Lucubrationes immoderatæ, itemque magni labores exantlati cum notabili virium iactura

g) Graſſatio epidemica.

(2) *Concomitantia.*

a) Regimen aut nullum, aut negligenter obſeruatum.

b) Status morbi, ſiue ægri ſiue Medici culpa corruptus.

c) Complicatio morbi de nouo ſuperuenientis, qui priorem grauiorem reddit.

d) Pathematum ſubita, durante morbo, exacerbatio.

e) Motuum vitalium inæqualis adminiſtratio, inconſtantia & circa dies criticos ominoſa alteratio.

f) Relationes ægrorum, ſignis plane contrariæ.

g) Alimentorum, cuiuscumque indolis illa fuerint, intempeſtiua adſumtio.

IV. *MEDIA*, per quæ ſigna Medico innoteſcunt, ſunt ipſi ſenſus externi.

1. *Viſus.* Per hunc intra tantillum horæ ſpatium plus obſeruabit Medicus, quam ex repetitis nunciorum relationibus, epiſtolis aut confuſis propinquorum narrationibus. Promte enim ex conſtitutione faciei, oculorum, linguæ & totius corporis habitus; item ex vrinæ, ſputi, aliorumque excrementorum conſiſtentia & colore; ex ægri decubitu, aut quibusuis ſubitaneis alterationibus plura formare poterit præſagia, quæ ad prænunciandam ſalutem, morbi durationem, euentus modum, aut ipſam mortem ſymbolam contribuunt.

2. *Auditus* percipit ægrotorum querelas, deſideria, cauſſarum relationes, & reliquas ſermocinationes; ſiue animi præſentiam, atque ſpem, ſiue deſperationem aut deliria ſpirauerint.

3. *Olfactus* ſudoris, inſenſibilisque tranſpirationis graueolentiam & interdum cadaueroſas exhalationes manifeſtat. Vnde quid mali ſubſit, præſignificare licet.

4. *Guſtus* quidem feriatur, ſed loquelæ organa ad ſciſcitandum & exquirendum ſtatum morbidum neceſſario adplicanda ſunt, vt per auditum iudicio ſubminiſtretur, vnde indicationes ſeu conſiliorum adplicationes deſumi queant. Iubet namque *Hippocrates*, vt Medicus diligenter perquirat,

1) Quæ-

1) Quænam ægrotus patiatur?
2) Qua de cauſſa?
3) Quamdiu?
4) An aluum excernat?
5) Quo victu vtatur?

5. *Tactus*, pulſus inprimis indolem ac multiplices illius differentias, mutationes & ataxias patefacit. Præter ea partium præternaturalem ſitum, earum læuitatem, aſperitatem, ſiccitatem, humiditatem, duritiem, mollitiem, frigiditatem & calorem prodit.

6. Eleganter *Seneca*, aliud quaſi agendo, hæc media *epiſt. XXII.* commendat: *Medicus per epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere non poteſt, quia iſthæc a præſente monſtrari debent. Inſuper vena tangenda eſt; aliquid vultus; aliquid manus mota; aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in vniuerſum ſcribi poteſt; quando vero fieri debeat, aut quem ad modum, ex longinquo nemo ſuadebit; cum rebus ipſis deliberandum.*

V. *VSVS.*

1. De laudibus *Semeiologiæ* prolixius commentari, ſuperuacanea quidem opera videri poſſet; quis enim, præter *Cornel. Agrippam*, *Paul. Ammannum* & pauciores artis obtrectatores, de inſigni illius vſu dubitaſſet?

2. Quia vero non verboſas laudes hic congerere, ſed veriorem huius doctrinæ *vſum* ſuccincte explicare intendimus: tum hic labor tanto magis vtilis erit & diſcentium induſtriam ad ſemeiologiam dignius tractandam excitare valebit.

3. Redundat autem ille vſus iam in ægrotos, iam in artem, iam in Medicum.

1) *In ægrotos*

(1) Ratione *diagnoſeos*. Vbi enim morbi indoles probe cognita eſt, ibi conueniens quoque adhiberi poteſt medela: quod minime fiet, ſi omnia ſint in ambiguo. Ita v. g. dolor in lumbis tendens, premens & profundius ſtringens, multos decipit, vt calculum accuſent. Sed ſi penitius rei circumſtantiæ conſiderentur, motus

potius hæmorrhoidales accuſandi ſunt. Vnde illarum fluxum reſpiciendum, non vero putatitium calculum renalem eiiciendum decernit Medicus. Si vero cæca fide relationem ægrotantis ſequitur artifex: tunc pellentibus lithontripticis, quæ importunas ad renes congeſtiones ciere ſolent, calculum demum producit.

(2) Ratione *prognoſeos*, vt v.g. in morbis, per criſin ad ſubitaneam mutationem properantibus, moneri poſſint, ne per incongruam diætam, præpoſterum regimen, aut furtiuas medicationes, inſtantes criſes ſalutares turbent & peruertant. Hæc autem adhortatio locum non haberet, ſi ex *Semeiologia* de criſibus futuris, aut quæ ex earum turbatione damna exſpectanda ſint, non conſtaret.

2) *In artem.*

(1) Nam in *Pathologia*, & in primis ætiologica eius diſquiſitione, per ſigna diagnoſtica, tamquam per fidum hodegum, manu ducimur ad inueniendas veras cauſſas

a) In intermittentibus *tertianis*, vbi frigus obſeruamus, & faciem pallidam, habitumque corporis conſtrictum videmus, de anguſtia quoque præcordiorum & torminibus conquerentes audimus: ratiocinando ſtatuimus: pallorem & frigus non prouenire ex vero ſanguinis *defectu*, ſed potius ex illius ad interiores partes repreſſione. Et quia ſolidas partes conſtringere, humoresque ad interiora reprimere, actus ſunt non fortuiti, ſed propter certum finem inſtituti: hinc concludimus: quod ſint actus rationales, qui non a materia, ſed a principio rationali dependeant & adminiſtrentur. Porro quod neceſſario ſequi debeat reſpiratio laborioſior, quia humorum ad interiora coaceruatio, vaſa pulmonis turgida reddit, vt viſcus pulmonis ab aëre illabente pro ſolito more ſatis diſtendi nequeat.

b) Ipſa quoque delirantium dicta & geſticulationes ad dete-

detegendas cauſſas ſubinde nos ducunt, nimirum quando locum interne adfectum digitis externe tangunt, & de diabolo ibidem inuoluto, de igne abſcondito, aut ſerpente morſicante multum delirant. Re ipſa interim infarctus viſcerum, ſcirrhos, inflammationes aliasque læſiones hac ratione detegere ſolent.

(2) In *Therapia* ope ſignorum *diagnoſticorum* conuenientiſſimas inuenire licet indicationes. Ita v. c. vbi videmus conuulſionibus obnoxium, alias ſanum, ſed plethoricum, pleno otio fruentem: in illo vulgarem de acrimonia vellicante conceptum facile remouemus, & terribile hoc malum conuulſiuum potius per plethoræ ſubtractionem, quam acrimoniæ correctionem propulſare ſtudemus. Ope autem ſignorum *prognoſticorum*, e. c. ſi in ſcabie retropulſa conuulſiones ſuperueniunt, prædicimus febrim acutam. Quare ab adſtringentibus, antiſpaſticis, opiatis abſtinemus, & ſub placido regimine imminentis febris præſtolamur acceſſum.

3) In *Medicum.*

(1) *Diagnoſis* enim per ſigna inſeparabilia morbum euoluens, præpoſteras & contrarias medicationes prohibet, ne v. g. grauidam, inſtar hydropicæ, hydragogis purgantibus tractemus, multo minus ſubiectum plethoricum ſubinde tuſſitans, omninoſis antiphthiſicis *Poterianis* & *Grammannianis* corrumpamus. Sic *Cratonis* apophthegmati fit ſatis, vt ſcilicet *recta cognitio in curatione ſemper præcedat rectam actionem.*

(2) *Prognoſis* ſæpius valet *Ariadnei* inſtar fili. Nam

a) quæ ſigna morbi *decurſum impeditiorem* præſagiunt: tam Medicum, quam ægrum de conſtantia, de patientia, de circumſpectione admonent; immo Medicus mala præuiſa commodius anteuertere ac infringere poteſt.

b) Si ſigna quædam *mortem* prænuncient: tunc prudenter ſibi cauebit artifex a vanis pollicitationibus, a fruſtraneis pretioſorum adplicationibus, & quæ ſunt huius

huius generis alia. Nam hac ratione famam prudentis, experti & fidelis Medici nomen tuebitur; ſi vero ſecus fecerit, tritum illi ferendum erit ſcomma: *mentiris vt medicus.* Quod licet antiquum non ſit: vulgatum tamen & ſatis odioſum eſt. *Vid. Io. Iac. Baieri adagia med. no. VI. Altorffii 1711.* Cum plurimi iudicent: medicum aut ſtolide ignoraſſe, aut malitioſe fefelliſſe.

c) Quæ vero *euentum bonum* ſpondent, clandeſtini quaſi oraculi vices ſuſtinent, ſuadendo,

α) ne peiora quæque improuide ominemur.

β) ne de varianda methodo aut mutandis formulis cogitemus. Sub qua enim methodo æger tantum profecit, vt ſigna ſalutis aperta iam adſint; ſub eadem porro ad finem vſque optatum decurrere morbus poterit.

(3) Quæ ceterum de commodis, exiſtimatione, & auctoritate, in Medicos redundante, vulgo adferuntur, illa quidem prorſus neganda non ſunt, quia vates videntur illis, qui artis ignari exſiſtunt: Sed talia non ad vſum *Semeiologiæ* pertinent, verum ad eius abuſum. Quemadmodum enim vniuerſa ars medica non ideo caduco hominum generi conceſſa eſt, vt vanæ gloriolæ illecebris inhient Medici, ſed vt quilibet proximo ſuo ſeruiat eo dono, quo a Creatore ornatus eſt: ita etiam *Semeiologia* tota quanta Deo, per hominum reſtauratam ſalutem glorificando, vnice eſſe debet conſecrata.

(4) *Semeiologia* præterea ſingularem vſum Medico præſtat in caſuum transmiſſorum reſolutione, vbi ſola ſigna, per relationem manifeſtata, ſufficere debent ad ſuppeditanda conſilia, cum ſubiectum ægrotans cominus intueri non liceat.

(5) Ad ægri tandem fiduciam erga Medicum conciliandam quam plurimum adfert, ſi hic illi prædixerit tum præterita, tum futura, immo ſi ſuppleat ea, quæ æger enar-

enarrando non tetigit, ſymptomata; tum obſeruante *Hippocrate libr. prænot.* ægrotantes tali artifici eo confidentius ſe dare ſolent.

VI. OBSERVATIONES.

1. De arte & ægrotantibus bene merentur practici, qui *Semeiologiæ* ſtudio nauant operam & ad perpoliendam hanc pathologiæ partem aliquid ſolidi conferunt. Ad eam ſiquidem perſpicuitatem & perfectionem nondum perducta eſt, qua ſatisfacere omnium poſſet deſideriis.

2. Imperfectionis huius cauſſæ præcipuæ ſunt ſequentes.
   1) Res ipſa ardua & difficilis eſt, quæ longam experientiam requirit, qua non ſolum multorum ægrorum tractationem ſuſcipere, ſed etiam fidam, curatam ac perpetuam obſeruatorum adnotationem, comparationem, & quantum conceditur, ætiologiarum explicationem adhibere debemus.
   2) Magnum vero hunc laborem plurimi fugerunt, & non pauci etiam nunc ab eodem abhorrent. Hinc eſt, vt ſyſtema *Semeiologiæ* nondum adeo completum habeamus, licet aliæ medicinæ partes emendatiores iam comparuerint.

3. Interim rei difficultas antiquiſſimorum temporum Medicos a ſignis certatim colligendis & conſignandis non deterruit. Neque ſolus *Hippocrates* is fuit, qui laudabilem huic rei nauauit operam, ſiquidem iisdem temporibus & alii exſtiterunt, qui in idem ſtudium incubuerunt.

4. Fidem huius adſerti nobis facit ipſe Senex *Cous*, quando refert, ſe cum illis, qui exquiſitas narrationes prædicabant, commercium habuiſſe, partim etiam cum ipſorum filiis ac diſcipulis diſſeruiſſe, quorumdam etiam ſcripta nactum fuiſſe. Cum vero nuſquam exactam hanc diſciplinam comperiſſet, tandem ad conſcribendos *prorrheticorum* libros acceſſiſſe. *Vid. Hippocr. lib. II. prædictor. ſ. m. 69.*

5. Quantum autem præſtiterit *Hippocrates* in *Semeiologia*, illud ſigillatim non exponemus, ne encomiaſtis prouinciam no-

bis ſumſiſſe videamur. Quorum intereſt, ipſimet ſemeiotica eius ſcripta euoluant, librum ſcilicet *Prognoſticorum*, de *Humoribus*, de *Iudicationibus*, de *Diebus iudicatoriis*, libros *Prædictorum*, *Coacas prænotiones*, *Aphoriſmos*, de *Morbis vulgaribus*, de *internis adfectionibus*, in quibus facile inuenient, quod omni laude maiorem ſe exhibuerit ſolertiſſimus auctor.

6. Quæ ceterum conſignarunt *Diocles Caryſtius*, poſt *Hippocratem* ætate ac fama ſecundus, *Praxagoras Cous*, *Herophilus Chalcedonius*, qui *Hippocratis Prognoſtica* interpolauerat, itemque *Archigenes*, vſu fortaſſe non caruiſſent; ſed quia ætatem non tulerunt, de iis non laborabimus.

7. Vnus tamen ex antiquis, poſt *Hippocratem*, *Semeiologis* ſupereſt, *Aretæus* nempe *Cappadox*, de quo in *Phyſiol. tab. I.* ſtrictim iam egimus. Hic vero addendum exiſtimamus, quod eius *libri IV. de acutorum & diuturnorum morborum cauſſis & ſignis* etiam recentioribus ſe probauerint. Nam *Conringius in introd. cap. III. p. m. 92.* reliquis huius viri laboribus praeferendos iudicat, quia tantam in iis adhibuerit diligentiam, quantam ex antegreſſis nemo. Et *Io. Conr. Barchuſen*, qui *Aretæum* magni æſtimat, *in hiſt. med. diſſ. XV. p. 234.* accuratiſſima diligentia illius doctrinam ſignorum traditam eſſe ſcribit. Præterea exhibet quædam huc pertinentia *Cælius Aurelianus Afer*, *Methodicus*, *in libris III. de celeribus ſeu acutis paſſionibus*, ſed æque pauca ſunt, ac illa, quorum copiam nobis ſparſim reliquit *Celſus*.

8. *Galenus* tandem e veteribus, ſi non perfectionis laude, operum tamen mole, omnibus reliquis in *Semeiologia* palmam præripuit. Teſtantur id eius libri *de locis adfectis*, quos *Conringius* elegantiſſimum & omnibus commendatiſſimum opus adpellat. Porro libri de *Pulſibus*, de *Pulſuum differentiis*, de *Dignoſcendis pulſibus* & *pulſuum cauſſis*, de *Præſagitione ex pulſibus*, *Compendium XVI. libror. de pulſibus*, *de pulſuum vſu*, de *Criſibus*, de *Diebus decretoriis*, de *Dignotione* ex *inſomniis*, de *Præſagitione* & ampla in libros *Hippocratis* ſemeiologicos *commentaria*. Hinc etiam accurationem in hoc ſtudio longe maiorem ſibi vindicat, quam aliis concedit, vt iudicant,

Stollio

Stoilio in hiſt. med. p. 555. *Papam* ſemeiologicum adfectaſſe videatur. De ſemetipſo enim *lib. III. de locis adfect. cap. III. f. m. 14.* adfirmat, quod ob ſumme accuratam diligentiam, tam in curando, quam præſagiendo, ad ſeram vſque ſenectutem nullam ſubierit calumniam, quam alias celeberrimi quoque Medici ferre deberent.

9. Sed iis temporibus, quibus res Romanorum publica peſſum ire cœpit, irruentibus vndiquaque barbarorum copiis, vniuerſa medicina, vti aliæ artes, neglecta & vere contemta fuit, vt nihil ferme de incrementis *Semeiologiæ* ex ſæculo III. IV. V. VI. VII. VIII. adferri queat.

10. Sæculo interim VI. vnus eminuit *Alexander Trallianus*, qui in opere therapeutico de *dignoſcendis & curandis morbis*, poſt *Galenum*, aliquid præſtitit. Verum poſt hunc virum altum & diuturnum fuit ſilentium.

11. Sæculo IX. floruit *Abubeter Rhazes*, qui ſex libros *Aphoriſmorum* compoſuit, quorum *primus* prognoſtica continet. Sæculo autem X. *Alzabarauius*, Arabs ille, non vno nomimine celebris, in *Theoricæ* ſuæ *tractatu VI.* Semeiologiam, quantum valuit, perficere laborauit, eo ordine, quem ſupra iam indicauimus.

12. Sæculo XI. magnam inter Arabes laudem conſecutus eſt *Auicenna*, qui in *Canticis Partis I. tractatu II.* ducentis & ſeptuaginta tribus theſibus, ſignorum doctrinam breuiter comprehendit; qui labor, ſi ad illa tempora æſtimetur, laude ſua minime defraudandus eſt. Eodem hoc ſæculo conſcripſit *Conſtantinus Africanus ſeptem libros de morborum cognitione & curatione*, in quibus itidem ad *Galeni* & *Arabum* mentem Semeiologiæ lucem adfundere contendit, qui tamen a ſequentium ſæculorum doctoribus facile ſuperari potuit.

13. Sæculo XII. ex *Arabibus* clarus exſtitit *Auerroës*, cuius opus *COLLIGET*, ſeptem libris comprehenſum, eumdem Semeiologiæ ſtudioſum fuiſſe, teſtatur, ſiquidem operis

 liber

liber IV. ſexaginta capitibus tam ſanitatis, quam ægritudinum ſigna exhibet.

14. Sæculo XIII. *Nic. Bertrucius*, Medicus *Bononienſis*, præter alia ſcripta medica, etiam *methodum cognoſcendorum* tam *particularium*, quam *vniuerſalium morborum* conſignauerat, quæ *Moguntiæ 1534.* lucem publicam adſpexit.

15. Sæculo XV. circa finem compoſuit *Alex. Benedictus*, Profeſſor *Patauinus*, libros XXX, *de omnium a vertice ad plantam morborum ſignis, cauſſis, differentiis, iudicationibus & remediis tam ſimplicibus, quam compoſitis*, qui anno demum 1535. *Venetiis* typis exſcripti ſunt.

16. Sæculo autem XVI. inſignis Semeiologorum numerus adcreuit, qui data induſtria hanc medicinæ partem perfectiorem reddere ſtuduerunt. Vti, prætermiſſis illis, qui vel *Hippocratis* vel *Galeni* ſcripta ſemeiotica ediderunt, aut in illa commentati ſunt, quosdam indicabimus, quorum in Semeiologiam non contemnenda exſtiterunt merita. Sunt vero præcipui: *Albanus Torinus*, *Dionyſius Fontanonus*, *Io. Argenterius*, *Baſſianus Landus*, *And. Laurentius*, *Hier. Cardanus*, *Iac. Albertus*, *Pet. Paul. Pereda*, *Io. Iac. Huggelius*, *And. Cæſalpinus*, *Alphonſ. Moreſcottus*, *Andreas Chriſtianus*, *Euſtach. Rudius*, *Celſ. Martinengus*, *Thomas Moufettus*.

17. Sæculo XVII. præcipui habentur: *Geo. Heiniſchius*, *Aemil. Campolongus*, *And. Planerus*, *Io. Wolffius*, *Duncanus Liddelius*, *Lud. Lemoſius Proſp. Alpinus*, *Rob. Fludd*, *Em. Martinez*, *Fabric. Bartoletus*, *Io. Præuotius*, *Phil. Sauona*, *Thom. Fienus*, *Iod. Lommius*, *Caſp. Hoffmannus*, *Io. Ge. Schenck a Graffenberg*.

18. Et iſti fuerunt illarum ætatum clariores. Qui enim de *pulſibus* & *vrinis* ſigillatim expoſuerunt, numeroſiores ſunt, quam vt hic enumerari poſſint. Ex quibus patet, ſi auctorum numerum & ſcriptorum molem conſideremus, Semeiologiam tam incultam aut tantopere neglectam non fuiſſe, veluti vulgo quidem exiſtimatur.

19. Si vero de perfectione ſermo ſit; negari nequit, multos adhuc hiatus deprehendi in illa, ſiue diagnoſtica ſpectemus ſigna

gna, ſiue prognoſtica, & quod præcipuum eſt, *cauſſæ ſignorum* quam veriſſime in deſideratis medicis erunt habendæ. Quis enim ſemeiologorum rationem iniuit: cur pulſus in morbo alio tardior, in alio celerior ſit? cur criſes certis diebus contingant? cur in viſcerum infarctibus, ſcirrhis & vlceribus oculi altius retrocedant? Sufficit enim omnibus τὸ ὅτι.

20. Licet autem in hac tabellari ſignorum adumbratione nonnulla interſperſa ſint, quæ alibi fruſtra quæruntur: nemo tamen opus a nobis exſpectet omnibus numeris abſolutum; ſed ſuccinctam potius manuductionem tironum captui & ſtudiis aptam.

21. De negotio dignoſcendi & præſagiendi generatim notandum:

1) Quod ex ſignis *communibus* diagnoſin petere, aut futura prænunciare non liceat. Ex hiſce enim nihil certi ac fidi colligimus, niſi adiuncta ſimul ſint *propria*, morbi naturam & locum adfectum curatius deſignantia.

2) Quod *propriis* obſeruandis eo diligentius nos tradere debeamus, quo plus Medicorum & ægrotantium intereſt.

3) Quod plura *communia*, ſimul concurrentia, *propriorum* vices interdum explere debeant.

4) Quod practicus, *Hippocratis* aliorumque collectis ſignis fretus, eadem ſimpliciter in omnibus morbis exſpectare, aut ſecundum illa morbos vnice diiudicare non poſſit. Multa enim ex diagnoſticis & prognoſticis vera quidem fuerunt olim, quæ hodie vix adparent, aut etiam fallunt. Differentiæ autem ſeu fallaciæ ratio in climate calido, temperamentis, victus & vitæ genere, quæ omnia a noſtris diuerſa ſunt, omnino erit quærenda.

5) Porro ſollicite obſeruanda & diſtinguenda ſunt ſigna tam diagnoſtica quam prognoſtica, quæ proueniunt

(1) a natura ανομαλως agente, & a viribus amiſſis aut omiſſis.

(2) a morbo ipſo ſeu materia morbifica.

 (3) a ſym-

(3) a ſymptomatibus actiuis aut paſſiuis.

(4) ab errore regiminis, diætæ & clandeſtinis medicationibus. Multum namque iſta omnia in receſſu habent. Ita v.g.

a) Natura errans in viam reduci poteſt, niſi ægri mores eius ſint indolis, vt etiam in ſtatu ſano nullam admittant correctionem.

b) Sic vires *oppreſſæ* facilius reſtaurantur, *ſubtractis* vero aut abolitis medicinam parare, arduum & plerumque fruſtraneum eſt.

c) Si quis contra ſymptomatum actiuorum moleſtias pugnet, certiſſima eſt prognoſis, quod natura turbetur, & ad extrema progrediatur.

d) Regiminis autem, diætæ & furtiuæ medicationis errores non ſemper ita corrigi poſſunt, vt nullum in ſanitatem aut reliquæ ſanationis ſucceſſum redundet detrimentum.

6) Antequam morbus acutus ad ſtatum ſuum peruenerit, certi quid præſagire non valemus. Vnde plures contemtui ſe exponunt, qui tamquam præcoces vates mox poſt inuaſionem, aut primis ſtatim diebus, ſalutem vel mortem certo prænunciant.

22. Præter ea obſeruari meretur, quod Semeiologiæ limites ampliores ſint, quam reliquarum partium medicinæ. Nam vti Phyſiologia de actionibus ſani corporis tractat & Hygieine eiusdem conſeruationem docet: ita Pathologia de actionibus læſis & cauſſis lædentibus diſquirit, quemadmodum Therapia & Chirurgia morbos ſanabiles pro obiecto habent. Verum *Semeiologia* occupatur circa ſigna corporis tam ſani quam ægri, immo ad incurabilia quoque pathemata reſpectu prognoſeos ſeſe extendit.

23. Difficultatibus autem non paucis premitur hæc doctrina, quia ſæpe euentus ingruunt, de quibus ne per coniecturam quidem ſuſpicari licuiſſet, ob cauſſas intimius latentes, & per nulla ſigna patefactas. Veluti accidere ſolet in illis, qui mo-

moriuntur ante, quam ægrotent, aut qui poſt vnum alterumue diem inopinato e vita decedunt. Ita non numquam morbus leuis viſus, lethali euentu obſignatur: & ſi ſectio cadaueris in ſubſidium vocetur; mortis cauſſa a nemine, neque per artis regulas, detegi poteſt. Vnde mirum non eſt, ſi vel exercitatiſſimi fallantur.

24. In acutis non raro peſſima quæque ſigna ſimul occurrunt; æger tamen reſtituitur; contra in aliis placide omnia ſuccedunt, ſigna coctionis adparent, immo & criſes ſequuntur; quarum nihilo minus veſtigia mors legit; non ſine omnium admiratione & conſternatione.

25. Permouit hoc nonnullos practicos, ab omni potius prognoſi abſtinere, quam ſub tam ancipitibus morborum euentibus opprobrio interdum exponi. Verum enim vero, quamquam ſcopus huiuscemodi ſilentii in ſe minus reprehendendus ſit; tamen ægrotantes eorumque propinqui, quorum animus vitæ & præſcientiæ futurorum deſiderio flagrat, tale ſilentium ægerrime perferunt, & ſinceram talium Medicorum intentionem ſiniſtre interpretantur. Quare media via hic incedere, conſultum eſt.

26. Ex his autem generatim patet, multa ſignorum tantummodo eſſe probabilia, & non tam certa, vt fallere nullo modo poſſint; cum interdum vix obſeruabilis circumſtantia mutare queat illa, quæ euentura nobis præfiguramus. Vnde adnotandus erit aphoriſmus *Hippocratis*, in quo prænunciationes in acutis morbis *non in totum certas* eſſe docuit, ſiue ſalutem, ſiue mortem illæ reſpiciant. *Conf. eius Aphoriſ. ſect. II. 19.* Ceterum eiusmodi euentus, ſignis prægreſſis non reſpondentes, *Auerroes* ad medica *miracula*, *Proſp. Alpinus* autem ad *monſtra* retulit.

TAB.

TABVLA II.
DE
PVLSV.

I. DEFINITIO.

Pulſus eſt motus tonicus particularis,cuius ope cor conſtringitur, eoque ipſo ſanguis ex illo exprimitur: per quem actum vitalem arteriarum canales toties paſſiue diſtenduntur, quoties principium vitale ſyſtalticam hanc actionem reiterat.

II. DIFFERENTIA.

1. Antiquorum quidem in colligendis pulſuum differentiis induſtriam non culpamus: nihilo tamen minus eorum in hoc negotio operam nobis exempli loco non ponimus; quia ad ſterilitatem vſque philoſophati ſunt *Herophilus*, *Archigenes*, *Galenus*. Vnde mirum non eſt, ſi ſolius *Galeni* pulſuum differentiæ centenarium numerum longe ſuperent. Num omnes haſce ſpecies ipſe obſeruauerit, an vero iudicantibus aliis,plures ſecure confinxerit: non eſt, vt perſcrutemur. Interim pauciores differentiarum ſpecies ſcopo noſtro ſatisfacere poſſunt. *Conf. Sim. Paul. Hilſcheri diſſ. de rationali & praxi fundata ſphygmomantia ſiue arte pulſum explorandi* & *ex eo iudicandi. Ienæ 1732.*

2. Hinc plures ex Medicis cum *Io.Bapt. Montano* facere non dubitant, qui, neglectis *Galeni* ſubtilitatibus, ingenue fatetur, ſe longa annorum ſerie in ſua praxi *ſex* tantum differentias obſeruare potuiſſe. *Conf. Herm. Conringii introd. p.216.217.227.* Opportune pariter monet *M. B. Valentini in Medic. nouantiqua Parte III. cap. III. §. IV. p.126.* *Galenum* effeciſſe nimium intelligendo, vt ferme nihil intelligatur, quia *nimis*, non autem *bene* diſtinxerit. *Tres* ergo pulſuum differentias tum ſibi,

ſibi, tum aliis, ſufficere poſſe indicat. Quarum *primam* deſumit a *rhythmo*, qui æqualitatem & inæqualitatem prodat; *ſecundam* a *motu*, vnde pulſus magnitudo & paruitas cognoſcatur; *tertiam* a *tempore*, quod pulſandi celeritatem aut tarditatem indicat. *Conferatur Bergeri phyſiologia Cap. V. p. 73.*

3. Pulſus ab auctoribus ſtatuitur

1) vel *Naturalis*, qua voce pulſum indicant *eurhythmum* & moderatum, ſiue vigorem, ſiue moram, ſiue rhythmi ſpectemus tenorem. Verum enim vero optandum, vt ſimul demonſtrari poſſit,

(1) Quo anni ac ætatis tempore;

(2) In quibus ſubiectis ratione temperamenti & quo in climate eiusmodi pulſus obſeruetur, qui naturalis nomen mereatur. Nam in ipſis ſanis notabilem pulſus differentiam toto die deprehendere licet

a) reſpectu *rerum naturalium*, ſexus nimirum, temperamenti ac ætatis. Inde enim ab omni æuo iam obſeruatum eſt, alium eſſe pulſum in pueris, alium in ætate conſiſtente, alium in ſenibus. *Vid. Galenus de pulſibus ad tirones.*

b) reſpectu *rerum non-naturalium.*

α) Nam tempore æſtatis feruido in quolibet temperamento citatior eſt pulſus, quam in hieme. Et climatum calidiorum pulſus omni tempore fortior eſt; quemadmodum eorumdem quoque mores, ad impetum & præcipitantiam compoſiti, deprehenduntur.

β) Sic quoque alimenta, ſomnus, motus & quies, animi adfectus, excretiones variæ, balnea & veſtimenta pulſum alterare nimium ſolent. Vnde ſane difficile eſt determinare atque diſtincte definire, quis nam pulſus ſit *naturalis*, quia certa norma deeſt; niſi quis numeroſos naturalis pulſus typos ſecundum enumeratas circumſtantias conſtituere velit, quod tamen operæ pretium non eſſet.

 2) Vel

2) Vel *præternaturalis*, qui in ſtatu præternaturali ſeu morboſo obſeruandus eſt, & quouis modo a naturali deflectit.

4. Quibus in anteceſſum monitis, ſpeciales & præcipuas adnotabimus differentias; ſine reſpectu ad priſcam & generalem *Galeni* diuiſionem, qui pulſum *præternaturalem* ad *tres* reduxit claſſes, ſecundum *longum*, *latum* & *altum*.

5. Ratione itaque *vigoris* pulſus eſt

1) *Fortis*, qui actionem cordis ſyſtalticam valide inſtitutam indicat, ac arterias adeo fortiter diſtendit, vt digitum explorantem quaſi elidat.

2) *Debilis*, priori contrarius, explicationem haud poſtulat; ſiquidem vaſa parum extendit, quoniam energiæ mouentis manifeſta ſubeſt infirmitas.

6. Ratione *temporis*

1) *Celer* eſt, qui cito celebratur, & in quo dilatatio arteriæ tam brevi mora durat, vt tangentis digitum, ad quem ſenſibilius adlidit, velocius ſubterfugiat. Hic nullum habemus reſpectum ad robur; cum debilis æque celer eſſe poſſit, quam fortis.

2) *Tardus* contra, per dilatationem diutius durantem ſe prodit, ſiue fortis ille fuerit, ſiue debilis.

3) *Longus* vocatur ille, qui ſenſibilem moram vſque ad completam arteriæ diſtenſionem requirit, quia ipſa ſyſtole minus expedita eſt, & quamdam moram, quæ inter quamlibet cœptam & abſolutam conſtitutionem intercedit, manifeſto indicat.

4) *Breuis* autem vno momento fit, vt vix dum percipitur, ſimul pereat. Quare cum *celeri* confundendus non eſt, quia in *breui* ſufficiens & ſenſibilis ad digitum explorantis adliſio deeſt. Hinc pulſus *breuis* interdum ſimul celer, aliquando etiam tardus eſſe poteſt. Et huncce breuem in pueris, recens natis, *Herophilus* vocare ſolebat σφυγμον ἀλογον i. e. pulſum irrationalem, quaſi nullam ad reliquas pulſuum ſpecies analogiam haberet.

7. Ra-

7. Ratione *numeri*

1) *Frequens*, qui intra eamdem plerumque moram, qua celer alias fit, plures ictus format. Differt ergo a celeri

(1) *reſpectu generali*: Nam in *celeri* reſpicimus *tempus* ſeu intermediam inter micationes *durationem*: in *frequenti* autem attenditur aliquot ictuum, immediate ſe excipientium, *numerus*.

(2) *ſubiecti* diuerſitate.

a) *celeris* ſubiectum eſt ipſe impulſus, præcipiti actu terminandus.

b) *frequentis* autem ſubiectum eſt ſucceſſus plurium pulſationum.

(3) *formalitatis* differentia.

a) forma *celeris* conſiſtit in breui dilatationis duratione.

b) forma vero *frequentis* in menſura quietis inter plures pulſus quærenda eſt. Hanc inter celerem & frequentem pulſum differentiam veteres iam obſeruarunt, quamuis tam perſpicue illam explicare non potuerint. *Galenus libro de pulſibus ad tirones cap. VIII.* diſerte docet: quod celer fiat, cum paruo tempore arteria diſtendatur; creber autem, i. e. frequens, cum paruo interpoſito ſpatio. Interim non nullis crucem fixit hæc diſtinctio, quos inter *Thomas Fienus* eſt, qui in *Semiotica p. 236.* de ſe fatetur, quod diſtinctionem inter pulſum celerem & frequentem comprehendere non valeat. Et quantum negotii hæc diſtinctio noſtro tempore faceſſiuerit, ex diſſertatione *de pulſuum theoria & praxi*, a *Io. Deodato Blumentroſt Halæ 1702.* defenſa, perſpici poteſt. *Conf. Stahlii excuſatio reſpondens examini pulſuum celeris & frequentis.*

2) *Rarus*, qui intra illam moram, qua in alio pulſu tres vel quatuor ictus percipiuntur, tantum ſemel contingit, quo-

 cum-

cumque tandem vigore id ſuccedat. Hic autem *rarus* a *frequenti* & *tardo* plurimum differt.

8. Ratione *inflationis arteriarum.*

1) *Magnus* audit, qui arterias ita diſtendit, vt maius ſpatium ſub digito contrectantis expleat, er hebt hoch auf, und läſſet ſich ſo breit, als der Finger iſt, mercklich wahrnehmen, nec tamen cum *forti* vnus idemque eſt; quia hic expeditum actionis vigorem; ille vero laborioſiorem conatum infert. Hic ſubiungere liceat pulſum ex *magno* & *celeri* compoſitum, quem *vehementem* ſeu *impetuoſum* vocare ſolent; nam præter robur ſyſtalticum ſolito auctius, celeritatis quoque impetum manifeſto oſtendit.

2) *Paruus* contra vaſa parum inflat, non ob energiæ debilitatem, ſed ob parciorem & refractam ſanguinis ex corde propulſi quantitatem. Vnde cum debili non confundendus.

3) *Plenus magni* ſpecies habetur, in eo tamen ab illo differt, vt

(1) ad tactum duritiem quamdam prodat,

(2) intuitu autem temporis aliquam ſimul tarditatem inuoluat.

4) *Vacuus*, huic oppoſitus, a *debili* & *paruo* differt. Vti enim ille actionis ſyſtalticæ *infractam* δυναμιν; iſte autem ſanguinis ex parte in thalamo cordis *retentionem* pro fundamento agnoſcit: ita *vacuus* ſenſim & quaſi ſine ſenſu adminiſtratur. Hinc ſanguis arterias quidem perfluit, ſed præſentiæ ſuæ indicium per vaſorum dilationem vix relinquit. Id quod accidit maxime ob ſanguinis penuriam ſeu verum eius in corpore *defectum*; quocum & nobis non monentibus debilitas complicata eſt.

9. Ratione *tenſionis* in partibus continentibus, arteriarum ſcilicet tunicis & cute.

1) *Durus* percipitur, ſicubi partium tonus ſolito intenſior eſt. A tenſione enim durities dependet. Interim durum

rum quoque efficit valida cordis ſyſtole; quæ ſi æque langueret, vti in pulſu debili, tunc, durante tam notabili tonica partium duritie, ne diſtendi quidem arteriæ poſſent, ſed *κατ' ἐξοχὴν* pulſus vacuus euaderet.

2) *Mollis* autem partium ſolidarum laxitatem & moderatum in conſtringendo corde vigorem indicat.

9. Ratione *rhythmi* & *quietis*. Eſt autem rhythmus *veteribus* harmonia inter ſyſtolen & diaſtolen, tam reſpectu temporis, quam vigoris, ſeu, vt alii exprimunt, conuenientia ictus & interualli. Hoc reſpectu pulſus eſt

1) vel *Eurhythmus*, ſeu ordinem ſeruans, in quo æqualitas celeritatis, magnitudinis, vehementiæ ac frequentiæ obſeruari poteſt.

2) vel *Arhythmus* ſeu inæqualis; de quo plures ſpecies quam vtilitates apud auctores offenduntur, & differentes eorum ſenſus per varia ſimilia illuſtrantur. Licet autem aſſimilationes multum claudicent, quæ e.g. de ſerpente, vermibus, formicis, aqua vndoſa, cauda muris & de aliis rebus proferuntur: locum tamen eo facilius hic obtinere poſſunt, quo manifeſtius ipſe pulſus intermiſſionibus ſuis claudicando procedit. Itaque ex *Herophilo* ſequentes ſpecies notantur:

(1) *Pararhythmus* ab *eurhytmo* mediocriter digreditur, ſeu in illius locum immediate ſuccedit. Ita v.g. puerorum pulſus ordinarie celer eſt & moderatus; at in iuuenibus celer fit ac fortis, poſtquam prior abolitus eſt.

(2) *Heterorhythmus* ab *eurhythmo* plurimum differt, & ex ætate non vicina ſed remota mutuatus eſt. v.g. ſi iuueni ſit pulſus, ſenibus alias proprius, tardus nimirum & languidus.

(3) *Ecrhythmus* ab *eurhythmo* prorſus aberrat, & nullius ætatis pulſum retinet. Et huius iterum diuerſæ dantur ſpecies: quos vide in *Galeno lib. I. de diff. pulſ. cap. VIII. f. 47.*

(4) *Intermittens*, quem *Galenus* inæqualium pernicioſiſſimum iudicat, quod inæqualitas raritatis & paruitatis in illo emineat. Diuidunt autem illum in intermittentem *ſingularem* & intermittentem *pluralem* ſeu *ſyſtematicum*.

a) *Singularis intermittens* dicitur ille pulſus, qui *vnicam* diaſtolem aliqua quiete interruptam oſtendit. Huius *nouem* ſpecies ad auctoribus numerantur:

α) *Vndoſus*, qui arteriam inæqualiter & tarde diſtendit, vt vnum ſpatium poſt aliud in canale arterioſo modo altius, modo remiſſius inflet, adeoque vndarum ad inſtar progrediatur, cum apertæ magnitudinis inæqualitate.

β) *Vermiculans* ſeu *Scolecizon*, vndoſi habetur ſpecies. Vtrumque hoc pulſuum genus interdum adeo coincidit, vt difficile ſit enunciare, vndoſus ne, an vermiculans ſit. Sed hoc tamen differentiæ inter vtrumque intercedit, vt vndoſus reſpectu magnitudinis ſit manifeſtior, vermiculans autem obſcurior.

γ) *Serratus* ſeu ſerrans durus & tremens, qui arteriam inæquali & quaſi interciſo motu hic altius, alibi demisſius attollit, cum duritie quadam ſenſibili & ſerræ dentes æmulante. Differt ab *vndoſo* in eo, quod huius inæqualis eleuatio arteriæ mollis ſit & obtuſa; ſerrati autem dura & quaſi acuminata.

δ) *Caprizans, Dorcadizon Herophilo* dictus, in quo arteria bis ferit hoc modo, vt, poſtquam edito ictu vno diſtenta ſatis, nouam ſyſtolen exſpectare videtur, ſecunda vice & fortius quidem pulſet, vi vnius tantummodo contractionis ſyſtalticæ. Similitudo autem deſumta eſt a capris, quibus ita ſubſultare ſolemne eſt, vt, quamuis deſiti motus ſpeciem præbuerint, tamen repetitio motus impetum faciant inopinatum, & priori vehementiorem.

ε) *Tre-*

ε) *Tremulus*, actionem cordis tremulam conſequens, intellectu eſt facillimus.

ζ) *Dicrotus* vno ictu quaſi bis feriens. Huius ſpecies *tres* adfert *Galenus lib. II. de præſag. ex pulſ. cap. VIII.* Sed magis ad ſteriles ſpeculationes, quam ad vtiles differentias retulerimus. *Conf. Brunonis lexic. med. p. 313. Tho. Fieni Semiotica p. 243.*

η) *Formicans* ſeu *Myrmecizon.* Docente *Galeno* mire paruus eſt, quo non datur alius minor, ſed ſimul languidus & valde creber, non tamen, vt quibusdam viſum eſt, celer. Nomen accepit ab illa ſenſatione, quam in explorante excitat, ac ſi formicarum ſentiretur reptatus. *Vid. Galenus lib. I. de diff. pulſ. cap. XXVI. lib. I. de dignot. pulſ. cap. I.*

ϑ) *Myurizon* ſeu muris modo caudatus; ita dictus ab illo ſenſu, quem in explorante relinquit, ac ſi muris corpus ſatis palbabili modo digitum ſubrepens, caudam lentius leniusque poſt ſe traheret, atque ob molis paruitatem, etiam minorem ſenſationem ex *frequenti rariorem* tangentis digito imprimeret.

ι) *Serpentinus* dicitur, qui talem ſenſum præbet, ac ſi ſerpens arteriam lente perreperet; qualem pulſum in humorum præſertim ſpiſſitudine obſeruare licet, vbi ſanguis ex cordis ventriculis ſatis vegete exprimi non poteſt, ideoque aliquem cunctationis ſenſum tangentibus digitis imprimit.

b) *Syſtematicus intermittens*, qui non poſt binas, ſed poſt plures pulſationes vnam intermittit. Ratio huius denominationis arbitraria eſt. *Syſtema* enim vocant priſci Medici incertum plurium pulſuum numerum. *Vid. Galenus lib. II. de præſag. ex pulſib. cap. IV. f. 107.* Huius ſpecies ſunt

1. *Intercurrens*, quando vnum alterumue pulſum magnum & tardum, aliquot ictus celeriores debilioresque excipiunt.

2, *De-*

2. *Decurtatis* ⎫
⎬ ad Herophili ſubtilitates pertinent.
3. *Intercedens* ⎭

4. *Deficiens* ſeu ceſſans vel aſphyxia explicatione non indiget.

10. Ratione *ordinis*, in pulſando ſeruati.

1) *Ordinatus* audit ille pulſus, cuius eadem eſt circuitus paritas. v. c. ſi poſt tres fortiores aut celeriores, quartus ſequatur debilis aut tardus. Eiusmodi pulſus ratione vigoris aut temporis omnino eſt inæqualis; ſi vero hunc conſtanter ſeruat ordinem, merito adpellandus eſt *ordinatus*.

2) *Inordinatus* autem eſt, qui v. c. poſt duos ictus debiles vnum celerem; & poſt alios duos itidem debiles aut magnum edit, aut quieſcit.

11. Sunt, qui pulſuum differentias, ex animi pathematibus petendas, *ſeorſum* indicare conantur; ſed opera videtur ſuperflua magis, quam neceſſaria, quoniam motus tonici in adfectibus alteratio, in *Hygieine* diſtincte propoſita, commode indicat, quales pulſus quoduis pathema conſequi debeant.

12. Differentias tandem pulſuum apud *Sinenſes* receptas cum tironibus hic communicare abhorremus, quia monſtroſis innituntur ſuppoſitis, & præter confuſam ignorantiam, mire adfectatam omniſcientiam ſpirant, nec quidquam ad perficiendam ſphygmologiam rationalem conferunt. Cui tamen Sinica iſta inuenta noſſe volupe eſt, librum euoluat, qui titulum erit: *Clauis medica ad Chinarum doctrinam de pulſibus. Norimbergæ 1686.*

III. *PROGNOSIS SPHYGMOMANTICA*

1. *Generalis*

1) Pulſus apud *Europæos* quidem ad diagnoſin morborum exiguæ vtilitatis eſt; apud *Sinenſes* vero omnem abſoluere ſolet ſignorum diagnoſticorum & prognoſticorum doctrinam. Ex pulſu enim morbum, morbi cauſſam, loca adfecta ac omnes futuri euentus circumſtantias elicere ſatagunt.

gunt. Nouimus ex relatione Medici fide digni, *Iudæum,* qui ante aliquot annos ſphygmomantiæ exactæ dedit ſpecimen, dum patri, qui eccleſiæ miniſter erat, mortem intra quatuor hebdomadas inſtare, filio autem eo ipſo tempore grauiori morbo detentum iri præſagiebat, vt funus patris comitari ad cœmeterium nequiret; quod vtrumque ita accidit. Qui vero iſta retulit & vatem Hebræum & defunctum bene nouerat.

2) Hoc ſatis certum eſt, quod actus pulſorius vitæ ſemper prodat præſentiam. Nam vbi pulſus ibi vita: ſed non in vicem verſam.

3) Præterea pulſus alicubi in membro perceptus; in quo alias percipi non ſolet, malum ibidem hærere indicat; quod in lienis infarctu & in partibus inflammatis ſuppurationemque ſubeuntibus ſæpius obſeruatur. *Conf. Hippocrat. Coac. prænot. num. 282.*

4) Numquam tamen ex ſolo pulſu iudicandum & præſagiendum eſt; ſed alia quoque ſigna conferri & inter ſe comparari debent. Quod ſi vero bona malis mixta compareant, perpendendum erit, vtra potentiora ſint; ac tandem formanda prognoſis. Arteriarum enim pulſus, vt *Celſus lib. III. cap. VI.* iam monuit, fallaciſſima res eſt, cui non ſemper credendum, quia adeo facile alterari poteſt.

5) Ipſum vero iudicium caute inſtituatur, neque temere aliqua ex cauſſis, quæ pulſum ſubito mutare poſſunt, prætermittatur. Per eiusmodi enim neglectum non raro fit, ſi mala inprimis citra ſufficientem cauſſam imminere videntur, vt in Medico indecens admiratio & confuſio, in ægrotantibus vero fruſtraneus metus excitetur.

6) Si quis in ſubiecto plethorico ac nimis ſenſibili extraordinariam laſſitudinem, pulſum plenum & tardum, aut magis debilem, quam vegetum, deprehendat, ac virium defectum grauemque morbum præſagiat; vnica venæſectione refutari poterit, quam non raro euphoria, pulſus moderatus & virium priſtinus vigor excipere ſolent. Sic præpoſtera ægros roborandi libido in adſtantibus tanta

eſt, vt in acutis febrientes iuſculis, e vino paratis, & aromate conditis, reficere non dubitent. Vnde pulſus celer & fortis, æſtus, inquietudo, anxietas & inopinata dyſphoria conſequuntur: quo errore minus cognito, ſi Medicus deliria, conuulſiones, aut phrenitidem prænunciare vellet, poſtero tamen die poſt nocturnam agrypniam interdiu placide dormientem inueniret; vix calumnias aut ſaltem ſiniſtrum de eius experientia & dexteritate iudicium effugeret. De ſubita pulſus alteratione ex animi pathematibus in ægrotis nihil iam addemus.

7) E pulſu eiusque vigoris gradu generatim *vires* cognoſcere & de *euentu* aliquid prænunciare valemus. Nam vbi conſtans pulſationis vigor obſeruatur: ibi & morbum ſuperari poſſe præſumitur. Hinc *Galenus in compend. XVI. libror. de pulſib. cap. XXXV.* ſcite docet: pulſum indicare vires; vires autem comparandas eſſe cum præſentis morbi genere. Si iam ſufficientes ſint, ad illum perferendum; hominem ſeruari neceſſe eſt, ſi nullus error extrinſecus commiſſus fuerit. Si vero contrarium euenerit, hominem omnino moriturum.

8) Pulſus mutatio, ſine concurrente cauſſa procatarctica, ſponte natura contingens, ſemper aliquid notatu dignum portendit. Et quidem

(1) *Vehemens* ac *celer*, moderato ac debili ſuccedens, intenſam quidem alacritatem & actiuitatis extraordinarium augmentum denotat, quod prima fronte validam reſiſtentiam ſpondet, atque de morbo vincendo ſpem concitat. Verum ſi hoc contingit in ſubiectis cholericis, qui ad quasuis actiones præcipites ſunt; aut in melancholicis propoſiti tenacibus & ad extrema procliuibus: naturam in motibus plerumque excedentem animaduertimus. Vnde vix alius quam tragicus euentus ſubſequi ſolet.

(2) *Debilis* autem, *tardus* ac *paruus*, ſi celerem fortemque repente exceperit; naturæ ad motuum omiſſionem inclinantis timiditatem, conſternationem, dubiam tergi-

tergiuerſationem & ab operando auerſionem arguit. Quam ob cauſſam *Galenus* pulſum, a naturali ſymmetria multum recedentem, *malum*; illum vero, qui maxime languidus, rarus ac tardus eſt, *peſſimum*; optimum autem, qui vehementiſſimus eſt, pronunciat. *Vid. compend. XVI. libror. de pulſib. cap. XXXIV.*

9) Pulſus *celer* generatim minus periculoſus eſt, quam *tardus*; ſiquidem ex veterum quoque obſeruatione extrema celeritas extrema tarditate tutior eſt. Hinc iudicatu erit facile, quid de *vacuo* ac omnibus *inæqualium* ac *intermittentium* generibus cenſendum ſit.

10) Celeritas quidem in pulſando morbi indolem, ad inducendam celerem perniciem aptam, non obſcure prodit; ſed ſimul naturæ actiuitatem indicat, qua vegetis motibus malo ſe opponit.

11) Pulſus parum alteratus, cum perturbatione animi, virium defectu & omnimoda dyſphoria, malum portendit, & non raro latentem malignitatem arguit.

12) Pulſus in acutis *intermittens* plerumque mortis eſt prænuncius. Contrarium euenit rariſſime. Exemplum tamen ex ſua praxi communicat *Proſp. Alpinus de præſag. vita & morte, lib. IV. cap. IV.* de virgine, in qua ad diem vſque quartum pulſum intermittentem obſeruauerat; ita quidem vt prima die iam poſt ſeptimum, iam poſt decimum ictum, ſecunda mox poſt quartum, mox poſt ſeptimum, tertia poſt tertium quieuerit; quarta autem die, qua morituram ægram quisque non immerito credidiſſet, deliram & inquietam valde fuiſſe, difficile reſpiraſſe, nihil exſpuiſſe, & talem habuiſſe pulſum, vt poſt octo vel decem interualla ſemel vel bis micans fuerit, nihilo tamen, minus, criſi per vrinam ſecuta, conualuiſſe.

2. *Specialis*

1) *In febribus*

(1) Pulſus *celer* febribus, manifeſto erumpentibus, *algida*

Vv 2 forte

forte excepta, ita proprius & eſſentialis eſt, vt verum illarum ſignum dici mereatur pathognomicum.

(2) Idem *celer, frequentem* in febribus ſæpiſſime habet comitem, qui de principii agentis intenſiori actiuitate, & de conſtante atque aſſidua cœpti laboris continuatione luculenter teſtatur; qua periculo vegete obſiſtit, ac materiam febrilem ſubigere, ſubactam vero eliminare laborat.

(3) Hinc certum eſt, acutas tanto citius decurrere, quanto conſtantius pulſus *celer* & *frequens* obſeruati fuerint.

(4) *Frequens* autem non ſolum in ſtatu morbido, ſed etiam in ſano occurrit, v. g. poſt curſum, balneum, aut ſumta alimenta, vniuerſi corporis calorem augentia. In ſtatu autem non-naturali, in terrore, timore & cordis palpitatione itidem ſe manifeſtare ſolet.

(5) *Frequens* in febribus raro ſine celeritate eſt.

(6) *Fortis* in febre, ad ἀκμὴν perducta, ominoſus eſt. Cum enim ad *ſtatum* peruenerit febris; tum hoſtis cenſetur deuictus; vt adeo remiſſior actiuitatis gradus expellendis porro reliquiis ſufficere poſſet. Si vero aliter euenit: tunc

a) vel interna inflammatio ſubeſt;

b) vel natura extrinſecus commota, aut ſpontaneo motu ex præpoſtera alicuius noui periculi erronea æſtimatione eo delapſa eſt, vt, ſedatiorum loco, vehementiores de nouo ſuſcipiat actiones. Ex quo fundamento ſæpius importunæ ac prodigæ hæmorrhagiæ, periculoſæ ad caput congeſtiones, deliria, meningum inflammationes aut conuulſiones morbi ſcenam funeſto exitu claudunt.

(7) *Fortis* in febribus exanthematicis & petechialibus malignis, malus. Quia materia exanthematum ſub tam impetuoſa ſanguinis circumagitatione organa colatoria, a quibus ad percolandum excipi & a reliquo ſanguine debite ſecerni deberet, præterlabitur, vniuerſamque maſſam

maſſam humorum eo intimius penetrat atque inquinat. Et cum inſuper ſub forti pulſu ſeu citatiori circulo & aucto nimis inteſtino motu, nouæ materiæ generentur, quæ febrilem adaugent: tum maius inde ſubnaſcitur periculum, & natura in tali ſtatu ad ordinatos motus numquam peruenit, ſed in extrema potius ruit. In variolis ſpeciatim deliria portendit, aut de cerebro inflammato vel alio viſcere variolis obſeſſo, interdum & gangræna corrupto, indicium præbet.

(8) Vti ceterum omnis vigor in languorem conuerſus periculum prænunciat: ita *fortis* pulſus in *debilem* mutatus, malum in acutis omen eſt.

(9) *Debilis* pulſus in acutarum principio & incremento ſemper noxius. Vel enim paſſiuum virium defectum pro fundamento habet, & impotentiam in ſecernendo & excernendo arguit, vel abiectum animum, omni ſuperuiuendi ſpe deſtitutum, adeoque ab operoſe laborando abhorrentem, declarat. Quo fit, vt morbus naturam vincat ante, quam hæc aliquid contra illum tentauerit.

(10) *Tardus* pariter ac *rarus* in periculo ancipiti, vbi alacritate opus eſt & continua reſiſtentia; non niſi funeſtum euentum prænunciat. Quo ſegnius enim natura contra morbum pugnat, eo magis inualeſcit ille. Aliquando tamen humorum ſpiſſior conſiſtentia in cauſſa eſt, vt natura tardius mouere cogatur.

(11) *Celer, frequens* & *debilis* naturam quidem alacriter & aſſidue agentem, ſed vires ſimul deficientes manifeſtat. Vnde in febribus inuita ſæpe ſuccumbit.

(12) Pulſus *durus* in petechialibus, *celerem* & *debilem* excipiens, inflammationes aut lethales conuulſiones præſagit. Natura enim ob materiæ portionem, in viſcere quodam vitali ſtagnantem, aut in veram ſtaſin inflammatoriam deductam, ſanguinem copioſius ad locum adfectum dirigit, & conſtricta peripheria eo potentius ad interiora reſtringit. Hinc cutis

ac arteriarum denſitas & quaſi durities. Vbi vero diſcuſſio fruſtra tentata aut turbulente inſtituta eſt; ibi ad præcipitem actiuitatem & toni exacerbationes noxias, fieri ſolet tranſitus.

(13) *Vndoſus* ſi *mollis* ſimul fuerit, ex obſeruatione tam veterum, quam recentiorum, ſudoris critici ſalutaris breuique erumpentis certum ſignum ſuppeditat. *Conf. Galeni Compend. de pulſib. cap. IX. XXII.* Peripheriæ enim & pororum relaxationem ſignificat, vnde facilem tranſudationem ſpondet.

(14) Pulſus *ſanus* in malignis præcipue vitam periclitari nunciat. Ita *Galenus* in *compend. de pulſ. cap. III.* de peſtilentia, quæ ſuo tempore graſſata eſt, obſeruauit: quod quidam, qui ab initio ad finem vſque pulſum perparum a naturali deflectentem habuiſſent, *præ ceteris perierint.* Aetiologia autem huius phænomeni, quam ſubdit, perquam incongrua eſt. Cor enim valde frigidum; ſanguinem vero nimis calidum ſibi finxit, atque e duobus contrariis qualitatibus ſtatum medium & pulſum moderatum feſtiue comminiſcitur. Verum enim vero, longe alia ſubeſt ratio. Scilicet natura, ob materiæ agilis & deleteriæ eximiam malignitatem, a motibus ſuſcipiendis & noxæ ſtrenue opponendis, adeo deterretur, vt potius contra nitendi ne quidem initium facere velit; quia ſpe, de obtinenda & conſeruanda vita, ſemel abiecta, malum prorſus inuincibile iudicat. Plerumque autem conſulto & circumſpecte motus languide inſtituit, ne peccans materia per impulſus auctos ſubtilior & pernicioſior reddatur. *Conf. num. 7.*

(15) Pulſus *magnus* vti ſtatum plerumque plethoricum & maiorem humorum orgaſmum prodit: ita nonnumquam congeſtionum, hæmorrhagias reſpicientium, prodromus eſt. Si vero ſimul *durus* euaſerit, inflammationem internam in propinquo eſſe confirmat.

(16) *Pul-*

(16) *Pulſus intermittens*, licet ſemper ominoſus ſit: tamen in tertianis plethoricorum & hypochondriacorum, citra ſiniſtrum euentum paſſim ſolet occurrere. Teſtatur autem in his inſignem humorum ſpiſſitudinem & ad ſubeundum motum inhabilitatem, quæ naturam fatigat, & ob laboris difficultatem ad intermiſſionem ſollicitat: in illis vero ſignificat ſanguinis molem, quæ ægerrime vna ſerie moueri poſſit.

(17) *Inæqualis* in omni morbo, ſi non exitum abſolute funeſtum, perdifficilem tamen ominatur. Tanto certius autem in febribus portendit malum. Nam titubans tergiuerſatio pulſoria, morbi grauitatem & motus decurtatos, paulo poſt, prorſus omittendos, præſagit.

(18) *Vndoſus* ſpeciatim in partium internarum inflammationibus actionem ſyſtalticam varie quaſi dimidiatam & inæqualem mouendi vigorem oſtendit, quia natura animi pendere videtur, ſintne motus diſcutientes continuandi, an vero abolendi. *Intercurrens* vero in febribus nonnumquam inſtantem criſin denunciat. Conf. *Frid. Schraderus de ſig. med. exercit. III. §. 18.*

2) *In aliis morbis.*

(1) Licet nulli morborum generi vtilius, quam febribus, adplicari poſſit pulſuum doctrina: tamen in aliis quoque morbis non prorſus ſolet negligi. Vti vero in illis pulſus nonnumquam fallit, teſtante inprimis indole malignarum: ita in aliis pathematibus ſæpius infidum prognoſeos ſignum ſuppeditat.

(2) Adſertum illuſtrari poteſt exemplo morborum ſoporoſorum, in quibus pulſus a naturali & ſano vix deflectit, interdum vero tardus ac lentus eſt, *Vid. Hippocrates Coac. prænot. 138.* Vtero pariter laborantes tam polymorpha pulſuum ſchemata edunt, vt ſi huicce ſigno ſoli inniti vellet Medicus; deciperetur ſæpiſſime.

(3) Pulſus *frequens*, *durus* & *inæqualis* quid indicet, in angina & anginodeis pathematibus e ſupra dictis iam pateſcit.

(4) *Ve-*

(4) *Vehemens* in palpitatione cordis impetum in agendo & deſtinationis præcipitem exſecutionem denotat; ſiue humorum mouendorum conſiſtentia, moles, aut viſceris alicuius labes, id requirat, ſiue ſubiectorum animus impatiens in cauſſa ſit. Nam ex palpitationum ſubiectis clare eluceſcit, hos motus palpitatorios cum eorum moribus conuenire. Sic melancholici, quia pertinaces & in agendo aſſidui ſunt, validis motibus libenter id impetrant, quod in votis eſt, ne ſæpius aliquid tentandum reſtet. In deliriis melancholicis & maniacis, pro fictorum periculorum diuerſitate & eluctandi conatu, eiusdem vigoris obſeruatur pulſatio. Sanguinei conſtantiæ in operando non adſueti, plerumque inconſiderate, exterriti magis, quam neceſſitate ducti, id agunt, nulla ſeruata proportione, quæ malo præſenti reſpondeat. In terrore aut ira, vbi propoſitum iam aufugiendi, iam reſiſtendi & vincendi adeſt, animus fortis ac vires in vnum quaſi collectæ ibidem requiruntur.

(5) *Debilis* autem & *paruus* virium defectum, animumque fractum produnt. Vnde phthiſicis familiaris eſt. Debiliati vero ſi ſucceſſerit celeritas & frequentia, hecticam febrim ſubeſſe, non obſcure declarant.

(6) Interim occurrunt etiam exempla ſanorum, in quibus pulſus ſemper debilis, immo poſt binas aut ternas micationes intermittens eſt, *Conf. Bohnius de offic. med. dupl. p. m. 179.* Notæ ſunt duæ perſonæ, quarum altera pulſum habet poſt quartam, altera poſt quintam micationem, intermittentem.

(7) *Celer*, quoties obſeruatur, morbi quidem exacerbationem, ſed auctiorem quoque naturæ vigorem, hoſti oppoſitum, declarat. Vnde poſt hæmorrhoides aut menſes ſuppreſſos, itemque in pertinaci alui obſtructione, hic pulſus ſanguinem alicubi ſtagnantem & in ſtaſin ac corruptionem propendentem prædicit. *Celer* autem ſi cum *intermittente*, occurrit, periculum & deſperationem

rationem ſe inuicem comitari teſtatur. Obſeruare id præcipue licet in *empyemate.*

(8) Porro *celer* in quibuscumque pathematibus obſeruatur, ſtatum ex indole febrili participantem adnunciat. Hinc raro ſine noua dolorum exacerbatione ingruit, morbumque ſemper grauiorem reddit.

(9) *Durus* in ſubiectis, cum hectica colluctantibus, reſtrictionem ſanguinis ad adfectum locum, adeoque vltimum eluctandi conatum indicat, ſed quia fruſtraneus eſt, certam ſimul mortem præſagit.

(10) *Mollis, debilis* & *tardus* in paralyticis, calamitati ipſorum ex aſſe reſpondet; toni enim relaxatio mollitiem & debilitatem; propoſitum autem a motibus ceſſandi, & negligens inde actionum vitalium adminiſtratio tarditatem inducunt. Interim tamen vegetiorem pulſum in latere ſano non raro obſeruare licet.

(11) Pulſus *inæqualis* in alterutro carpo, a tumore v. g. ſubaxillari, vomica pulmonis, mala conformatione, aut ligatura ſæpe dependet. Magis vero paradoxon eſt, ſi cordis pulſus quidem continuat, arteria tamen pulſans non animaduertitur. Quo in caſu ſanguinis adeo exigua portio in arterias propellitur, vt non tam *vacuus,* quam prorſus *deficiens* pulſus adpareat.

(12) Pulſus triginta ſex horis, immo octiduo ante mortem *ceſſans,* veluti A. N. C. *Collect. Vratis.* & *Pelargus in Eteodr. V. p. 23. 57.* obſeruant, rarius quidem occurrit; ſi vero perpendamus, quæ *num. præced.* monuimus, res perceptu non adeo erit difficilis; cum iuſta ſuſpicio ſit, pulſum ad tactum quidem adparere inſenſibilem, reuera autem non eſſe ſublatum. Alias longe citius intereundum eſſet ægris; veluti grauis ſyncope & ἀσφυξια id ſatis comprobant, quæ intra breuius horæ interuallum ſæpius enecant.

(13) Quodſi vero talis pulſus, qui penitus videtur *ceſſare,* vitam ſubito non adimat; tum licet *inæqualis, inordinatus*

tus & *intermittens* ſit, tam vehementer non extimeſcendus eſt; id quod pridem monuit *Hollerius, Wierus, Bohnius, Schraderus* aliique. Interea experientia conſtat, quod pulſus *caprizans* in conuulſionibus; *vermiculans* autem in hydrope; *formicans* & *ſerratus* in phthiſi; *tremulus* in aſthmate conuulſiuo, inflammationibus internis aut ſoporoſis pathematibus, adpropinquantis mortis præſagium plerumque ſuppeditet.

(14) Ex his autem eluceſcit, quam circumſpectus eſſe debeat Medicus intuitu præſagiorum e pulſu formandorum. Si enim mortem prænunciaret, quando ne veſtigium quidem pulſus in carpo deprehenditur: facile poſſet errare; quandoquidem aliqui arteriam, in carpo indagandam, in dorſo manus, intra pollicem & indicem, collocatam oſtendunt. Qui ſitus aliquando celebrem Medicum decepit, vt virum, pancratice valentem, peſte correptum adfirmaret. *Conſ. Tulpii obſ. lib. III. 45.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Quemadmodum *Hippocrates* primus fuit, qui motui arteriarum dilatatorio nomen *pulſus* impoſuit: ita primus etiam haud dubie fuit, qui illius *rythmum* obſeruauit. Minimum non conſtat, qui ante ipſum huius ſigni habuiſſet rationem. Hinc diſerte adfirmat *Galenus*, inde ab *Hippocrate* conſuetudinem abiiſſe ad poſteros, vt omnem arteriæ motum adpellarent *pulſum. Conſ. Galenus de animi morib. cap. VIII. f. m. 12. Comment. I. in Hippocr. de humorib. f. m. 17. De diff. pulſ. lib. I. cap. II. f. m. 45.*

2. In eo quidem eſt *Galenus*, vt aliis perſuadeat, *Hippocratem* artis ſphygmicæ vtique fuiſſe gnarum, fed parum eam exercuiſſe: ita *lib. III. de criſibus cap. XI. Signa ex pulſibus ſumta Hippocrates vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti exiſtimauit, idcirco non eſt exſecutus.* Qua de re conſentire cum *Galeno* ita ſimpliciter non poſſumus, quia contrarium e monumentis *Coi* euincere licet. Negari omnino nequit,

eum

eum plus attendiſſe vrinam, reſpirationem & ſputa; verum pulſuum quoque vigorem & mutationes non inſuper habuiſſe, *liber* eius *de humoribus* teſtatur, in quo, inter alia ſigna a Medico adnotanda, etiam *pulſuum* mentionem facit. *Conf. lib. IV. epid. text. 33. f. 226.* Et quia illis temporibus in arteriis temporalibus pulſationes potiſſimum obſeruabantur, *pulſus capitis* præcipue fieri ſolet commemoratio. v.g. in *Coac. prænot. num. 81. 128. lib. V. epid. f. m. 247.* Interim *lib. II. epidemic. ſect. II.* de vena in cubitu pulſante quoque mentionem facit. Denique *Aphoriſ. Sect. VII. 21. fortis* pulſus meminit. *Vid. Coac. prænot. n. 261. 142. 124.*

3. Poſt *Hippocratem* plures exſtiterunt, qui ſphygmicam doctrinam obſeruationibus perficere adlaborarunt; quos inter primas tenet *Herophilus* eiusque aſſeclæ, quibus ad muſicos pedes pulſus metiri ſolemne fuerat. Omnium vero ſcripta per temporum & fatorum iniuriam interierunt, exceptis fragmentis, quæ nobis vna cum *Athenæi* placitis ſeruauit *Galenus.* Et quoniam idem contra *Archigenem Apameum* acriter diſputat, plura hac occaſione huius viri dogmata ab interitu vindicauit. Plures tamen in vnum collectas *Archigenis* doctrinas exhibet *Aëtius Amidenus in tetrabiblo.*

4. Ipſe quidem *Galenus*, operoſiſſimus pulſuum obſeruator, hic iterum nominari meretur: ſed quia eius ſcripta *tab. præced.* iam enumerauimus, plura addere non libet.

5. Poſt *Galenum* nemo tantam in pulſuum doctrina conſecutus eſt laudem, quantam ille ſibi apud omnes iam comparauerat. Interim, diſcuſſis barbarorum ſæculorum tenebris, paſſim aliquid de pulſibus meditati ſunt Medici. Ita *ſæc. XIII. Io. Aegidius,* Monachus, librum *de pulſibus* metrice conſcriptum reliquit, & *Gentilis Fulginas* Medicus Peruſinus commentario illum illuſtrauit.

6. *Sæc. XV.* de pulſibus commentatus eſt *Bernardus Gordonius. Sæc. XVI. Geo. Valla, Io. Mich. Sauonarola, Paracelſus, Conr. Geſnerus, Franc. Valleſius, Val. Polidamus, Vdalr. Binder, Alex. Maſſarias, Camill. Theſaurus, Ioſeph. Struthius, Lud. Mercatus, Hercules Saxonia, Paul. Griſignanus de Salerno, Pet. Galea.*

7. *Sæc. XVII. Illefonſ. Nuneſius, Hier. Capiuaccius, Alexander Alexius, Ant. Cælius Meſſanenſis, Ant. Ponce Santacruz, Io. Laz. Gutierrez, Io. Zecchi, Sam. Hafenreffer, Laur. Bellini, Dauid Abercromb.*

8. De commentatoribus autem & ſcholiaſtis, qui veterum ſcripta ſphygmica vel ediderunt, vel interpolarunt, fuſius hic diſſerere non licet. Ceterum bene meriti ſunt *Ant. Martorellus, Auguſtinus Gadaldinus, Leo Roganus, Ferd. Mena, Herm. Cruſerius, Franc. Sanchez, Iac. Lauellius* & alii.

9. His itaque in tironum gratiam breuiter expoſitis, iam diſpiciendum, quomodo explorandus pulſus ſit? Vbi conſiderandum.

1) *Quo in loco?* Commendant practici quique *carpum*, non quidem vnius tantum, ſed vtriusque manus: quia in alterutra manu arteria vel profundius latere, vel pulſum diuerſum mentiri poteſt, ob cauſſas *præced. num. 11.* indicatas. Subinde enim in vno carpo vacuus aut debilis adparet, cum in altero celer, magnus & fortis exſiſtat. Cuius rei notatu dignos caſus adferunt *Olaus Borrichius in Act.Haf.* & *Pechlinus in Eph. nat. cur.*

2) *Quamdiu? Chinenſium* praxis plures horas, immo diei dimidium requirit, quos tamen imitari plurima vetant. Hoc vero ſuadendum, ne quis carpum vix adprehenſum mox e manu ſua dimittat, ſed paulo ſollicitius, quam vulgo per fugitiuam operam fieri conſueuit, pulſuum vigorem exploret, quo eo tutius aliquid prædicere valeat. Interim reſpectus perſonarum & aliarum circumſtantiarum diuturniorem contactus moram interdum prohibet.

3) *Quo viſitationis tempore? Corn. Celſus lib. III. cap. VI.* periti Medici eſſe declarat, vt non protinus, ac venerit, decumbentis manum adripiat, ſed prius reſideat, hilarique vultu percontetur, quo ſe habeat modo & ſi metum in ægro obſeruet, probabili ſermone eum leniat ac tum carpo manum admoueat. Quod *Celſi* monitum haud contemni

temni debet, quandoquidem ad Medici præſentiam alterari poſſunt ægrotantes, vt inde etiam pulſus mutetur, & plane diuerſus ſit ab illo, qui ſtatum morbi ingenue ſignificat. Accidere hoc fere ſolet in plebeiis, qui reuerentiæ metu erga Medicum correpti inſigniter alterari ſolent; porro in pueris, adoleſcentibus & ſubiectis ſexus infirmioris admodum verecundis, aut ſuſpectis ſymptomatibus grauatis. Vnde demulcendus prius animus, vt pulſus a priſtino tenore minime deflectens eumdem ſe præbeat, qualis ante Medici ingreſſum fuerat.

4) *Quo diei tempore?* Quid hic decernendum ſit, ipſa prudentia medica cuiuis ſuggeret. Nam poſt prægreſſa animi pathemata, poſt paſtum, immediate poſt ſomnum, aut poſt prolixas ægrotantium ſermocinationes; alius longe comparebit pulſus, quam ſi horum nullum præceſſerit, immo ſi qui aluum deponendi cauſſa extra lectum aliquamdiu moras traxerunt & refrigerati ſunt, leipothymici ſæpe fiunt, & diuerſiſſimum, a ſolito, pulſationum ſchema exhibent. Quid conclauia nimium calefacta hic poſſint, prolixe non exponemus.

10. Ceterum *duodecim* præcepta, quæ ad mentem veterum circa pulſus explorationem obſeruanda, *Io. Iac. Weckerus in med. Syntaxib. f. 394.* tradit, tanti non ſunt, vt ſpecialem recenſionem hic poſtulent, cum potiora ſint, quæ iam attulimus.

11. Supra *tab. I.* generatim iam expoſuimus, in Therapiam quoque commoda quædam ex ſemeiologia redundare; quod ipſum in præſenti & tabulis ſequentibus, ſpecialius inculcabimus.

12. Pulſus *ſanus* in manifeſto ægrotantibus quid præſagiat, ex præced. liquet. Interim ex actionis huius vitalis adeo blande inſtituta adminiſtratione nemo ſeduci ſe patiatur, vt naturam ad officium excitare audeat ſtimulantibus, calidis bezoardicis, aut ita dictis roborantibus. Talia enim ſanguinem commouendo, morbum exacerbare & prorſus inſanabilem reddere certum eſt. Quod monitum eo ſollicitius

obſeruari meretur, quo altius in pluribus Medicis iam radicatum eſt illud præiudicium de roboranda & excitanda natura in malignis. Loco enim optati finis, vel deliria, vel conuulſiones, vtplurimum lethi nuncios obſeruamus.

13. Vbi contra pulſus *fortis* & *celer* motuum exacerbationes aut mentis motiones minatur; ibi inauſpicatiſſimus auſus eſt, ſi practici ad opiata properent.

1) Nam quæſitum motuum moderamen, quod intendunt, numquam obtinent; quia aliud eſt motus moderari; aliud eosdem ſopire, & ad motuum omiſſionem hac ratione viam munire.

2) Vbi vero res melius ſuccedere videtur; ibi, teſte experientia, motus vtique longe acerbiores fieri ſolent, poſtquam vim narcotici remedii natura ſuperauit. Sic incasſum adplicatum & malum in peius conuerſum obſeruatur.

3) Speratæ ſedationis loco ſopor perpetuus inducitur, & vitam, quam Medici ſeruare debent, ipſimet hac ratione perdunt.

14. Vera debilitas, per pulſum *debilem* & *tardum* indicata, vel virium *amiſſione* nititur, vel *omiſſione*; priori, quo modo ſuccurrendum ſit, therapia & diætetica docent: poſterior autem quantum leuari poſſit, curate determinari nequit; nihil tamen intermittendum, quod vllo modo e re ægrotorum eſſe ſciamus.

15. Quosdam practicos offendit pulſus in febribus *celer* & *frequens*, vtpote quem ad mitiorem gradum reductum malint. Sed qui illum transformare conantur, febrem quidem admittere velle videntur, eſſentialem vero eius indolem tolerare detrectant; quod plane incongruum eſt, & magnam ἀπραξιαν ſpirat.

16. Debita pariter prudentia verſandum eſt circa pulſus *magni* ſiue tolerantiam ſiue moderationem. Nam quia de abundantia ſanguinis teſtimonium perhibet, ſuperflui detractionem ſimul indicat neceſſariam. Quam niſi contra indicans diſſua-

diſſuadeat, prudenter tam reſpectu temporis morbi, quam doſeos inſtituere conuenit.

17. *Durus* autem & *mollis* vti ſibi inuicem opponuntur: ita alterationem quoque per conuenientem medicationem admittunt. In illo enim proſunt temperantia, emollientia & humectantia; in hoc autem roborantia & tonica per epicraſin operantia valent.

18. Singula genera *inæqualis pulſus* ſpem medelæ tum faciunt: cum nec virium inſignis iactura præceſſit, nec cauſſæ morbificæ energia ſubdolum euentum minatur. Quibus obſeruatis ominoſa alias pulſatio *formicans*, *caprizans*, & *intercurrens* Medicum non plane a bene ſperando deterrere, conſtantem autem & circumſpectum reddere debet.



TAB.

TABVLA III.
DE
RESPIRATIONE.

I. **D***EFINITIO.*

Reſpiratio eſt motus vitalis, actum *inſpirantem* et *exſpirantem* inuoluens; vbi prior aëris atmoſphærici in pulmones receptionem, poſterior autem illius expulſionem præſtat. Conf. *Phyſiol. tab. VIII.*

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quemadmodum in negotio vitali motus *pulſorius* & *reſpiratorius* mutuo ſibi ſubſidio ſunt: ita *Semeiologia* huius tam ſollicitam habere debet rationem, quam illius. Cumque reſpiratio pulſu ſit poſterior: tum hæc tabula antecedentem ordine naturali excipit.
2. Interim differunt antiquorum Medicorum ſententiæ ratione *pretii*, quod poſuerunt ſignis, ex vtriusque motus alterationibus petendis. *Hippocrates reſpirationi* plus tribuit, firmioremque omnino prædictionem ex illius in morbis mutationibus, quam ex *pulſu*, ſumendam eſſe indubitato credidit. *Galenus* pariter, quamquam prolixior fuerit in euoluenda *ſphygmologia*, nihilo tamen minus circa *anapneuſiologiam* magis occupatus fuit, quam Semeiologi poſt ipſum. Scripſit enim de *cauſſis reſpirationis*; de *vtilitate reſpirationis*; *libros III. de difficultate reſpirationis*; præter illa *commentaria*, quæ in plures *Hippocratis* libros concinnauit, in quibus de prognoſi ex reſpiratione agitur.
3. *Genus definitionis* poſuimus *motum vitalem*, vt primo ſtatim obtutu verus de re tractanda formari poſſit conceptus, qui a veterum plus quam ænigmaticis deſcriptionibus diuerſus ſit. *Hippocrates* enim definiuit reſpirationem *caloris nutritionem*;

tionem; Aſclepiades animæ generationem, Praxagoras animæ corroborationem; Diocles & *Philiſtion caloris innati ventilationem* & *refrigerationem;* quam ſententiam plures Medici ad tempora vſque noſtra adoptarunt. Hodie autem falſum hoc placitum præcipue exploſit & contrarium demonſtrauit *Stahlius*; quod nimirum per motum reſpiratorium ſanguis tanto intenſius calefiat, quanto frequentius illa reiteretur.

4. Ipſas vero reſpirationum differentias vt eo facilius ſibi imprimere poſſint tirones, eo ordine recenſebimus, vt primo ad *recentiorum*, deinde vero ad *veterum* mentem ſecundum varios reſpectus eas exponamus. Reſpiratio itaque eſt vel

1) *Naturalis*, quæ neque ratione *motus* & *quietis*; neque ratione *temporis* aut *ſenſationis* aliquid inſoliti aut moleſti ſibi iunctum habet, ſed facile libereque ſuccedit; vel

2) *Præternaturalis*, quæ intuitu recenſitorum momentorum a tramite ordinario deflectit, &

Ratione *ſucceſſus* ac *ſenſationis* eſt vel

(1) *impedita* & paulo laborioſior; cuius ſpecies reſpiratio *breuis* eſt, quæ cum *parua* veterum coincidit, & a *denſa* ſeu *frequente* differt: nam in illa aliquod ſubeſt vitium, quod maiorem pulmonis dilatationem impedit, quo minus ſufficiens inſpirari queat aër; in hac vero citatior eſt actio vitalis & circuitus ſanguinis celerior, ſine aliquo obſtaculo, viſceris dilatationem prohibente; vel

(2) *Difficilis*, quæ cum moleſtia peragitur, & maiorem poſt ſe debilitationem relinquit. Hæc eſt vel

a) *Anxia* ſeu ad frigidum vſque ſudorem laborioſa, ob varia vitia, quæ in pulmone, corde, diaphragmate, hepate, liene aliisque abdominis viſceribus hærent, & plerumque doloribus ſtipata ſunt. Vnde anxia & *dolorifica*; ſi vero cum notabili anhelitu fit, mit ſtarckem Keichen, tunc dici ſueuit *anheloſa*. *Anxia* autem porro

α) vel *ſupina* eſt, quando ægrotantes adhuc decumbere poſſunt; eius ſpecies ſunt: *ſuſpirioſa* ſeu gemebunda & luctuoſa veterum; *ſtertoroſa* ſeu cerchnodes; *phænomena.*

ϐ) vel *erecta*, quando præ metu ſuffocationis thorace & ceruice erectis reſpirare coguntur. Huius vltimus gradus eſt reſpiratio *ſublimis* dicta; vel

b) *Intermittens* ſeu per interualla breuiora ceſſans, minimum inſenſibilis.

Ratione *vigoris* eſt vel

(1) *vegeta*, vel

(2) *debilis*, quæ virium inſignem defectum & energiæ vitalis imminutam ſeu debilitatam actionem arguit; licet organa pneumonica minus læſa ſint.

5. Antiquiſſimi Medicorum diſtinxerunt reſpirationes in *ſimplices*, *compoſitas*, *inæquales* & *exitiales*.

1) *Simplices* adpellarunt illas, in quibus vna tantum reſpirationis pars, nempe actus vel *inſpirationis*, vel *exſpirationis* lædi videtur. *Conf. Galenus de difficult. reſpir. lib. I. cap. II. f. m. 71.* Hanc reſpirationem ſimplicem diſtinguebant

(1) reſpectu *motus* ſeu dilatationis pulmonum & thoracis, in

a) *Magnam*, in qua magna aëris copia intra pulmones admittatur, & multum illius exſpiretur; citra tamen notabilem thoracis dilatationem, & in

b) *Paruam* priori contrariam, in qua parum inſpiretur & exſpiretur; licet cum contentione dilatari videatur thorax.

(2) reſpectu *quietis* in

a) *Frequentem* ſeu *denſam*, quæ poſt quamlibet reſpirationem vix ſenſibilem quietis moram habeat. Quod vulgus exprimit: Die Bruſt geht immer in einem jagen; & in

b) *Ra-*

b) *Raram*, cum qua *Longa* coincidat, quæ notabile quietis interuallum inter quamuis reſpirationem interiectum habeat.

(3) reſpectu *temporis* in

a) *velocem* ſeu celerem, in qua exſpiratio inſpirationem continuo excipiat; & in

b) *Tardam*, in qua actus reſpirationis ſegnius ſuccedat ac lente abſoluatur. Differt a *rara:* in hac enim quietis mora inter duas reſpirationes præter naturam longa intereſt; licet ipſe actus vitalis *velox* æque ac tardus eſſe poſſit, in illa vero energia ſegniter operans arguitur, ſine notabili interuallo, inter inſpirationem & exſpirationem obſeruando.

2) *Compoſitæ*, quas etiam *difficiles* vocare ſolebant, quemadmodum e *Galeni lib. III. de difficult. reſpirat.* manifeſtum eſt. Quarum ſpecies ſunt

(1) *Magna & velox*

(2) *Magna & tarda*

(3) *Parua & velox*

(4) *Parua & tarda*

(5) *Frequens & magna*

(6) *Frequens & parua*, quam *Hippocrates* ſpiritum exilem, imminutum, obſcurum vocare ſolebat.

(7) *Rara & magna*

(8) *Rara & parua*, quæ omnium peſſima habetur.

3) *Inæquales*

(1) *Singulares*, in quibus inſpiratio & exſpiratio a ſe inuicem differunt,

a) vel ratione *motus & quietis*, ſi v. g. inſpiratio ſit *magna*, exſpiratio autem *parua*. *Conf. Hippocratis Coac. prænot. 260.*

b) vel ratione *temporis* inſpiratio *velox*, exſpiratio *tarda*.

(2) *Plurales* ſeu *ſyſtematicæ*, in quibus aliquot inſpirationes & exſpirationes inter ſe prorſus conueniunt, aliquot ſequentes autem a prægreſſis diuerſæ ſunt. e. g. quando plures *veloces* reſpirationes ſequuntur; aliquot *obſcuræ*, aut quando *magnæ raris* ſuccedunt.

4) *Exitiales*.

(1) *Frigida*, in qua ſpiritus, quem exſpirant ægri, frigidus eſt. Hæc ſemper habita fuit valde pernicioſa. *Vid. Galenus de dyſpnœa lib. III. cap. IV.*

(2) *Obſura* hoc nominis inde habet, quia dignoſci non poteſt, duret ne reſpiratio, an prorſus ceſſet.

(3) *Stertoroſa*, quæ cum ſtrepitu quodam fit, velut in illis, qui ſtertunt; cum nempe, vt *Hippocrates* ait, ex pectore ſubſtrepunt.

(4) *Luctuoſa*, quam *Hippocrates* paſſim *ſuſpirioſam*, *gemebundam* vocare ſolet. *Vid. Coac. prænot. 519. Aphoriſ. Sect. VI. 54. Prorrhetic. lib. I. n. 87.*

(5) *Offenſans*, ſeu in medio actionis interrupta; inqua

a) ſi *inſpiratio* interrumpitur, vocatur *ſpiritus duplex intro reuocatio* ſeu ſuperinſpiratio. *Hipp. lib. I. epid. æg. I. f. m. 42.*

b) ſi *exſpiratio*; *ſpiritus offendens extra delatus* ab *Hippocrate* adpellatur *in libris epidemicor. Conf. Galeni comment. IV. in aph. Hipp. f. m. 330.*

(6) *Phænomena*, in qua ægrotantes narium pinnas ſub inſpiratione dilatant, ſub exſpiratione autem collapſas oſtendunt, & ſcapulas ita mouent, vt tam earum, quam totius thoracis adpareat motio.

(7) *Sublimis* ſeu, auctore *Hippocrate*, ſpiritus ſublimis, ea reſpirationis ſpecies eſt, in qua præter illa momenta, quæ in *phænomena* obſeruantur, etiam in ſublime erigi volunt ægroti, ob inſtantem ſuffocationis metum. Vnde non numquam reſpiratio *erecta* κατ' ἐξοχὴν dici ſolet.

(8) *Inter-*

(8) *Intermittens*, ſeu per moras ceſſans, mox ſecuturæ plenariæ abolitionis indicium eſt.

6. Plures præter ea in ſyſtematibus occurrunt reſpirationum denominationes, quæ tamen ad conſuetas veteribus reduci poſſunt. Non enim quoduis ſynonymon peculiarem conſtituit reſpirationis ſpeciem. Si vero quispiam aliter adpellare velit, quemadmodum iam quidam ex recentioribus Medicis ſolent; noſtra nihil intereſt.

III. *PROGNOSIS EX RESPIRATIONE*

1. *Generalis*

1) In omni morbo tanta habenda eſt ratio reſpirationis, quanta haberi ſolet pulſus.

2) Vti non ſatis tutum eſt, e ſolo *pulſu* certam prædictionem formare: ita nec conuenit e ſola *reſpiratione*.

3) Si ad facilem reſpirationem acceſſerit pulſus robuſtus, & ægri recte ſe habeant ad illa, quæ offeruntur; bonum præbet indicium: ſi contrarium obtinet; malum.

4) Quamdiu homo vere vivit: tamdiu durat reſpiratio, licet ob eximiam paruitatem prorſus periiſſe videatur. *Vid. Galenus lib. I. de dyſpnœa cap. VIII.*

5) Quæcumque ex rebus non-naturalibus pulſum mutant; ea reſpirationem quoque varie alterare ſolent.

6) Qui in illis ætatibus viuunt, in quibus corpus naturaliter incrementa ſumit, illi reſpirationem magnam aut velocem habent.

7) E reſpirationibus *ſimplicibus* nihil certi prædici poteſt; e *compoſitis* vero, concurrentibus aliis ſignis, minime fallax veteres petierunt indicium.

8) Læſo motu ſanguinis progreſſiuo; ipſa etiam læditur reſpiratio.

9) Reſpiratio cum actio ſit, ex vitali & arbitraria mixta; a cauſſis quoque materialibus & moralibus immutari poteſt.

10) Animus abiectus & de ſalutari morbi exitu deſperatio, inſignem reſpirationi inducit languorem.

11) Vt eo certior formari queat e reſpiratione prædictio; obſeruandus erit reſpirationis vigor naturalis, qui in quibusdam, pro temperamenti aliarumque cauſſarum ratione, vigori læſo ſimilior exſiſtit. Quo obſeruato, tutius emergit in morbis præſagium.

12) Reſpiratio *magna* principii agentis robur; *parua* eius inbecillitatem denotat.

2. *Specialis*

1) *In Febribus.*

(1) Spirationis facilitas, inquit *Hippocrates*, in omnibus morbis acutis, qui in quadraginta diebus iudicantur, per quam magnam vim habere exiſtimanda eſt.

(2) Reſpiratio facilis, tametſi a naturali rhythmo velocitate deflectat, cum reliquis melioribus ſignis liberum ſanguinis progreſſum indicat, et bonum ſecretionum excretionumque ſucceſſum ſpondet.

(3) *Magna*, ſi ſine partium pneumonicarum inflammatione fuerit, præter ſufficientem in operando energiam, ſanguinis ſæpe prodit turgeſcentiam. Præterea *Hippocrates Coac. prænot. 126. Magna ſpiratio cum febre acuta in bile redundantibus abſceſſum iuxta aures promouet.*

(4) *Frequens* ſeu *denſa* & *feruida* maiorem æſtus gradum, intenſiorem orgaſmum & ſæpe pulmonis inflammationem indicat; nec aliud quam anceps ſignum in febribus ſubminiſtrat. *Vid. Hippocrates de dieb. iudic. f. m. 26. Coac. prænot. n. 260.*

(5) Anginæ, quæ vehementem ſuffocationem ac ſpirandi difficultatem adferunt, eodem aut tertio die necant. *Hippocrates in Coac. prænot. n. 363.*

(6) Rhythmi reſpiratorii notabilis mutatio, febrem quoque mutatam prodit: inprimis ſi *frequens* in *raram* & *magna* in *paruam* tranſiuerit.

(7) Of-

(7) *Offenſans*, conuulſionum ſubinde in febribus prænuncius eſt.

(8) *Gemebunda* in acutis reſpiratio, mala eſt. *Hippocratis Aphoriſ. Sect. VI. 54.*

(9) Spiritus *magnus* ac *rarus* delirium nunciat, eoque durante præſto eſt. *Vid. Hipp. Epidemic. lib. III. æg. XVI. lib. I. Epid. æg. II.* Vnde & *Galenus lib. II. de dyſpnoea cap. III.* proprium deſipientiæ ſignum eſſe dicit.

(10) Reſpiratio *rara*, *magna* & ſub inſpiratione *offenſans* adpropinquantis mortis eſt indicium. *Hipp. lib. I. Epid. ægrot. I.*

(11) Ita etiam *parua*, *rara* aut *obſcura*, ob extremam virium iacturam, proxime inſtantem mortem nunciat.

(12) Reſpiratio *difficilis* cum delirio, febris exitum lethalem certo portendit.

(13) Exſpiratio *frigida* mali euentus ſemper eſt præſagium.

(14) Reſpiratio *ſtertoroſa*, in bronchiis hærentes impuritates, exſcreandi impotentiam, toni relaxationem & inſtantem mortem prænunciat.

(15) *Phænomena* & *ſublimis* tam motuum vitalium, quam organorum reſpiratoriorum læſionem ipſamque mortem denunciant.

(16) Spiritus *fœtidus*, pulmonibus non exulceratis, in febribus acutis ſemper ominoſus eſt. Præbet enim indicium de putredine, quam humorum maſſa iam concepit.

(17) Spirationes *ſuſpirioſæ* in febribus abortionis periculum adferunt. *Coac. 540.*

2) *In aliis Morbis*

(1) Reſpirationis læſio vti in aſthmate in primis conſpicua fit: ita vario modo ſe prodit. In aſthmate ſiquidem humido *difficilis* eſt ac *breuis*, ob materiam circa pectus collectam, quæ pulmones comprimit, eorumque dilatationem prohibet, cum ſono ſpumidæ quaſi ebullitionis,

nis, als wenn es immer in der Bruſt kochte. Aſthma vero ſiccum reſpirandi difficultatem ſine breuitate oſtendit, cum ſibilo tamen ſub inſpiratione acuto & ſonoro.

(2) *Difficilior* longe eſt in empyemate, catarrho ſuffocante & vteri ſtrangulatione. In illo ob materiam purulentam in cauum thoracis effuſam; in iſto ob humorum in pulmones paralytice relaxatos irruptionem; in hac vero ob ſanguinis verſus ſuperiora congeſtionem.

(3) Reſpiratio *difficilis* in ſubiectis antehac ſcabioſis, ſcabiei vel retroceſſionem, vel præpoſteram repulſionem indicat.

(4) *Dyſpnœa*, importunam hæmorrhagiarum per adſtringentia ſuppreſſionem excipiens, ob ſanguinis ad pectus regurgitationem oppletoriam, aſthma ſuffocans portendit.

(5) Quibus diarrhœæ ſuppreſſæ ſunt per incongrua medicamenta, ii dyſpnœa vexantur.

(6) *Difficilis* reſpiratio hypochondriacorum & hyſtericarum ſi plane anxia euadit, plerumque nimiam flatulentiam, vel pertinacem alui obſtructionem pro fundamento habet.

(7) *Dyſpnœa* cum palpitatione in ſubiectis, ceteroquin ſanis, vel plethoram, vel hæmorrhagiarum ſuppreſſionem, aliquando & polypum ſubeſſe confirmat.

(8) Spirationes, quæ non niſi erecta ceruice ducuntur, hydropem ſiccum faciunt. *Hippocrates Coac. prænot. 424.*

(9) Reſpiratio *difficilis* circa mediam noctem grauiter adfligens, ex crebra *Nenteri* obſeruatione hypropis lethalis prænuncius eſt.

(10) *Dyſpnœa* ictericorum, pulmonum coarctationem per conſenſum indicat. Dum enim hepar præter naturam conſtrictum ſeruatur; pulmones quoque & thorax, ob neruos, a communi origine pari nempe vago, abſcedentes ſimul coarctantur.

(11) *Dif-*

(11) *Difficile* quoque reſpirant, qui vel in liene vel in hepate infarctum aut ſcirrhum habent reconditum. Quo reſpexiſſe videtur *Galenus lib. I. de diffic. reſpir. cap. XII.* quando ſcribit: *qui hepar aut ſplenem, aut aliud ex prædictis membris dolore vexatum habent, ii difficulter reſpirant.*

(12) Qui, repleto cibis ventriculo ſedendo abdomen comprimunt; citra morbi ſuſpicionem aliquamdiu impedite reſpirant.

(13) Sudorem ſuppreſſum a ſenſibilibus facile excipit dyſpnœa.

(14) Spirandi difficultas, a regiminis vel diætæ errore inducta, poſtridie ſæpe deſinit. *Hipp. lib. II. prorrhetic. ſ. m. 66.*

(15) *Tarda* & *debilis* vel animi mœrorem manifeſtat, vel virium inſignem iacturam.

(16) Dyſpnœa, cum læuitatibus inteſtinorum, tendit in phthiſin *Hipp. Coac. prænot. 469.*

(17) Phthiſicis, qui areſcunt & difficili reſpiratione laborant, quando multa cruda excernunt, exitium imminet. *Coac. prænot. 445.*

(18) Quæ puellæ orthopnœa vexantur, iis vterum ferentibus mammæ pus colligunt *Coac. præn. 549.*

(19) Spirationes *ſuſpirioſæ*, quæ foras educuntur, nempe exſpirationes interruptæ, vterum gerentibus conuulſiones & abortum minantur. *Coac. prænot. 519.*

(20) *Magna* & *tarda* ſolis mente motis propria eſt, nec tamen ſemper. *Galenus lib. I. de diſp. cap. XX.*

(21) Quando aut tumor, aut dolor quiſpiam in partibus iuxta ilia conſtiterit, *paruus* & *denſus* neceſſario fit ſpiritus. *Galenus lib. III. de diffic. reſp. cap. XII.*

(22) Halitus, qui exſpiratur *fœtidus*, chronicæ corruptionis teſtis eſt. Obſeruatur autem talis in ſtomacace, dentibus fiſtuloſis, faucium exulceratione, vomica ru-

 pta

pta ac venereo malo. Quo magis vero anhelitus cadauer olet, eo certiorem minatur perniciem.

(23) Reſpiratio *ſtertoroſa* cum ore ſpumante in apoplecticis mortem iamiam inſtantem indicant.

(24) Reſpiratio *rara* et *parua* tam ominoſa eſt, ac ipſa *frigida.*

(25) Supra recenſitæ reſpirationes veterum *exitiales* hic repeti debent & opportune adplicari.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Quod *Galenus lib. II. de diffic. reſpir. cap.* II. monet, id ad pleraque ſigna in Semeiologia adplicari debet. *Nihil enim,* inquit, *eorum, quæ manifeſto adparent, veritatis cultoribus occultandum eſt, etiamſi ætiologia quam maxime incerta ſit.*

2. Præter ea *Hippocratem* laude dignum cenſet, quod varias difficilis reſpirationis ſpecies adnotauerit, de cauſſæ ratiocinatione non ſollicitus; ſiquidem plurimorum, quæ occurrunt, rationes nos fugiunt, quæ tamen vtique obſeruanda ſunt. Tandem inuehitur in quosdam ſophiſtas, qui *raram* & *magnam* reſpirationem negare non dubitauerint, quia cauſſæ inopes ſeu ignari fuerint.

3. Quod in *Patholog. tab. de febrib.* iam monuimus, de non oppugnandis ſymptomatibus, non tacta morbi cauſſa; id de nouo repetendum ducimus; ne quis ſcilicet reſpirationi, præter naturam conſtitutæ, per incongrua antaſthmatica obviam ire ſuſtineat. Euentus enim eiusmodi medicationis ſemper infidus eſt, qualiscumque etiam ſigna celeris emendationis oſtendere videatur.

4. Cum inſuper actus reſpiratorius cum pulſorio perpetuo ſymbolizet, vti e phyſiologicis præceptionibus conſtat: tum facile pateſcit, quod de reſpirationem alterantibus tam ſollicite cogitandum non ſit, quia motum progreſſiuum varie moderari, adeoque ipſum ſimul reſpirandi actum emendare posſumus.

5. Reſpirationis anomalia in quibusuis morbis, a cauſſis nonnatura-

naturalibus inducta; iisdem ſublatis ad priorem plerumque redire ſolet ſtatum. Congrua diæta & regimen ſemper moderatum inprimis hic commendanda veniunt.

6. Tametſi venæſectio ſæpe difficili reſpirationi optatam medelam adferat: circumſpecte tamen & opportuno tempore eadem adhibenda eſt; id quod in febribus præcipue valet, in quibus, ſi ευκαιρια venæſectionis obſeruata fuerit, tota ſubſequens curatio aliquod inde capere poterit commodum; ſi vero præpoſtere, damnum eo maius erit.

7. Ita in aliis morbis chronicis, vbi difficilis reſpiratio iteratis vicibus ſuffocationis metum incutit, venæſectio autem certum alias leuamen adfert: prouide diſpiciendum, vtrum alia non adſint auxilia, quæ pari effectu ſuffocationem auertere queant, ne ad quemuis inſultum vena ſecanda ſit; ſiquidem & his natura adeo adſueſcere poteſt, vt tempore progrediente etiam iſta efficaciæ ſuæ vim amittat, & Medicum, de aliis remediis non ſollicitum, plane inermem reddat.

8. Specialia monita huc congerere, inſtituti ratio vetat, ne therapiam ſignorum doctrinæ improuide immiſcuiſſe videamur.

TABVLA IV.

DE MOTVS TONICI ALTERATIONIBVS.

I. DEFINITIO.

Motus tonicus eſt vniuerſalis motuum vitalium actus, qui in partibus ſolidis muſculoſo-poroſis contingit, easque ad certos fines varie intendit & relaxat.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quemadmodum de *toni* energia & officio ſecundum naturam in *Phyſiologia*; de eius autem læſionibus in *Pathologia* tractauimus: ita in *Semeiologia* ſignorum diagnoſticorum & prognoſticorum habemus rationem, quæ ex illius alterationibus, dum vel excedit, vel deficit, petenda ſunt.
2. Sicut autem motus tonicus vel *excedens* eſt, vel *deficiens*, vel *mixtus*: ita ſigna
   1) *excedentis* ſunt:
      (1) Horror
      (2) Rigor
      (3) Singultus
      (4) Conuulſio
   2) *deficientis*:
      (1) Laſſitudo
      (2) Torpor
      (3) Aphonia ſeu loquendi impotentia.
   3) *Mixti:* quando in vna eademque parte *tenſus* ac ſimul *remiſſus* eſt, tum peculiaris inde naſcitur alterationis ſpecies, nempe *tremor*.

3. Qua

3. Qua vero ratione inter ſe differant hæ alterationum ſpecies, id veteres iam explicare conati ſunt. *Vid. Galenus libro de tremore ; & lib. IV. de locis adfectis cap. I.* Nimirum

1) *Horror* habetur repentina atque tranſiens cutis ſeu peripheriæ conſtrictio.

2) *Perfrictio* diutius durat, quam *horror;* vnde primus gradus *rigoris* dicitur. Præter ea ab *horrore* in eo differt, quod plura membra occupet, horror autem dorſi potiſſimum regiones ſubito perreptet ac quatiat.

3) *Rigor Galeno* audit inæqualis totius corporis concuſſio & turbatio. *Vid. eius liber de cauſſ. ſymptom. cap. VIII.* Sed ſpaſmodicum partium fibroſo-muſculoſarum eſſe conſtrictionem & mobilitatis impedimentum, ex *pathologia* conſtat. *Triplex* autem a *Bagliuio* conſtituitur *rigor:*

(1) *Criticus*, qui excretionem iudicatoriam antecedit, eiusque eruptionem prænunciat.

(2) *periodicus*, qui in paroxyſmo frigoris febrium intermittentium occurrit.

(3) *ſymptomaticus*, qui quidem ad antecedentem non inepte referri poſſet, ſed vt eo diſtinctius alii rigores vagi a rigore febrili dignoſcantur, *ſymptomaticorum* nomen illis tribuitur.

4) *Singultus* ab aliis ad ſpaſmos, ab aliis ad ſemi-conuulſiuos motus refertur.

5) *Conuulſionem*, exacerbati toni ſummum gradum, in Pathologia *tab. de ſpaſmis & conuulſionibus* prolixe explicauimus.

6) *Laſſitudo* & *torpor* cum a motus tonici energia *deficiente* dependeant; a prioribus toni alterationibus clare ſatis diſtinguuntur. De *ſpontanea* vero laſſitudine, vti *Hippocrates* eam *Aph. II. 5.* vocat, veteres differentias conſtituerunt *tres*, quibus recentiores *quartam* addiderunt.

(1) *Prima* referre dicitur ſenſum *vlceris ;*

(2) Altera *tenſionis ;*

(3) Tertia *inflammationis.*

(4) *Quartam* recentiores laſſitudinem adpellant *oſſifragam.* Ratio autem denominationis vnius cuiusque hæc eſt: credunt nempe in laſſitudinis ſpecie *prima* adfici partes membraneo nerueas; in *ſecunda* muſculoſas & fibroſas; in *tertia* membraneo-fibroſas; in *poſtrema perioſtium* & huic adhærentes *tendines.*

7) *Subiectum* laſsitudinis aliquando ſunt omnia membra, ſæpius ſoli artus, interdum coxendices, ſubinde collum & caput. Alii ex viſceribus internis ſigillatim laſſitudinis ſubiectum hoc vel illud nominant; quos tamen hic attendere præter inſtitutum eſt. Interim notare conuenit, quod hæc laſsitudo non confundenda ſit cum grauitate artuum, in qua ſtricturam potius, quam toni defectum, accuſamus.

III. *PROGNOSIS EX TONI ALTERATIONIBVS*

1. *Generalis*

1) Quando toto corpore mutationes contingunt, ita vt illud promte refrigeretur rurſusque calefiat, vel color alius ex alio oriatur; tum morbi longitudinem ſignificant.

2) Quibus cutis eſt arida & dura, ii ſine ſudore moriuntur; at quibus laxa & rara, cum ſudore vitam finiunt. *Hipp. Aph. V. 71.*

3) *Rigores* in mulieribus initium magis ducunt ex lumbis & per dorſum ad caput perueniunt; ſed viris parte corporis poſteriore potius, quam anteriore. *ib. 69.*

4) *Rigor* quandoque fit ſine febre, plerumque vero cum illa. Ita *Galenus* ex eſu dactylorum aliquem *Alexandriæ* vidit ſine febre riguiſſe. Et *Hippocrates* vxorem *Epicratis,* inſtante partu, rigore correptam meminit *lib. I. epid. æg. V.*

5) *Rigorem* in febribus *paroxyzantem* periculo vacare, experientia pridem firmatum eſt.

6) Si poſt *rigorem* corpora facile iterum incaleſcunt, nihil mali videtur metuendum.

7) *Rigor,*

7) *Rigor*, qui ſalutarem excretionem præcedit, omnium cenſetur optimus.

8) *Conuulſionum* effectus tantum non ſemper pernicioſus eſt; aliquanto tamen nihil nocere ſub *prognoſi in febribus* indicabitur.

9) Qui quartanis corripiuntur, fere *conuulſione* non tentantur. *Aph. V. 70.* In hac enim febre motus præ aliis febribus placide inſtituuntur.

10) *Singultus* cum *conuulſione* hoc habet commune, vt malum aliquod plerumque portendat præſente grauius.

11) Qui vero citra morbum *ſingultiunt*, e. g. repleto cibis ventriculo, illis nihil imminet periculi.

12) *Laſſitudo, impotentia*, & *torpor* ſine aliqua excretione exſiſtente aut prægreſſa; perniciem intentant. *Prorrhetic. I. 40.*

13) Ad *laſſitudinem* ægri, ſi inſuper acceſſerint aluus humida, ſitis, vigiliæ, capitis dolor, obſcura locutio; mentis emotionem exſpectare oportet. *Prorrh. I. 38.*

14) *Vocis defectio* & *paralytodes artuum tremor* toni læſionem defectiuam arguit, & plenariam motuum omisſionem portendit.

2. *Specialis*

1) *In febribus*

De Horroribus.

(1) Horror in continua febre ſuccedens, numquam bonus eſt.

(2) Si horrores in acutarum principio frequenter incidunt, difficilem earum ſucceſſum præſagiunt.

(3) Horrores contra, poſt quos continuæ intermittere cœperunt, in bonis ſignis numerari ſolent.

(4) Horrores pariter in ardentibus boni habentur ominis, ſi eadem hora, qua facta eſt exacerbatio, frigus, horror & rigor adpareant. *Proſp. Alpinus de præſag. lib. III. cap. XI.*

(5) Hor-

(5) Horror criticus, qui cum aliis ſignis coctionis adparet, & copioſam excretionem pediſſequam habet, laudabilis eſt. Vnde *Cous in Prorrhet. l. 149: Quibus, vbi inhorruerint, ſudores ſimul iudicatorii contingunt, & horror poſtridie repetierit, cum peruigilio, iis forte ſanguis e naribus erumpet. Conf. eiusd. lib. III. epid. æg. ex ſedecim XII.* in quo de virgine in *Lariſſa* refert: eam ſexto die multum ſanguinis per nares profudiſſe, ac vbi inhorruiſſet, per ſudorem copioſum & calidum iudicatam, ſeu a febre liberatam eſſe.

(6) Si partes in acutis externæ frigeant, internæ vero vrantur, & ſiti vexentur, lethale eſt. *Aphoriſ. IV. 48. Coac. prænot. 115.*

(7) Horrores in principio febrium peſtiferarum crebriores, malum omen præbent. *Vid. Hipp. lib. III. epid. f. m. 75.*

(8) Qui laſſitudine laborant, & cum horrore criſeos ſchema præ ſe ferendo leuiter exſudant, celeriterque ad calorem reuocantur, ii male habent. *Coac. prænot. 36.*

De Rigoribus.

(9) Rigorem *periodicum* minime noxium eſſe, prognoſis generalis num. 5. docuit. Vnde veterum axioma: *quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur.*

(10) Rigor die iudicatorio ſuperueniens, ſalutaris habetur, ſi inprimis poſt rigorem facile incaleſcant ægri & critica ſuccedat excretio. *Ita Hipp. lib. I. epid. ſtatu III. æg. V.* de puerpera die XIV. rigente, & die XV. ſudorem experta, hiſtoriam adfert; *& lib. III. epid. æg. V. Chairionem* ſeptimo die nouo ſuborto rigore & febre acuta prehenſum, ſudore per omnia membra diffuſo, iudicatum meminit.

(11) Rigor vero *cum* criſi ſimul adparens non nihil metuendus eſt. *Prorrhet. l. 107.*

(12) Ita

(12) Ita porro rigores cum criſi aliqua *non iudicante*, v. g. frigido ſudore, poſt quem difficile incaleſcunt corpora, malum præbent omen. Dum enim nec febris vehementia frangitur, nec ſymptomata tolluntur, criſis licet copioſior, lethum præſagit. Sic obſeruauit *Hipp. lib. III. epid. æg. XII.* mulierem, quæ ſæpe obriguerit, & per ſudores, vomitus frequentes, largam diureſin ac hæmorrhagiam narium multa excreuerit, die XIV. mortuam eſſe. Et *lib. I. epid. ſtatu II. æg. XII.* ſiſtitur vir, qui poſt rigorem febre correptus & calido ſudore perfuſus, vndecimo die exſpirauerit.

(13) Febre ardente detento, ſi rigor ſucceſſerit, ſolutio contingit. *Aphoriſ. V. 58.*

(14) Qui in ardentibus ſub initium ſtatim intenſo æſtu & rigore corripiuntur, inſomnes fiunt ac anxii, iis impendet exitium. Hinc *lib. I. prorrhetic. 67. Hippocrates* obſeruauit, rigores cum æſtu eſſe periculoſos, ſub quibus facies incenſa ſit & ſudor erumpat. Si inſuper poſteriores partes frigeant, conuulſiones prouocari.

(15) Qui ſexto die rigore corripiuntur, ii iudicium difficile adferunt. *Coac. 15. Aphoriſ. IV. 29.*

(16) Rigori & horrori, qui die iudicatorio adparent, ſi coma ſuperuenerit, mortem proxime imminere indicat.

(17) Continentes rigores in acutis malum exitum præſagiunt *Coac. 21.*

(18) Rigores in iis febribus, quæ ad tertianarum naturam accedunt, ſi in medio ingraueſcunt, febre nullum ordinem ſeruante, maligni valde ſunt. *Coac. 26.*

(19) Spaſticæ dorſi tenſiones vti ſynochis, petechialibus, variolis & morbillis ſatis familiares ſunt: ita peculiare aliquod malum ex illis prænunciare non licet.

De Conuulſionibus.

(20) Conuulſiones, in acutarum principio, humorum plerumque denotant abundantiam. Et quamuis cer-

 tum

tum periculum non indicent; grauiorem tamen morbum fore declarant. Mitiorem paululum prognoſin in variolis obſeruamus.

(21) Adultiores, & qui ſeptimum annum exceſſerunt, conuulſione in febre non prehenduntur; alioquin periculum denunciatur. *Coac.* 357.

(22) Conuulſio in febre ſuborta, eademque die deſinens, nihil metuendum eſſe declarat. *Coac.* 156.

(23) Ita pariter conuulſio, cum coctionis ſignis ingruens, non adeo pertimeſcenda eſt.

(24) Præter ea conuulſio in febre, manuum pedumque dolores, maligni quid produnt. *Coac.* 30.

(25) Pueris, quos conuulſiones cum febre tentant, aut huic ſuccedunt, quamuis diuturnæ ſint: innoxias tamen eſſe obſeruantur, niſi reliqua omnia perniciem nuncient. *Coac. 356. lib. I. epid. ſtatu II. f. m. 18.*

(26) Conuulſio in acutis minuitur per ſuperuenientes rigores, ſi febris ſimul augeatur.

(27) Conuulſiones & vehementes circa viſcera dolores mali ſunt ominis. *Aphoriſ. IV. 65. Coac. 356.*

(28) Phrenitis exitialis hoc habet proprium, vt in conuulſiones deſinat.

(29) Conuulſio febri ſuperueniens periculoſum; febris vero conuulſioni ſuccedens melius ominatur. *Coac.* 358.

De Singultu.

(30) Singultus in febre *lygmode* veterum, ſeu ſingultuoſa, pertinaces ſunt ac diuturni; hinc ſemper ſingultiunt ægri.

(31) Singultus in febribus ſemper ſuſpecti habentur, quia vel hepatis, vel ventriculi, vel vteri inflammationes arguunt. Vnde nonnumquam ſingultus apud Practicos κατ᾽ ἐξοχὴν ſtomachi ſeu ſiniſtri oris ventriculi conuulſio audit.

(32) Qui

(32) Qui in febribus poſt vomitus nigrorum ac fœtidorum multum ſingultiunt; illis proxime inſtat interitus.

(33) Febrientes, ſi facie exſiſtente *Hippocratica* multum ſingultiunt, agoni ſunt proximi.

De Torpore & Tremore.

(34) Quibus in ardentibus torpor, ſomnolentia & tumores obueniunt, eos lateris dolor accedens cum leui partis alicuius ſideratione necat. *Coac. 60.*

(35) Quibus per febres laſſitudinis ſenſus ineſt, illis ad articulos, & potiſſimum circa maxillas, abſceſſus oriuntur.

(36) Torpor, ex rigore ortus, in acutis malignitatem arguit.

(37) Torpor & impotentia in anginoſis citra criſin cum dolore præcordii obueniens, inſidioſe necat, licet non adeo male ſe habere videantur. *Coac. 374.*

(38) Torpores partium, in febribus ſemper mali, niſi forte morbo magnam partem iam ſubacto, adeoque critice adpareant.

(39) Torporis in conuulſionem, & huius in illum mutatio ſemper minatur periculum.

(40) Vehementes phrenitides in tremorem deſinunt; vnde etiam mortis eſt prænuncius. *Prorrhet. I. 9. Coac. 97.*

(41) Tremores, qui ad conuulſiones accedunt, cum ſudoribus, minantur recidiuas. *Prorrhetic. l. 105.*

(42) Tremores, qui in ardentibus contingunt, ſoluuntur a delirio. *Aph. VI. 26. Vid. Galenus in comment.* ad hunc *aphoriſ. f. m. 344.* Dubitat enim de auctoritate huius adſerti, quod non videatur eſſe *Hippocratis.*

(43) Febres, quæ ſoporem laſſitudinemque inducunt, aut in quibus caligant ægri, agrypnia & tenui ſudore vexantur, malignæ ſunt. *Prorrh. I 41.*

De Aphonia.

(44) In febre mutum eſſe, malum. *Coac.34.* Et vocis defectiones, quæ in febribus conuulſionis ſpeciem præ ſe ferunt, in vehementem mentis emotionem cum ſilentio vertunt, & perniciem oſtentant. *Prorrh. I.54.*

(45) Præcordiorum dolores & impotentia loquendi in febribus, ſi ſudore non ſoluantur, malignum. *Prorrh. I. 90.*

(46) Quibus vox poſt iudicationem deficit, ii ſopore & tremore correpti intereunt. *ib. 91.*

(47) Vocis ex capitis dolore defectiones in febre cum ſudoribus, ſi per ſe reſoluuntur ægri, ac præter voluntatem excrementa demittunt, malumque remittere videtur; diuturniorem morbum metuere oportet. In his de nouo ſubortus rigor damnandus non eſt.

(48) Defectiones vocis, quæ ex rigore fiunt, illæ tremore ſoluuntur. *Coac.27.* Alias vox ex rigore intercepta, perniciem denunciat. *ib. 39.*

(49) Qui in febre voce defecti iacent, & oculis conniuentibus nictantur, hi euadunt quidem, ſi poſt narium hæmorrhagiam & vomitum ad loquelam & ad ſe ipſos redeant. Si vero contrarium accidat, cum ſpirandi difficultate, celeriter intereunt. *Coac. 77.*

(50) Quos vox cum febre ſine vlla criſi deficit, ii tremuli intereunt *Coac. 247.*

(51) Vocis defectiones cum virium exſolutione in acuta *ſine* ſudore, ſunt quidem lethales; *cum* ſudore autem minus; morbi interim diuturnitatem ſignificant. *Coac. 256.*

(52) Aphonia cum ſingultu peſſima.

2) *In aliis morbis*

De Horroribus.

(1) Crebri ex dorſo horrores ſubinde locum commutantes,

tes, graues & difficiles, laborioſam vrinæ ſuppreſſionem minantur. *Prorrh. I.75.*

(2) Qui ſubinde inhorreſcunt, ex capite laborantes, tenuiter exſudantes; ii maligne habent. *Coac. 12.*

(3) Qui per ſanitatem crebro inhorreſcunt, ii ex ſanguinis fluxu purulenti euadunt. *Coac. 16.*

(4) Vbi horror in morboſo pathemate incidit, cum difficultate ſpirandi; ibi tabes denunciatur.

(5) Qui ſubinde inhorreſcunt, ac incontinenti corporis iactatione, cum laſſitudinis ſenſu & lumborum dolore, conflictantur, iis alui effunduntur. *Coac. 19.*

(6) Qui perfrigeſcunt ex tenui ſudore poſt narium hæmorrhagiam; ii male habent. *Coac. 40.*

(7) Perfrictiones ex rigore, malæ ſunt, eæ inprimis, quæ ad calorem non reuocantur. *Prorrhet. I.65.*

(8) Ex perfrictione exſudantes, ad calorem reuocati, periculum denunciant, præſertim ſi accedat lateris æſtus cum dolore & rigore. *ib. 66. Coac. 52.*

(9) Mulieribus ſubinde horrore tentatis, laſſitudine & capitis grauitate conflictatis, menſes erumpere ſolent. *Coac. 541. 548.*

(10) In omni ſuperflua purgatione frigus cum ſudore exitiale. *Coac. 568.*

(11) Ex ſudore horror minime bonus. *Aphoriſ. VII. 4.*

(12) Ex perfrictione metus ac animi abiectio, præter occaſionem, in conuulſionem tendit. *Coac. 4.*

De Rigoribus.

(13) In rigore familiares non agnoſcere & eorum, quæ geſta ſunt, obliuiſci, malum indicat. *Prorrh. 64.*

(14) Qui ſubinde rigore prehenduntur, & ſub noctem aliquanto grauius habent peruigiles; in ſomnis vero qui nugantur, delirant & lotio interdum ſe perfundunt, illi in conuulſiones cum ſopore tendunt. *Prorrhet. I. 101. Coac. 20.*

(15) Quibus mulieribus ex rigore febres adſunt, cum laſſitudinis ſenſu; in illis menſes exſpectare oportet. Quod ſi inſuper ceruicis dolor prehenderit, ſanguinem ex naribus erupturum ſpes eſt. *Prorrh. I. 142.*

(16) Rigores, qui ſanguinis eruptioni ſuccedunt, diuturni fiunt. *ib. 151.*

(17) Aſſidue vexans rigor, corpore iam imbecillo, lethalis eſt. *Coac. 9. 21.*

(18) Qui rigores ex dorſo proficiſcuntur, grauiores ſunt & moleſtiores. Vbi vero quis XVII. die rigore correptus, vigeſimo quarto iterum riguerit, is male habet. *Coac. 11.*

(19) Rigor cum *Opiſthotono* mortem adfert. *Coac. 23.*

(20) Eclyſes ex rigore & cephalalgiæ pernicem, denunciant. *ib. 22.-28.*

(21) Quibus rigor adeſt, iis vrina reſtitat. *Coac. 29.*

(22) Qui ex vulnere ſubinde rigentes ſanguinem profundunt; ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. *ib. 328.*

(23) Ante partum ſubinde rigore corripi, & citra dolorem parere, periculum indicat. *Coac. 538.*

(24) Ex multo potu rigor & delirium, malum. *Aph. VII. 7.*

De Conuulſionibus.

(25) Conuulſio ex repletione aut inanitione oritur; ſicut etiam ſingultus. *Aphoriſ. VI. 39.*

(26) Ex vulnere conuulſio lethalis. *Coac. 355. Aph. V. 2.*

(27) Inſanientibus accedens conuulſio, oculorum aciem retundit. *Coac. 485.*

(28) Ex epoto veratro conuulſio exitium adfert. *Coac. 567. Aphoriſ. V. 1. VII. 25.*

(29) Conuulſiones in mente captis ſemper ſuſpectæ.

(30) Conuulſio aut ſingultus poſt profuſam purgationem, malum præſagit *Aph. V. 4.*

(31) Con-

(31) Conuulſio & leipothymia fluxui muliebri aut ali hæmorrhagiæ ſuperueniens, portendit periculum. *Aphoriſ. V. 56. VII. 9.*

(32) Conuulſio aſſiduis vigiliis aut doloribus ſuccedens, ſiniſtrum præbet omen.

(33) Conuulſio a plethora originem trahens, eadem imminuta, ſponte euaneſcit.

(34) Conuulſiones chronicis viſcerum læſionibus ſuperuenientes, pertinaces ſunt, nec facile medicationi auſcultant; per anodyna vero cohibita paulo poſt magis ferociunt.

(35) Anginæ ſuccedens conuulſio, lethalis.

(36) Qui *tetano* corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; ſi hos ſuperauerint, ſani fient. *Aphoriſ. V. 6.*

(37) Conuulſiones in vteri ſtrangulatu, antea non expertæ, impoſterum facilius reuertuntur. *Coac. 349.*

De Singultu.

(38) Singultu, laſſitudine & *catocho* detenti, in vitæ periculo verſantur. *Coac. 45.*

(39) Singultus diarrhœæ aut dyſenteriæ ſuccedens, periculum nunciat.

(40) Singultus, conuulſio, aut delirium, ilei inflammationi ſuperueniens, mortem præſagit. *Aph. VII. 10.*

De Laſſitudine & Torpore.

(41) Delaſſati ægri, caligine obducti, peruigiles & ſoporoſi, cum tenui ſudore recaleſcentes, male habent. *Coac. 35.*

(42) Laſſitudines ſponte obortæ morbos prænunciant. *Aphoriſ. II. 5.*

(43) Torpor vbi rigori ſuccedit, mentis alienationem ſignificat *Prorrhet. l. 35.*

(44) Αδυναμιαι ſeu impotentiæ, quæ præter aliquam inanitionem contingunt, perniciem indicant. *ib. 40. Coac. 54.*

(45) Tor-

(45) Torpor in contraria celeriter mutatus, malum præ-nunciat. *Coac. 59.*

(46) Quibus non cogitantibus vrina decidit, ac pudendum contrahitur, ii deſperati ſunt. *Coac. 474.*

(47) Torpores & ſtupores præter conſuetudinem, apoplecticum periculum adfore indicant *Coac. 476. 478.*

De Tremore.

(48) In furioſa & vehemente mentis emotione ſuccedentes tremores malignitatem nunciant. *Prorrh. 14. Coac. 93.*

(49) Aliquando excluduntur ſub tremoribus calculi, quod ſenibus contingit, qui febre laborant.

De Aphonia.

(50) Aphonia ex vermium adflictione, aut ingenti terrore, facilius tollitur, nec facile balbutiem poſt ſe relinquit; quæ vero poſt lapſum ex alto adfligit, difficilior exſiſtit.

(51) Aphonia ex vulneribus, ſignum valde ambiguum eſt.

(52) Aphoniam ex rigore, ſoluere poteſt tremor.

(53) Vocis defectio ex dolore, tandem cum ſummo cruciatu mortem adfert *Prorrh. I. 55.*

(54) Aphonia cum *eclyſi* & *catocho*, pernicioſum *Prorrh. I. 96.*

(55) Loquendi impotentia cum inſania, funeſtum ominantur exitum *Coac. 254.*

(56) Aphonia in conuulſionibus multum perſeuerans, malum. *Coac. 359.*

(57) Si ebrium quempiam repente vox deficiat, conuulſus moritur, niſi eum febris prehendat, aut poſt crapulam vox redeat. *Aph. V. 5.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Signa e motus tonici alterationibus prouenientia, ac inde formandas prognoſes recenſuimus. Iam quid emolumenti praxis

praxis clinica ex hiſce momentis capere poſſit, porro diſpiciendum.

2. Vti naturæ opus eſt, motus in corpore excitare congruentes: ſic artifex, eidem ſuccurrendo, caute ſe gerat, neceſſe eſt. Non enim in negotio motuum omne, quod artifici libet, impune pariter per naturam licet, ſed illud tantummodo permitttitur, quod certo expedit & finali naturæ intentioni conueniens eſt.

3. Iam ſi v.c. rigores habito ſolum reſpectu ad membrorum immobilitatem & perfrictionem adgredi vellemus *externe* emollientibus & vnguinoſis; *interne* vero calidis & orgaſmum concitantibus: nullum plane ſperare liceret vtilitatis effectum, nedum verum leuamen. Si enim critice rigeant membra, ob neceſſariam humorum ad excretorium aliquod reſtrictionem & inſtantem criſin: tunc nihil naturæ magis inimicum eiusque molimini plus aduerſum ſuſcipi poſſet, quam importuna eiusmodi emollitio & artificialis relaxatio. Et id ipſum etiam valet de præpoſtera calidorum propinatione; wann man durch ſtärckende und kräftige Artzneyen die Wärme in die ſtarrende Glieder bringen will. Nam loco intentatæ incaleſcentiæ membrorum frigentium, orgaſtica fit commotio & ominoſa cœptæ criſeos perturbatio. Vbi vero non criticus, ſed ſymptomaticus adfuerit rigor; ibi rigorem demulcere prorſus fruſtraneum; conuenit potius materiam peccantem reſpicere: hac enim ſublata rigor ſponte euaneſcit.

4. Conuulſionum aliæ de admittenda medela ſpem relinquunt; aliæ contra omnem adimunt. Si iam eadem methodo ſingulas tractare adniteremur, magnæ apraxiæ daremus documentum. Nam conuulſio, quæ ſanguinis abundantia nititur, dextre tractata, ceſſat; quæ vero vltimi conaminis eluctatorii vices explet et inflammationibus grauibusque vulneribus, nimiæ humorum profuſioni ſuperuenit, illa ægerrime mitigatur, rariſſime percuratur.

5. In virium præter ea & motuum omiſſione quam anceps ac pæne irritum ſit, aliquid tentare, ratio & experientia docent.

cent. Vnde etiam fit, vt Medicus in tonicæ actionis abolitionibus actiuis, magis ſpectatorem, quam officioſum miniſtrum agere ſoleat; cum certum ſit: naturam, antea quietam, facilius ad turbulentos motus per artificia ſeduci, quam, vbi eorumdem omiſſionem decreuit, ad eosdem readſumendos pro lubitu Medici excitari poſſe.

6. Hæc igitur ſigna, ex motus tonici alterationibus petita, vti ſecundum maximam ſui partem infauſta eſſe ſolent: ita ad inueniendas indicationes parum conferunt. Si enim vmquam, in motuum profecto augmentis & omiſſionibus experiri poterit Medicus & ſemetipſum explorare, quantum naturam noſſe, quantaue dexteritate eidem ſubſeruire didicerit.



TABVLA V.

DE

CRISIBVS.

I. DEFINITIO.

Criſis eſt naturæ medicatricis actus therapeuticus, quo in febre breuioris periodi, ſtato ordinarie die, ſpectabili conniſu, & vegeto plerumque ſucceſſu, materiæ peccantis largam portionem vel e corpore proſcribere, vel, ſin hoc fieri non poſſit, in loca commodiora expellere intendit.

II. DIFFERENTIA.

1. Salutaris febrium exitus fit
   1) vel per *criſin*, quæ *cito* contingit, & præcipue in acutis locum habet.
   2) vel per *lyſin*, quæ *ſucceſſiue* perpetratur, & intermittentibus familiarior eſt. Quæ lenta morborum ſolutio a vera criſi ſatis ſe diſtinguit: ſicut enim plura ſeptenaria requirit; ita neque inſignes excretiones, neque decubitus ſubito formare ſolet.
2. De *criſibus* plures inter Medicos agitantur controuerſiæ
   1) Alii enim exitus tantum *ſalutares* & *legitimos* hoc nomine intelligunt. Sic *Galenus* criſin vocat ſubitam ad ſanitatem conuerſionem, quæ per manifeſtam *eccriſin* aut *abſceſſum* effatu dignum contingat; quæ vero aliter fiat, malignius retrocedere dicit. *Vid. eius libr. III. de criſibus cap. II.*
   2) Alii criſeos notionem latiore ſenſu accipiunt, ſiniſtros illius euentus ſimul comprehendentes. E. g. *Hippocrates libr. I. epid. f. m. 40.* dicit: criſin vel ad ſanitatem vel ad mortem tendere.

3) *Diocles*, ſine reſpectu ad prægreſſam excretionem, criſin explicat per morbi ſolutionem. Quoniam vero hæc explicatio ad morborum quoque chronicorum *lyſin* adplicari poteſt: verus de criſi conceptus hac ratione peruertitur.

3. Mittimus autem hosce diſſenſus, & ad clariorem conceptum criſin diſtinguimus in *exquiſitam* & *minus exquiſitam.*

1) *Exquiſita* criſis dicitur, quæ fit per *eccriſin*, ſeu excretionem ſubitam & copioſam, nulli autem febri perpetuam.

2) *Minus exquiſita* plures quidem dies inuoluit, critico autem abſoluitur, & numquam in febribus ſine anomalia deeſt.

4. Porro criſis eſt

1) vel *bona*, quæ ad ſanitatem deſinit. Et hæc iterum

(1) *perfecta* ſeu *abſoluta*, quæ nihil ex materia morbifica poſt ſe relinquit, & cui quaſi e veſtigio ſanitas ſuccedit.

(2) *Fida* & *certa*, quam nulla morbi reuerſio ſeu recidiua excipit.

(3) *Tuta*, quæ ſine periculoſis ſymptomatibus accidit.

(4) *Manifeſta*, in qua inſignis excretio aut abſceſſus conſpicua fiunt.

(5) *Cum bonis ſignis*, ſeu talis, quæ a die contemplatorio prius indicata eſt.

2) Vel *mala*, quæ aut difficilia ſymptomata, aut longam colluctationem cum morbo, aut ipſam mortem habet pedisſequa. Eſtque

(1) *Imperfecta*, quæ morbum non integre iudicat, ſed materiæ noxiæ quamdam portionem reliquam facit. Vnde neceſſario euadit

(2) *Infida*, quæ paulo poſt recidiuæ anſam præbet.

(3) *Periculoſa*, quando grauia ſymptomata ſimul occurrunt, ſub quorum concurſu quouis fere momento mors imminere videtur.

(4) *Obſcura* in qua molimina quædam critica animaduertuntur, ipſa vero criſis ſupprimitur.

(5) *Sine ſignis*, quæ a nullo die antea indicata eſt.

5. Ergo criſeos *effectus* quadrifariam differt. Nam

1) vel ſtatim a morbo liberat,

2) vel multo mitiorem reddit,

3) vel confeſtim interficit,

4) vel morbum multo efficit deteriorem. *Vid. Galenus in comment. III. in Hipp. præſag. f. m. 36.*

6. *Criſis* differt ab *acriſia*. Nam *acriſia* criſeos abſentiam, ſeu defectum, adeoque omnis criticæ emotionis priuationem indicat. *Conf. Stahlii diſſ. de acriſia in febribus.* Veteres adpellabant *criſin defectam*, ſeu *criſeos carentiam.* Criſis vero manifeſtos motus extraordinarios & eccriſes conſpicuas inuoluit.

7. Criſes reſpectu *locorum*, per quæ *eccriſes* fieri ſolent, notabili modo ſe diſtinguunt; differentia autem ipſa nititur

1) vel materiæ febrilis indole,

2) vel ſubiectorum peculiari diſpoſitione certas excretiones præ aliis ſubeundi,

3) vel climatis & anni tempeſtatis conditione.

8. Criſes *primariæ* per *expulſionem* ſunt ſequentes.

1) *Vniuerſalis* vnica eſt, quando ſudor criticus, copioſus, ex vniuerſi corporis peripheria erumpit, & morbum efficaciter iudicat.

2) *Particulares* ſunt

(1) *Fluxus ſanguinis*

α) per narium hæmorrhagias.

β) per hæmorrhoides.

γ) per menſes.

(2) *Excretiones ſeroſo-bilioſæ.*

α) Sudor particularis.

β) Vomitus.

γ) Vrinæ larga excretio.

δ) Diarrhœa.

9. Criſes *ſecundariæ*, quæ per *translationem* ſeu *metaſtaſin* contingunt, ſequente modo variant. Vel enim

1) *Natura* perfecte non vincit, ac inde, ob deficiens robur, materiam e corpore eliminare nequit, ſed a parte ſolummodo adfecta propulſat, intra corpus tamen illud retinet, paulatim in poſterum eiiciendam. Vel

2) *Materia* cruda, minus attenuata, viſcida & ad emouendum inhabilis deprehenditur. Vel

3) *Viæ* iuſto denſiores & anguſtiores exſiſtunt.

10. Hæ criſes, quæ per *metaſtaſin* eueniunt, itidem ſunt

1) Vel *bonæ*, quando materiæ noxiæ a parte nobiliori ad ignobiliorem transferuntur; ab internis ſcilicet ad externas; id quod duplici modo contingit:

(1) Modo enim fit per *collectionem* materiæ in vnam quaſi maſſam, e. g. in apoſtemate ſeu abſceſſu pone aures, ſub axillis, in brachiis, poplitibus & infimo pede.

(2) Modo per *diſperſionem* in peripheriam. Hinc dependent exanthemata ſpecifica, peculiares veſiculæ, piſum magnitudine æquantes & ſero diaphano repletæ, furunculi critici, icterus criticus.

2) Vel *malæ*, quando materia febrilis, eccriſi deſtinata, transfertur

(1) vel in æque nobiles

(2) vel in nobiliores partes. Sed eiusmodi criſes ſecundarias verius dixeris febrium in alios morbos transmutationem, quam vllo modo criſeos nomine dignam morbi ſolutionem. Nam apoſtemata, in partibus internis collecta, raro ſine ſanitatis detrimento decurrunt; e. g. empyemata, quæ febribus pleuriticis ſuccedunt, quando rumpuntur, ex voto purgari nequeunt, ideoque phthiſin ſæpe comitem habent. Aliquando *icterus* febrim ſoluere dicitur, ſed hydrops ſubſequitur. Quæ res *Hippocratis* theſin illuſtrat, quam de icteri ſalubritate & noxa *Coac. prænot.* 121. protulit: *icterus ſi ante diem ſeptimum acceſſerit, malum ſignificat; ſepti-*

ſeptimo autem, nono, vndecimo ac decimo quarto iudicationem adfert, dum præcordia non induret. Quod ſi ſecus contingat, res in dubium vertitur. Angina pariter & *pleuritis* in *peripneumoniam* ſubinde tranſeunt, de quo *Coac. prænot. 167. Quibus angina ad pulmonen diuertit, partim quidem intra ſeptem dies pereunt, partim vero liberati pus intro colligunt, niſi pituitoſa ſurſum educantur.* Et noſtro æuo obſeruare licet, quod acutæ in paralyſes alquando degenerent, & vitam per ſubleſtum hunc metaſchematiſmum in magnum diſcrimen adducant.

11. Denique criſis, quæ per *longiorem ſomnum* fieri dicitur, *ſecundariis* ſubiungenda eſt.

1) Hæcce criſium ſpecies rarior eſt, quam reliquæ. *Soli enim,* inquit *Galenus, puerili raro admodum ex profundo atque longo ſomno, ſubitam mutationem ad meliorem ſtatum ſunt conſecuti. Vid. coment. III. in præſag. Hippoc. f. m. 36.*

2) Interea ſalutaris mutationis non tam ſomnus longior quam continuæ ſub ſomno ſecretiones & excretiones cauſſæ ſunt. Solet autem ægros nonnumquam ſomnus die critico corripere, cum antea penitus eneruati & vires proſtratæ ſint. Quando ergo ab *animalibus* functionibus feriatur natura, *naturales* eo intenſius exercet, & copioſum ſudorem ſub ſomno ciet, aut vero vrinam, affatim ſecretam, larga mictione, per momentum quaſi euigilando, excernit. Interim ſunt aliqui tam ex veteribus, quam recentioribus, qui hanc ſpeciem e criſium numero prorſus expunctam volunt.

III. *SIGNA CRISEOS*

A. *Generalia*

1. Primum ſignum conſtituit *morbi ſpecies,* ſeu, vt ſyſtematici vocare malunt, *idea.* Talis enim ante omnia requiritur morbus, qui per criſin vel ſolui poteſt, vel ſolet.

2. *Morbi mos;* vti *Galenus lib. III. de criſibus cap. III.* loquitur; ſcilicet num moderatus & mitis, an vehemens & malignus ſit.

3. *Na-*

3. *Naturæ robur;* cuius præcipuum ſignum *Hippocrates* poſuit *reſpirationem; Galenus* & *hanc* & *pulſum vegetum.* Cur autem *vires* inter ſigna critica generalia retulerit, eam reddit rationem, quod ob morbi magnitudinem & caſuum vehementiam eæ vel cito poſternantur, vt æger moriatur, vel natura ad noxiorum excretionem excitetur *Vid eius Comm. II. in Hipp. aphoriſ. II. 23.*

4. *Coctio materiæ morbificæ.* Per hanc veteres intellexerunt humorum malignorum factam ſubactionem, mutationem & ad expellendum aut transferendum præparationem. Qui naturæ victricis labor vti varios actus atterentes, reſoluentes, attenuantes ac ſeparantes ſupponit: ita præ reliquis ſtudioſiſſime eumdem obſeruarunt priſcæ medicinæ antiſtites. Hinc diſerte pronunciat *Galenus: primum & maximum eſſe conſiderare coctiones.* Millies enim ſe interfuiſſe dicit fientibus criſibus, neque tamen vmquam vidiſſe intereuntem, cui criſis, poſt prægreſſa coctionis ſigna, contigiſſet. Et in *libro de conſtitut. artis med. cap. XVIII. f. 49.* notatu dignum adpoſuit aphoriſmum; qui *numerum 3 præced.* ſimul illuſtrat. *Naturæ robur ex propriis actionibus comprehendes, in primis ex pulſu, ſiquidem is eſt vitalis facultatis opus. Morbi vero magnitudinem ex ſuis ſymptomatibus. At quatenus alterum altero præualeat, concoctio cruditasue monſtrat. Cruditatem* vero dicebant eos humores, quorum ſubſtantia, color & conſiſtentia vel ſanis ſimilis, vel parum a ſanitatis ſtatu deflectat, adeoque coctionis tecmerio careat. Cum vero non omnibus coctionis ſignis promiſcue eadem ſit dignitas: tum

1) In febribus *pleuriticis* & *peripneumonicis* ſigna coctionis in *ſputaminibus,* vroſcopia non prorſus neglecta, quærenda iubent.

2) In febribus, vbi vel *hepar,* vel *lien,* vel *viæ vrinariæ* adficiuntur, *vrinæ* potiſſimum rationem habendam commendant.

3) In quibus autem *viæ primæ* vna cum aliis partibus patiuntur; coctionis ſigna in alui excrementis & lotio adparere dicunt.

5. *Sym-*

5. *Symptomata*, criſin præſagientia, & die *indicatorio* præſignificata. Huic *indicatorio* adnexa creditur diei *iudicantis* potentia. Ipſa vero ſymptomata breuibus exponit *Galenus lib. III. de criſib. cap. X.* quando monet: harum rerum præcognitionem fluere ex eo, quod natura vrgeatur, & vehementer ex morbo irritetur; vnde ſubita in corpore perturbatio, & aliqua nouitas, vel circa reſpirationem, vel circa mentem, vel circa ſenſus, vel circa ſigna decretoria. Ad hunc igitur ductum notantur in actionibus

1) *Vitalibus*

(1) Pulſus magnus.

(2) Difficilis anhelitus ſeu laborioſa reſpiratio.

(3) Aeſtus intenſior.

(4) Dolores capitis, colli, pectoris, ventriculi, hypochondriorum aliorumque membrorum.

(5) Peripheriæ partim conſtrictio vniuerſalis, partim rigores particulares.

(6) Aurium ſonitus, oculorum rubor, labrorum agitatio aut membrorum paſſim tremor.

(7) Paroxyſmus denique conſuetam horam anticipat,

2) *Naturalibus*

(1) Sudoris ſuppreſſio.

(2) Profuſio lacrymarum inuoluntaria.

(3) Sputum coctum, album, læue, æquale eſt, non tenue aut nimis craſſum; facile inſuper exſpuitur.

(4) Vrina pauca, quæ vero excernitur, notas habet coctionis, vt ſit alba; craſſa, læuesque adſint ſubſidentiæ. Iſta enim ſecuritatem breuemque morbum ſignificare dicuntur. *Vid. Hippocratis prognoſt. f. m. 7. lib. de dieb. iudicator. f. 20.*

(5) Alui excrementa, ſi quæ redduntur, mollia ſunt, ſubruffa, non admodum graueolentia, & ea hora reiecta, qua ſanitatis tempore conſueuerunt. Quæ alui excrementa

menta ſemper coctionis & incoctionis ſigna continere docet Galenus in *libro de arte medicinali cap. LXXXIII.*

(6) Adpetitus eſculentorum deficit, ſitis vero tanto eſt intenſior.

3) *Animalibus.*

(1) Reſpectu ſenſuum *internorum*

a) Deliria quæcumque,

b) Obliuio & præſentium ignorantia.

(2) Reſpectu ſenſuum *externorum*

a) Vigilæ.

b) Obauditio.

c) Viſus non tam hebetudo, quam difficilior lucis tolerantia.

d) Guſtus maxime læſus.

e) Summa ad motus voluntarios impotentia, qua vix membrum mouere valent.

f) Alii contra furentibus ſunt ſimiliores, qui ne quidem per exiguam moram vno ſitu recumbere queunt; ſed clamant, lectum quatiunt. *Conf. Galeni lib. III. de criſib. cap. II.* Summæ huius ante criſin inquietudinis rationem reddidit idem in *comment. ad Hipp. aphoriſ. I. 22. f. 306.* vbi orgaſmo humorum iſta omnia adſcribit, & ex linguæ ſibi vernaculæ penetralibus rem deducit. Nam vti *το ὀργᾶν*, ab animalibus coitum adpetentibus proprie deſumtum & ad humores translatum eſſe obſeruat. Ita humorum a partibus ad partes transfluxus, hominem in morbo mouere, exagitare & irrequietum reddere tradit.

6. Vidimus ſigna criſeos *futuræ;* quare propius *inſtantis* iam addenda eſſent, quæ *κατ' ἐξοχὴν critica* vocantur. Sed cum eadem ipſa ſint, quæ *num. 5. præced.* ſub ſignis ex actionum vitalium alterationibus petendis ſuppeditauimus, hoc vnum tantummodo addendum, quod nimirum inſtante die critico

co grauius adfligant, & in horas magis augeantur, donec conſummata fuerit iudicatio.

7. *Conditiones bonæ criſeos* tandem ſubiungendæ reſtant. Quidam auctores, quos inter *I. P. Bruno* eſt, ponunt *quatuor; And. Kyperus* & *Fridericus Schraderus quinque*; nonnulli autem *ſex*, vti *And. Laurentius*, *Tho. Fienus*, *Caſp. Hoffmannus.* Singuli per parum inter ſe differunt; quod enim diſtinguit alius, alius ſub alio momento iam complexus eſt. Plenius ſi rem determinare velimus, *ſalutaris criſeos conditiones*, ſequentes erunt,

1) Vt die indicatorio ſit prænunciata.

2) Vt fiat poſt materiæ morbificæ ſufficientem coctionem, per ſua ſigna dignoſcendam, adeoque in ipſo morbi *ſtatu* & tali die critico, qui morbi indoli, reſpectu modi & viarum, debite reſpondeat. Nam febribus *peracutis* conueniens eſt quartus & ſeptimus; *acutis* vndecimus aut decimus quartus. Vtræque tutius per hæmorrhagias aut ſudores, quam per alias criſium ſpecies iudicari ſolent.

3) Quantitas critice excreti adæquata ſit tam morbi magnitudini, quam cauſſæ morbificæ quantitati. *Nullum enim criticum eſt paucum.* Quod ſi vero aliqua portio noxii relicta fuerit, recidiuam; ſi multum reſtitauerit, mortem poſt ſe trahet.

4) Per manifeſtam expulſionem, aut minimum per ſat magnum abſceſſum, qui a parte adfecta remotior ſit, ſuccedat.

5) Eueniat cum facili tolerantia, ſine grauibus ſymptomatibus, qualia ſunt deliria, ſtrangulationes, conuulſiones, aphoniæ.

6) Aeger illico poſt criſin melius valeat, cum ſymptomatum, hactenus continentium, remiſſione & euphoria, per nullam recidiuam infringenda. *Hipp. Aph. II. 27. Si quæ non pro ratione leuant, iis non oportet fidere.*

B. *Specialia*

1. *Eccriſin ſanguinis* præſagientia

1) Per *Narium hæmorrhagiam*

(1) *In ſuprema corporis regione*

a) Oculi turgidi, nitidi, marmarygodei, qui ita dicuntur, quando ægris incertus lucis ſplendor ante oculos obuerſari ac vario motu diſcurrere videtur, cum dolore in medio bulbi pungente. Quibus frequenter iuncta eſt ſpontanea lacrymarum profuſio. *Vid. Galenus lib. III. de criſib. cap. XI.*

b) Aurium tinnitus ſeu ſuſurrus

c) Narium pruritus, & die indicatorio ſubinde vna alteraue ſanguinis gutta exſtillans.

d) Faciei rubor, vaſorum temporalium & colli inflatio validiorque pulſatio.

e) Dolor caput grauans, ad naſi radicem ſe extendens, ſæpe ceruicem infeſtans rigidamque ſuſtentans.

f) Interdum faucium inflatio anginodea & inſignis deglutiendi difficultas.

(2) *In media*

a) Præcordiorum anguſtatio oppletoria

b) Reſpiratio impedita, breuis & profunda.

(3) *In infima*

a) Murmura abdominis.

b) Senſatio tendens in hypochondriis.

c) Vrina ob maiorem renum conſtrictionem tenuis ac limpida.

d) Aluus adſtricta.

(4) In *extremis* artubus frigus & ſubinde rigor

(5) Præterea concurrit agrypnia, mens vacillat in his; conſtat in aliis; accedunt inſomnia de ſanguinis profuſionibus,

fuſionibus, æſtus & ſitis vrgent, peripheria præter naturam conſtricta, ideoque impedita eſt transpiratio.

2) Per *hæmorrhoides* & *menſes.* Quamuis rariores eſſe ſoleant hæ criſium ſpecies in regionibus temperatis: in *Græcia* tamen aliisque calidis locis ſæpe obſeruatæ ſunt. Sic *Hippocrates* in *libris epidemicorum* diuerſos caſus earum collegit, quæ per copioſas menſium excretiones iudicatæ fuerint. Neque minus conſtat, quod criſis per hæmorrhoides ſoluere ſoleat ſynochas aliasque inflammatorias. Signa vtriusque ſunt:

(1) Aeſtus maior, in primis per ſpinæ longitudinem.

(2) Moleſtiæ in hypochondriis tendentes & prementes.

(3) Si *hæmorrhoides* indicantur, tenſio ſpaſtica & dolorifica in lumbis ad os vſque ſacrum ſe extendit.

(4) Si vero *menſes* imminent, cardialgia intercurrit, abdomen quoque & regio hypogaſtrica ſpaſmodicas ſubeunt moleſtias, quæ ſenſum ſtringentem, grauantem, trahentem inducunt, infimumque ventrem & inguina adficiunt, quousque menſes erumpant.

(5) Quod ſi morbi *ſtatus*, adeoque iuſtæ criſeos tempus, in terminum menſtruæ excretionis ordinarium incidat: tunc expulſio ſanguinis eo expeditius & largius procedit.

(6) Adpropinquante die critico ſentiuntur per vices extremorum perfrictiones, horripilationes, rigores.

(7) Vrina parce redditur, & raro coctionis ſigna oſtendit.

(8) Aluus non reſpondet, licet ſub his circumſtantiis facilius, quam inſtante hæmorrhagia narium, ſoluatur, immo ſponte ſubinde ſuccedat.

2. *Eccriſin ſeroſo bilioſarum impuritatum* indicantia.

1) *Per ſudorem vniuerſalem.*

(1) Vrina die quarto indicatorio ſigna coctionis refert, nubeculam ſcilicet innatantem, aut ſedimentum album & læue.

(2) Pulſus mollis & vndoſus certiſſimum ſudoris critici ſignum præbet. *Vid. tab. de pulſu.*

(3) In pectore percipiuntur moleſtiæ anguſtantes, hinc reſpiratio quoque euadit impeditior.

(4) Aeſtus intenſus ad diem vſque iudicatorium perdurat, facies fit turgida & florida, vniuerſus autem corporis habitus circa diem criticum redditur laxior & ad perſpirandum aptior.

(5) Laſſitudo totum corpus occupat.

(6) Rigor die ſexto mediocriter corripit; immo ſub leui corporis ventilatione horripilationes infeſtant.

(7) Aluus non ſuccedit.

(8) Proxime ante eccriſin diaphoreticam obſeruant ægri peculiarem ſenſationem in peripheria inſigniter turgeſcente, quaſi ſenſum ab intra pungentem; in extrema cuti perſentiſcerent, als wenn alles ſtrozte und von innen Nadeln durchſtächen.

(9) Eiusmodi criſis eo certius ſperanda eſt in febribus continuis & inflammatoriis, quo magis temperamenti alacritas, promte ſudandi adſuetudo in ſtatu ſano, ac regionis climatisue conditio huic negotio velificantur.

2) Per *Vomitum*

(1) Nauſea procedit, quæ vomituriendi ideas et horripilationes inducit, wann ſie ſich vor Eckel erſchüttern.

(2) Caput laborat doloresque grauantes, pungentes & vertiginoſos ſentit. Hinc etiam oculi caligant. Das Geſicht vergeht, und läufft alles mit ihnen um und um.

(3) Pulſus fortis et durus.

(4) Labrum inferius nonnumquam tremore corripitur. Sputum vero eſt tenue.

(5) Pectoris præterea coarctatio & cardialgicæ moleſtiæ concurrunt.

(6) Extrema frigent, ſudor quoque in fronte frigidus erumpit, hypochrondria vero & lumbaris regio mitius rigere ſolent.

(7) Ven-

(7) Ventriculus morſibus infeſtatur, qui de ſpaſticis conatibus eliſoriis teſtimonium perhibent.

(8) Vrina ob renum conſtrictionem, per conſenſum inductam, cruda eſt ac diaphana.

(9) Aluus vel adſtricta vel obſtructa obſeruatur.

3) Per *vrinam*.

(1) Criſis per diureſin quamquam in paulo rarioribus reputanda ſit; ſiquidem ſæpius per ſudorem & hæmorrhagiam narium iudicatas febres obſeruare licet, quam per diureſin, emeſin, aut ſanguinis fluxum per inferiora: contingit tamen, ſi conſpirent

a) Morbi idea ſeu indoles in febribus inflammatoriis, pleuritide nimirum vera, peripneumonia & quandoque in purpura alba; tempore inprimis hiberno, vbi per tempeſtatis rationem ſudores tam promte ſuccedere nequeunt.

b) temperamentum ac ætas in illis præcipue, quorum habitus ſtrictus, denſus adeoque ad transmittendum ſudorem ineptior eſt; id quod in ſenioribus obſeruatur, in quibus ſudoris critici minor, vicariæ autem diureſeos maior ſpes eſt.

(2) Pulſus celer, in his ſimul frequens, in aliis vero fortis.

(3) Reſpiratio liberior.

(4) Aeſtus licet remiſſior videatur, quam vbi aliæ criſes imminent: ſitis tamen aucta & cum omnimoda ariditate coniuncta eſt.

(5) Die quarto adparent ſigna coctionis in lotio.

(6) Adpropinquante die iudicatorio dolor in hypochondriis, lumbis & regione hypogaſtrica adfligit, ac ſenſum inflationis circa veſicam excitat.

(7) Aluus ſuppreſſa eſt.

(8) Mingendi ſtimulus cum aliquo ardore augeſcit, ſub ipſa vero mictione crebriore ardor extremum vrethræ infeſtat.

4) Per

4) Per *Diarrhœam.*

(1) Pulſus quidem durus eſt, ſed reſpiratio libere ſuccedit.

(2) Senſibilis tranſpiratio ſufflaminatur.

(3) Vrina obſeratur imminuta, quia alui fluxus ſine copioſa ſeri adfuſione fieri nequit; ſigna vero coctionis maximam partem deſiderantur.

(4) Ructus, borborygmi & abdominis inflatio intercurrunt. *Coac. 142.*

(5) Horripilationes leuiorem quamque corporis ventilationem inſequuntur.

(6) Lumborum dolor grauans, motus torminoſi & circa vmbilicum morſicantes per interualla adfligunt, imminente autem termino critico magis ſe manifeſtant.

(7) Genuum grauitas a veteribus ſæpe ante alui fluxum obſeruata eſt. *Coac. 152.*

(8) Aluus vti nec antea firmiter clauſa eſſe ſolet: ita die indice deiectione aliqua diarrhœam criticam denunciat.

5) Per *Abſceſſum.*

(1) *Generatim* aliarum excretionum criticarum, tempeſtiue non adparentium, defectus.

(2) *Speciatim* ſecundum *Hippocratem in libro prognoſticor. f. m. 10.* ſigna ponuntur

a) Sputum ex ratione non procedens.

b) Alui egeſtiones minus bilioſæ.

c) Vrina pauca & ſedimento deſtituta.

d) Præſentia aliorum ſignorum, quæ ſalutem portendunt.

e) Materia cruda, lenta, craſſa & ad alias excretiones per fluorem inepta.

f) Naturæ robur bene ſibi conſtans. Hoc enim ſi defuerit, æger ante eiusmodi translationem ſuccumbet. Materia ſiquidem ad ſubeundam criſin ordinariam quanto fuerit ineptior, tanto maiorem energiæ motoriæ vim poſtulat ad translationem.

g) Fe-

g) Febris, citra partis nobilioris læſionem aut quemdam commiſſum errorem, vltra viceſimum diem durans. Hinc *Hippocrates Aphoriſ. IV. 44.* *Quibus adſunt febres longæ, iis tubercula aut dolores circa articulos fiunt.*

h) His accenſetur tempus hibernum, aliis criſium ſpeciebus minus fauens, & temperamentum ſiccum.

i) Aliarum criſium interuerſio, ac turbatio per præpoſteras medicationes, malum regimen, animi pathemata. Criſis item alia iam inchoata ſed abrupta.

(3) *Specialiſſime* ex obſeruatione *Galeni lib. III. de criſib. cap. XI. f. 146.*

a) *Abſceſſus in ſuperioribus* nunciant

α) Subito oborta & mox iterum quieſcens anhelitus difficultas.

β) Capitis ſuccedens grauitas & dolor.

γ) Surditas & ſonus grauis in auribus. Quæ abſceſſum in glandoſis carnibus poſt aurem fore produnt.

b) *Abſceſſus in inferioribus* ſignificant

α) Morbus nimium iam prorogatus.

β) Defectus ſignorum proxime enarratorum.

γ) Grauitas contra, tenſio, dolor & inflammatio in aliquo ex inferioribus locis, ex quibus vtpote abſceſſum vel in *inguine*, vel circa *genua*, *poplitem*, *ſuras*, aut *malleolos* præſagire licet. *Hippocrates in libro prognoſticor. f. 10.* breuius iſta complexus eſt hoc modo: Quibus circa hypochondria aliquid inflammationis ſubeſt, illis in *inferioribus*; quibus autem hypochondria mollia & doloris expertia perſeuerant, illis in *ſuperioribus* fiunt abſceſſus.

IV. *SVBIECTA CRISEOS.*

Sunt vel *perſonæ*, vel certæ *morborum ſpecies*.

1. Ex *Perſonis* criſium ſubiecta habentur illi homines, qui ſunt
   1) *Temperamenti* reſpectu alacres, promti, immo praecipites.
   2) *Loci* ſeu climatis ratione illi potiſſimum, qui regiones calidas incolunt. Hinc frequentius in Iberiæ, Galliæ, Italiæ, Pannoniæ aliisque Orientis regionibus obſeruare licet criſes, quam in ſeptemtrionalibus.
   3) *Aetatis* intuitu iuniores vtriusque ſexus, non tamen infantes & pueri, quod veterum æque ac recentiorum obſeruatio confirmat. *Hippocrates* quidem adoleſcentes XVII. annorum criſi abſolutos commemorat, infantum vero mentionem non iniicit.
   4) *Conſtitutionis* indole plethorici præ reliquis.
   5) *Tempeſtatis* conditione illi, quos febres tempore æſtiuo & Sirio, vt aiunt, dominante, corripiunt.
   6) *Adſuetudinis* habitu ſubiecta inprimis illa, quæ ad certam excretionis ſpeciem magis inclinant.

2. Ex *Morbis*, ſunt potiſſimum febres acutæ. Vnde *Hippocrates Aph. II. 23. Morbi acuti intra dies quatuordecim terminantur criſi.* Hoc itaque aphoriſmo curate determinat acutas κατ' ἐξοχην tales & ordinarie criticas, quas ab aliis febrium ſpeciebus diſtinguit, & *in libro Prognoſticor.* acutas ἐκ μεταπ]ωσεως ſeu *ex decidentia* vocat; nimirum quæ inter decimum quartum & quadrageſimum iudicantur. Et quamuis *Galenus* ſubiecta criſium conſtituat *magnos morbos :* mentem tamen ſuam ita exponit, vt ſimul innuat, ſe per magnos intelligere acutos, quia plures ex iis celeriter ad vigorem properent, & paruo tempore magnas mutationes, vel ad ſalutem, vel ad mortem, oſtendant. Diſtincte inſuper rationem reddit, cur acutæ plerumque cito iudicari & morbi magni dici debeant. Nam ob morborum magnitudinem & caſuum vehementiam neceſſarium eſſe inquit, vt vel cito vires proſternantur & homo moriatur; vel ad noxiorum excretionem natura excitetur, quæ a paruo malo ad arduum iudicationis actum tam facile ſe irritari haud patiatur. Si igitur fortior fuerit natura morbo, breui ſequi bonam criſin

ſin; ſi vero inferior, malam. *Conf. Galeni comm. in Aphoriſ. Hipp. ſ. 311.* item *de conſtit. art. med. cap. XVIII.*

3. Ex febribus acutis præcipue huc pertinent
   1) *Synochæ*, ſanguineæ, ſeu plethoræ ſubtrahendæ gratia a natura excitatæ, quæ in *iunioribus* ſæpe per hæmorrhagiam; in *prouectioribus* autem per diaphoreſin iudicari ſolent.
   2) *Bilioſæ*, quas vel vomitus vel diarrhœa ſoluit.
4. *Intermittentes* quotidianæ & tertianæ, ceu obſeruationes perhibent, nonnumquam criſi acutarum in morem abſoluuntur.
5. *Morbi* quidam *chronici* a nonnullis huc trahuntur, ſed refragante potiori Medicorum parte. *Bruno* inter illos eſt, qui perperam chronicis criſes denegari contendit, cum hydrops aliquando per vomitum, ſudorem, aut vrinam iudicatus conſtet. Sed non niſi improprie & in ſenſu oppido latiori *diuturnis* concedi poteſt criſis. *Vid. obſeruat. 7.*

V. TEMPVS CRISEOS.

1. *Generatim* reſpectu *temporum morbi*
   1) *Ordinarie* eſt *ſtatus.* Tantum enim abſumus ab ordinata & ſalutari criſi, quantum adhuc deeſt *ſtatui* morbi. Vnde iam *Galenus*: *tanto habetur omnis iudicatio deterior, quanto plus ſtatum morbi anticipauerit.* Cum enim omnem bonam criſin ſufficiens præcedere debeat coctio; huius vero actus, ſi omnia debito ordine fiant, in ipſo morbi *incremento* contingat, in *ſtatu* autem perficiatur: tum criſis quoque perfecta, ſalutaris, & conſtantis euphoriæ prodromus, in eumdem temporis articulum incidat neceſſe eſt.
   2) *Extraordinarie* eſſe poteſt
      (1) Morbi *principium.* Huiusmodi autem criſes tantum non ſemper ſunt exitiales.
         a) Ratio *a priori* eſt,
            α) quia natura ad pugnam cum morbo præmature deſcendere cogitur.

 β) quia

ϐ) quia neque ſigna coctionis eodem tempore, quo morbus corripit, ſimul adeſſe, neque noxia ſatis ſubacta vna excerni queunt. Hinc *Galenus: humor vitioſus, ſi excernatur ſine ſignis coctionis, exitialis eſt caſus. Quare cum in principio morbi ſemper ſint ſigna cruditatis; mala ſemper erit humorum talium euacuatio. Vid. eius Comm. IV. in Hipp. aph. IV. 22.*

b) Ratio *a poſteriori*,

α) quia alia mala ſigna ſimul adparent.

ϐ) quia ipſa quoque mors imminet; *citius* in ſubiectis *debilioribus*; quod teſtatur caſus *Philiſci*, qui *primo* ſtatim die atque *tertio* ſudores habuit, *quinto* ſtillauit parum ſanguinis e naribus; *ſexto* autem circa meridiem mortuus eſt. *Vid. Hippocratis Epid. I. æg. I.* Ita *Eraſinus*, cui ad extremum vſque ſudores cum febre aderant, qui etiam per vrinam & aluum excreuit, die tamen *quinto* fatis ceſſit. *Silenus*, *primo*, *ſecundo* & *quinto* die multa ex aluo deiecit, *octauo* effloreſcebant exanthemata, *nono* affatim minxit, *vndecimo* obiit. Tardius paulo ſuccumbunt robuſtiores. Exemplum dabimus ex *lib. III. epid. ægro XII.* de muliere, quæ die *tertio* multa cruda ab aluo dimiſit, *ſeptimo* ſudore vniuerſali perfuſa eſt, *octauo* & *decimo* multum vrinæ reddidit, *nono* & *vndecimo* bilioſa vomuit, *decimo quarto* hæmorrhagia narium ſuperuenit, & hoc ipſo die exſtincta eſt.

(2) Morbi *incrementum* ſeu tempus ante ſtatum, vbi perfecta coctio nondum adeſt. De hiſce criſibus docet itidem experientia, quod interdum quidem ſalutares, minus tamen *fidæ* ſint. Rationes ſunt

a) *a priori*

α) Defectus ſignorum debitæ coctionis, adeoque præparationis labor tantum dimidiatus,

ϐ) Præ-

c) Præmatura & incongrua emotio, die plerumque intercalari accidens, & die indicatorio non prænunciata; quæ ſingula moliminum imperfectionem & ſecuturæ euphoriæ interruptionem præſagiunt.

b) *a poſteriori* autem morbi eiusdem reditus, dolorum pertinacia, ægritudinis prorogatio, infidam præceſſiſſe criſin manifeſto commonſtrant. Exempla interim bene cedentium criſium, quæ maturius acceleratæ ſunt, vide *in Hippocrate lib. III. epid. de Pericle Abderita & virgine ibidem. f. 188. 190.*

(3) Reliquæ criſes, quæ v. g. *tertio* vel *quarto* ſeptenario eueniunt, ad extraordinarias quidem referuntur; verum ſi perpendamus analogiam graduum in acutis, ad ordinarias pariter easdem referre licebit. Vti enim morbus valde acutus celerem progreſſum habet, & breui poſt principium ad augmentum & ſtatum peruenit, citoque declinat: ita morbus minus acutus tardius quoque a natura oppugnatur, & ad ſingulas periodos integrum, & quod excurrit, ſeptenarium ſibi poſtulat. Quo obſeruato patebit, quod criſis vel tardior vel celerior, vtrobique tamen in *ſtatu* peracta, ipſius valorem non diminuat.

(4) Tandem notandum, quod *Victor Trincauellius in tract. de peſtil. feb.* omnes præcoces ſeu ante coctionem adparentes criſes in *tres* diſtinxerit claſſes, quarum

a) in *primam* poſuit excretiones *vere* criticas, quæ tum fiant, cum natura *morbum* ita *deuincit*, vt id, quod deleterium eſt, maturius quidem, ſed cum robore ſufficiente excutiat.

b) in *ſecundam* locauit *ſymptomaticas*; quæ morbo adhuc crudo contingunt, & naturam ſuperant.

c) in *tertiam* ſtatuit *medias*, quæ partim perfectarum ſchema æmulantur, partim ſymptomatum in morem

 acci-

accidunt, ſed ſæpius vitam, quam mortem, adferunt. Quod obſeruaſſe iuuabit, ad diſtinctius proponendas & diſtinguendas criſes præmaturas tam ſalutares, quam exitiales.

2. *Speciatim* conſideratur tempus criſeos reſpectu *dierum criticorum*, ſeu illorum, in quibus certæ & frequentes criſes eueniunt. Vbi notandi

1) Dies *critici proprii*, qui per ſynonymiam *decretorii* & *iudicatorii* vocantur. Suntque ex mente *Hippocratis*, reſpectu ordinis & numeri in circuitibus periodorum,

(1) vel *pares*, vt IIII. VI. VIII. X. XIIII. XXVIII. XXX. XLVIII. LX. LXXX. C.

(2) vel *impares*, vt III. V. VII. VIIII. XI. XVII. XXI. XXVII. XXXI. XXXVII.

2) *Critici* ſeu decretorii *improprii*, qui *vere* criticorum quaſi miniſtri habentur futurorum prænuncii. Vnde & *indices* ſeu *indicatorii* itemque *contemplantes* adpellantur ab *Hippocrate* & *Galeno*; ſiquidem id, quod die critico ſperare licet. præſagiunt, & antea contemplandum ſiſtunt.

3) *Intercalares*, *παρεμπιπτοντες* *intercidentes* ſeu *prouocatorii*, indicatoriis quaſi famulantur, atque id nominis inde tulerunt', quoniam in illis naturam ſubinde excitari & quaſi a morbo *prouocari* obſeruamus, vt de nouo aliquid moliatur & ad excutiendum paret.

4) *Non-decretorii*, *vacui* ſeu *medicinales* ſunt reliqui, in nullam præcedentium claſſem referendi. Vno obtutu rem omnem declarare poterit ſequens diagramma.

DIA-

DIAGRAMMA HIPPOCRATICVM.

Septenarium I.		*Septenarium IIII.*
Dies		Dies
I. *Vacuus.*		XXI.
II. *Vacuus.* Sed ſecundum *Galenum lib. I. de diebus decretoriis cap. IX.* ad criticos refertur *vterque*, quia in illis *diariæ* ſoluuntur.	His	XXII.
III. *Intercalaris.*		XXIII.
IIII. *Index* ſeu contemplatione dignus. *Gal. Com. III. in præſ. Hipp. f. 36.* Eſtque *quaternarii I.* finis et initium II. praedicit die VII. euentura.	die-	XXIIII.
V. *Intercalaris.*		XXV.
VI. *Pſeudocriticus, tyrannicus*		XXVI.
VII. *Criticus* reliquis valentior, ideoque dignitate et potentia *primus. Galenus.*	bus	XXVII.
Septenarium II.		*Septenarium V.*
VIII. *Vacuus.*		XXVIII.
VIIII. *Intercalaris* ſæpe exitialis.	re-	XXVIIII.
X. *Vacuus.*		XXX.
XI. *Index* decimi quarti.		XXXI.
XII. *Vacuus.*	ſpon-	XXXII.
XIII. *Intercalaris.*		XXXIII.
XIIII. *Criticus* ſeptimo ſuppar.	dent	XXXIIII.
Septenarium III.		*Septenarium VI.*
XIIII. *	op-	XXXIIII.*
XV. *Vacuus.*		XXXV.
XVI. *Vacuus.*	po-	XXXVI.
XVII. *Index* Vigeſimi.		XXXVII.
XVIII. *Vacuus.*	ſi-	XXXVIII.
XVIIII. *Intercalaris.*		XXXVIIII.
XX. *Criticus.*	ti.	XXXX.

* *Obſ.* Hanc numerandi & ſeptenaria hoc modo ordiendi rationem docuit *Hippocrates*, qui primus dies criticos obſeruauit ac determinauit. Anſam dedit ipſi experientia. Cum enim die XX. frequentes criſes fieri animaduertiſſet; tum eumdem vigeſimum diem, *tertii* ſeptenarii finem eſſe, ſtatuendum erat. Hoc vero ſemel admiſſo, non alius, quam *decimus quartus*, qui *ſeptenarii II.* vltimus eſt, ſimul *ſeptenarii III.* initium ponendus fuit. Vberius rem explicat *Gale-*

nus,

nus, qui ſcite inculcat, primum & ſecundum ſeptenarium numerandum eſſe per *disiunctionem*, conſtituendo diem *ſeptimum*, ſeptenarii I. *finem*; *octauum* vero ſeptenarii ſecundi *initium*. Sed *ſeptenarium* II. & III. determinanda eſſe per *connexionem*, vt dies XIIII. vtrique communis ſit, atque illud finiat, hoc autem ordiatur. *Vid. Comm. II. in lib. Hippocrat. de humoribus f. 22. Comm. III. in præſagia f. 36. Comm. II. in Aph. Sect. II, 24.*

VI. *CAVSSAE.*

Cauſſa efficiens criſium, pro diuerſa cuiusuis medicæ ſectæ theoria, ſemper alia atque alia conſtituta eſt, vt pæne nihil adlegetur tam a priſcis, quam a recentiorum pluribus, quod non ſit abſonum, paradoxum & ſomniis ſimillimum.

1. Quos enim *Pythagoræ dogmata* delectant, illi ſecretam quaternario & ſeptenario numero vim attribuunt, ſed demonſtrationem non addunt.
2. Quibus autem *aſtra* in ſubſidium vocare non diſplicet, illi in varias planetarum phaſes, quas *adſpectus* adpellitant, rem omnem deuoluunt, & harmoniam inferiorum cum ſuperioribus fingunt.
3. *Humoriſtæ*, vti dici ſolent, humorum copiæ & vi expultrici criſes perpetrandi officium adſcribunt. *Hier. Fracaſtorius* in primis humorem melancholicum proprio motu gaudere, & dierum criticorum ipſarumque criſium cauſſam eſſe adſeuerare nullus dubitauit.
4. *Proſper Alpinus* curatius determinat, ſupponendo,
   1) Humores *pituitoſos quotidie*;
   2) *Bilioſos* & acutos *alternis*;
   3) *Melancholicos* vero & vſtos *quaternis* diebus moueri. Sed quia demonſtrari nequeunt, auctori relinquenda ſunt.
5. Qui tandem a *ſpirituum animalium* cohortibus ſuppetias petunt, illi criſin *bonam* ab æquabili ſanguinis & ſpirituum motu deriuant; *malam* vero ſufflaminato imputant.
6. Quam vero iriti ſint omnes omnium conatus, qui motum criticum a materiis accerſere nituntur, id ſæpius prolixe ſatis tam in *Phyſiologia*, quam *Pathologia* demonſtrauimus.

7. Ergo

7. Ergo ſolam ſapientem naturam excuſſionum criticarum cauſam *efficientem* agnoſcimus.

VII. *PROGNOSES.*

1. Qui pauciſſimo tempore ſani futuri ſunt, iis in totum maxima ſigna contingunt. *Hippocrates de Criſib. ſ. 20.*
2. Qui primis diebus dolore vexati, quarto & quinto magis vrgentur, hi ſub ſeptimum diem febre liberantur.
3. Febrium iudicationes iisdem numero diebus contingunt, quibus homines moriuntur, aut ſuperſtites euadunt.
4. Febres leuiſſimæ cum ſecuriſſimis ſignis quarto die, aut prius finiunt. Maxime vero lethales, & quæ cum periculoſiſſimis ſignis contingunt, itidem quarto, aut celerius interficiunt; quamquam, curatius loquendo, non *a febre*, ſed *cum febre* homo moriatur.
5. Qui ad mortem inclinant, intra diem et noctem iudicantur.
6. Qui die quarto ad peiorem ſtatum recidunt, horum plerique ſexto die moriuntur. *Galenus lib. I. de dieb. crit. cap. IV.*
7. Febricitare incipientibus ſanguinis ſtillationes cum ſternutatione accedentes, & quod in vrinæ album deſidet, quarto die viſum, ſeptimo ſolutionem adferre denunciant. *Coac. 149.*
8. Quos febris detinet cum faciei rubore & vehemente capitis dolore, in iis ſi venæ pulſent, *ſanguinis fluxus* plerumque exſpectandus eſt, Quos vero ſtomachi faſtidia vexant, cum oris ventriculi morſu & crebra ſputatione, iis *vomitio* adfutura eſt. Quibus autem ructus adſunt, flatus, ventris ſonitus, cum inflatione, iis *aluus* exturbatur. *Coac. 142.*
9. Quibus ex naribus fluxiones, ſeptimo, nono aut decimo quarto die contingunt, vtplurimum a febribus vindicant. Eodem modo bilioſus *alui fluxus* dyſenteriodes, genuum atque coxendicum dolor, *vrina* ſub iudicationem concocta, & *menſtruum* profluuium liberant. *Coac. 152.*
10. Morbi vero præcipites & acuti, effluente e naribus *ſanguine*, iudicatione abſoluuntur, idque die iudicatorio, ac *ſu-*

dore copioſo exorto *vrina*que purulenta ac vitrea affatim reddita, in qua quod ſubſidet, laudabile ſit, aut *abſceſſu* effatu digno, aut *aluo* mucoſa & ſanguinea deiiciente ac *ſubito* prorumpente, *vomitionibus*que non prauis, ſub iudicationem contingentibus.

11. Exquiſita coctio fit tempore *ſtatus*. *Galenus lib. III. de criſib. cap. V.*

12. Criſes, quæ poſt exquiſita coctionis ſigna adparent, optimæ ſunt.

13. Criſes plures ac ſimul copioſæ, quæ citra coctionis ſigna contingunt, plerumque ſunt irritæ. *Heraclides* tamen, qui largum e naribus ſanguinem profudit, per veſicam inſuper & aluum perpurgatus eſt, die XX. iudicatione abſolutus ſiſtitur. *Vid. Hipp. lib. I. epid. ſ. 25. 30.*

14. Criſis die XIIII. exſpectata, ſi aliquando die XI. ingruat, in morbo periculoſo anceps omen præbet.

15. Morbi, qui, ob defectum coctionis, in *ſtatu* criſin non habent, ii neque in declinatione aliquam exhibent, ſed paulatim ſine criſi ſoluuntur. *Galenus.*

16. Criſes etſi cum quibusdam ſignis adpareant: ſed cum excretionibus morborum ideis ſeu naturis non congruentibus, numquam perfectæ nec certæ eſſe poterunt. *P. Alpinus de præſ. lib. VI. cap. X.*

17. *Status* tempore cum bonis ſignis elapſo, nullum ſubeſt mortis periculum, ex morbo metuendum. Et quamuis ſint, inquit *Galenus lib. III. de criſib. cap. V.* qui putent, ſe multos vidiſſe ægros, qui in *declinatione* perierint: tamen vel propriis erroribus vel Medicorum culpa eos interiiſſe conſtat. Vt adeo *nemo vmquam* in decremento vi morbi mortem oppetierit. Quia fieri nequit, vt morbo cocto & a natura ſuperato, æger moriatur, modo recta adhibeatur curatio.

18. Si *primo* ſtatim die ſigna coctionis adparent, *quarto* autem perfecta criſis ſubſequitur; ſalutaris eſt.

19. Signa coctionis ſi conſpiciantur in diebus *intercidentibus*, ad prædictionem certi quid non ſignificant, ſed ſæpius ad male

male ſuſpicandum anſam præbent. Directe tamen bona eſſe ſolere *Hippoc. Aph. IV. 36.* comprobat, dum docet: febricitantibus bonos eſſe ſudores, qui cœperint die III. V. VII. VIIII. XI. XIIII. XVII. XXI. XXVII. XXXI. XXXIII. *ii enim ſudores morbos iudicant, cum alii laborem, diuturnitatem et recidiuas ſignificent.*

20. Mature adparens coctio, iudicii celeritatem & morbi breuitatem portendit. *Fienus p. 133.*

21. Quo natura eſt robuſtior, eo celerius iudicatur morbus.

22. Coctiones in excrementis præualentem naturam demonſtrant. Nihil ergo magis ſalutem ſignificat, quam excrementa concocta. Declarant enim naturam morbo dominari. *Galenus de arte med. cap. LXXXIII.*

23. Signa coctionis, die indicatorio adparentia, ſemper ſunt bona, non tamen neceſſario criſin die critico adfuturam indicant. *Nenter in fund. Semiot. p. 169.*

24. Morbus acutus, in quo ſigna coctionis non adparent, raro per aliquam criſin tuto ſoluitur. *Gal. de conſt. art. cap. XVII.*

25. Quo maior in acutis ad criſes obſeruatur adparatus, ſine ſincera inſequente eccriſi, eo magis periculoſæ portenduntur translationes.

26. Signa per ſe mala, e.g. vigiliæ, deliria, conuulſiones, tremores, vertigines, anxietates, dyſpnœæ, ſi cum bonæ coctionis ſignis ſimul adpareant, non raro ſalutaris criſeos præbent indicia. *P. Alpinus lib. VI. cap. I.*

27. Signa cruditatis ordinarie portendunt

1) vel acriſiam,
2) vel laborem,
3) vel morbi prorogationem,
4) vel reuerſionem,
5) vel mortem. *Hippocrates lib. I. epid. ſ. 22.*

28. Morbi acuti, qui neque per *criſin* ſoluuntur, neque *lyſi* mitigantur, vel cito interimunt, vel in chronicos degenerant.

29. Criſis perfecta & copioſa ordinarie vitra diem vnum non durat.

30. Per criſes ſolui, *acutis* quibusdam *proprie* conuenit; in chronicis vero tantum aliquid ſubinde occurrit analogi.

31. Plures ex acutis, quando diem XIIII. excedunt, plerumque criſi non terminantur.

32. Morbus, quem natura criſi ſoluere decreuit, quando diutius protractus eſt: tunc lyſeos in modum fere iudicabitur.

33. Morbi particulares, vni tantum parti proprii, non terminari ſolent per criſin, ſed vniuerſales & *toti* communes. *Fienus p. 127.*

34. *Acriſiæ* in febribus temporis quidem longinquitatem, non tamen perniciem inducunt. *Coac. 74.*

35. Quibus criſis contingit, iis nox, paroxyſmum præcedens, grauis eſt, quæ vero ſubſequitur, plerumque tolerabilior. *Hipp. Aph. II. 13.*

36. Quibus paroxyſmi fiunt, quanamcumque febris dimiſerit, ſi poſtero die eadem, quæ antea hora prehenderit, iudicatio difficilis eſſe ſolet. *Aph. IV. 30.*

37. Qui paroxyſmo correpti poſtero die grauius habent, iis malum denunciatur. *Coac. 78.*

38. Quibus tertio die ſubſiſtit acceſſio, & quarto ingraueſcit, malum denunciatur. Ac metus eſt, ne huiusmodi acceſſiones phrenitidem inducant. *Coac. 79.*

39. Febres ſi alio, quam iudicatorio die, deſierint, recidiuam metuere oportet. *Coac. 80.*

40. Quibus, febre *critice* deſinente, tumores ad aures cum dolore ſuborti ſunt, neque conquieſcunt, neque ſuppurantur; eos bilioſum alui profluuium, aut dyſenteria, aut quod in vrinis craſſis ſubſidet, liberat. *Hipp. lib. I. epid. f. 31.*

41. In epidemicis acutis, ex adoleſcentibus ii ſæpe perire ſolent, quos largæ narium hæmorrhagiæ deficiunt; ſeruantur autem, quibus die critico affatim exſtillat. *ib. f. 26.*

42. Pro-

42. Prouectiores autem ſub eiusmodi conſtitutione promte in icterum incidunt, aut per aluinas excretiones iudicantur.

43. Quibus, impendente iudicatione, ſanguis e naribus non profluit, ſed tumores ad aures enaſcuntur, iis exſtillat, poſtquam tumores diſparuerunt.

44. Criſes, per ſanguinem ſub initium morbi contingentes, maiori ex parte ſalutares ſunt; plethoram enim minuunt & faciliorem tolerantiam conciliant. *Alpinus.*

45. Quando poſt criſin ægroti placide quieſcunt, & vndique melius habere videntur; *pulſum* vero *languentem* habent: tunc falſa eſt declinatio, & ſubleſtæ fidei criſin præceſſiſſe certum eſt. Nam poſt ſalutarem iudicationem pulſus vigor eſt validus. Qui ſi deficit, vires exſtinctas eſſe nunciat. *Galenus, Alpinus, Fienus.*

46. Licet in febribus, in quibus alias criſes euenire ſolent, ſæpe nullæ contingant: tempora tamen critica obſeruantur. *Stahlius in diſſ. de periodis acutarum ſine criſeos euentu exquiſitis* §. *XV.*

47. Vera criſis nulli febri acutæ adeo perpetua eſt, vt alio modo ſanari non poſſit; veluti multi caſus teſtantur. *Stahl. l. c* §. *XXVIII.* Et *Hippocrates lib. I. epid. ſtatu II. ſ. 19.* graſſationis meminit, in qua *plerique ſine iudicatione* a febribus liberati ſint.

48. Criſes *compoſitæ* ſeu *complicatæ*, ſi cum ſignis contrariis non illuxerint, tam ſalutares ſunt, quam ſimplices. Exempla habentur in *Metone;* in *muliere* illa, quæ ad littus habitauit; in *viro*, qui in *Dealcis* horto decumbebat; in *Nicodemo. Conf. Hippocratis liber epid. I. & III.*

49. Tertiana exacta quinto, aut ſeptimo, aut ſummum nono circuitu terminatur. *Coac. prænot. 148.* Hæc autem cum grano ſalis accipienda ſunt.

50. Quod in continuis vnus dies poteſt, id ipſum facit in intermittentibus acceſſio: et iudicationes pro acceſſionum numeratione fiunt. *Galenus Comm. II. in lib. Hippocr. de humorib. ſ. 22.*

VIII. *OBSERVATIONES.*

1. Pertractatis criſeos phænomenis placet originem denominationis cum tironibus communicare. Primus, qui laborioſam & ſalutarem hanc excretionem febrilem, ſpecificam, criſeos ſeu iudicii nomine adpellauit, non fuit Medicus, ſed homo quidam plebeius. Qui cum ægrotum vidiſſet inquietum, clamantem, anxium, tremulum, æſtu flagrantem, ſudore perfuſum, ſanguinem e naribus profundentem, bilioſa vomentem; re ita cogente, mirans & conturbatus pronunciauit, *iudicium* nunc agi de ægrotantis vita. Atque ab eo tempore hoc, quidquid eſt nominis, excretioni huic adhæſit & Medicorum auctoritate non minus firmatum, quam longo vſu receptum, & confirmatum eſt. *Vid. Galenus lib. III. de criſib. cap. II.*

2. Notabilem itaque in acutis excretionis ſpeciem *tropice* criſin dictam eſſe, ex dictis clarum eſt. Recentiores in hac allegoria vlterius progreſſi, ſimile, a foro iudiciario mutuatum, ſigillatim ad ſtatum febrientis adplicare ſtuduerunt, ita quidem, vt conſtituant
   1) *Rei* loco ægrotum
   2) *Teſtes* varia cauſſarum & ſubiecti attributa
   3) *Iudicem* Naturam, morborum medicatricem. Et his, debite obſeruatis, vere demum intelligi poſſe contendunt, quænam excretio *veræ* criſeos nomine donanda ſit; illa nimirum, quæ iuſto tempore critico ita contingit, vt ægrum *abſoluat*, i. e. ſanitati ac euphoriæ vindicet. Non omnibus interim claudicans hoc ſimile probatur, quia *actorem* deſiderant.

3. Vti præterea Priſci, quibus criſeos doctrinam acceptam ferimus, ob ignoratam ſanguinis circulationem, in explicandis morborum cauſſis infeliciores fuerunt: ita in obſeruanda criſi aliisque eo pertinentibus phænomenis ſolertes, curatos, immo ſollicitos plane ſe exhibuerunt. Hinc etiam recentioribus tantum in arte præſagiendi præſtant, quantum ab his in ætiologiæ morborum explicatione ſuperantur. Licet autem hæc de criſibus doctrina ex antiquorum ſcriptis potiſſi-

potiſſimum deriuata ſit: non tamen diſſimulamus, multa paſſim claudicare, nonnulla autem, apud nos quidem, experientiæ non reſpondere. Quare qui de criſibus ſeu iudicationibus bene vult iudicare, iudicioſus & criticus debet eſſe obſeruator. Quam enim facile hic errare poſſimus, ipſe *Hippocrates* paſſim teſtatur.

4. Omnis criſis ſalutem omnino intendit, laudabilem vero huncce finem non ſemper adſequitur, eo plane modo, quo in aliis morbis optimam intentionem infelicius a natura exſecutam videmus. Inde tamen concludendum haud eſt, vniuerſum hunc actum eſſe tumultuarium, aut, quod quibusdam viſum eſt, abſolute ac in ſe noxium. Nam contrarium eminet in febre ipſa. Quamquam enim pluribus moleſtiis ſtipata ſit, & aliunde turbata, male nonnumquam cedat: ſalutarem tamen eſſe nemo negare debet. *Conf. tab. de febribus.*

5. Rariores autem eſſe veras criſes in regionibus noſtris temperatioribus, dudum obſeruatum; & climatum ſitus id ipſum quoque innuit. Verum oppido frequentiores adparerent, niſi variis modis præuerterentur, partim per malum ægrotantium regimen; partim per incongruam tractationem Medicorum, illorum in primis, qui præiudicio ducti credunt, criſes, tamquam antiquorum placitum domeſticum, hodie vix euenire, ideoque nec exſpectandas aut fouendas, nedum promouendas eſſe. Bene autem monuit *Stahlius:* perperam hoc ita fieri a multis. Licet enim criſes apud nos rarius eo modo, quo olim in *Italia, Græcia, Scythia, Lybia, Delo & Co,* eueniant: tempora tamen critica, quæ natura obſeruat, a Medico negligenda non eſſe. Si enim vera criſis non prodit; alia mutatio ſe manifeſtat. *Vid. diſſ. de periodis acut.*

6. Circa criſeos ſubiectum, reſpectu *morbi,* notandum, quosdam in ea eſſe ſententia, vt credant: morbos acutos ordinarie leuari debere per excretiones criticas; chronicos autem per abſceſſus. Sed neutrum vniuerſale eſſe, experientia pridem confirmatum eſt. Vtrum vero & chronici criſi iudicari ſoleant? vltro citroque diſputatur. *Fienus* in *Semeio-*

meiotica part. I. Sect. VI. cap. II. etiam diuturnos *aliquando* criſi terminari poſſe adfirmat, prouocando ad caſus, in *libris epid. Hippocratis* obſeruatos, vbi quidam die XXIIII. XXXIIII. XXXX. LXXX. velut *Cleantides,* larga criſi iudicati. Monemus autem, febres tarde ad *ſtatum* peruenientes, cum vere chronicis malis, confundendas non eſſe; quod tamen facit *Fienus. Conf.* quæ ſupra *de tempore criſeos num.* (3) dicta ſunt.

7. *Fieno* præterea adplaudit *Iac. Panc. Bruno in dog. med. gen. p. 437. 440.* & grauiter eos allucinari ſcribit, qui chronicis omnem criſin denegare non vereantur. Sed quia eius argumenta nihil, niſi quamdam analogiam criſeos, inferunt, parum attendenda erunt. Ita refertur hydrops, per ſudorem aut vomitum vmquam ſolutus, itemque per abdominis & ſcroti rupturam leuatus; porro ſurditas per lethargum; inſania per varicum ruptionem iudicata. Quantum vero iſthæc omnia a vera criſi diſtent, ſupra tradita ſigna & conditiones criſeos abunde commonſtrant.

8. Acutiſſimi pariter morbi, quamquam maiori iure criſium ſubiecta haberi poſſint, quam chronici: ακριβως tamen & theoriæ legitimarum criſium conformiter loquendo, propriis criſium ſubiectis vix erunt adnumerandi. Si enim criſis præſignificari debet die quodam præcedente *indicatorio;* talis non haberi debet, quæ ob celeritatem a nullo die indicari poteſt, ac proinde neque ipſe morbus ſubiectum criſeos *proprium* conſtituendus eſt. Eo pertinet morbus Aegypto endemius *Demelmuia,* qui intra pauciores horas enecare fertur. *Vid. P. Alpinus de præſ. lib. VI. cap. XIX.* Quo inſuper referendæ ſunt febres peſtilentiales, quæ primo ſecundo aut tertio die interimunt. Item *ſudor Anglicanus,* per 24 horas durans, & aliæ febres permalignæ, quæ breuiſſimi exitus ſunt, quarum ſpeciem, multos celerrime abripientem, incolæ *Lutetiæ Pariſiorum* anno 1731. experti ſunt.

9. His anomaliis opportune ſubiungimus *criſium compoſitionem,* quæ de eximio naturæ robore teſtatur, eamque ob cauſſam bene cedit. Memoratu dignum eſt, quod *Alpinus* teſtis αυ-

τοπ]ης retulit exemplum, de viro *Bononienſi*, qui *Venetiis* cum febre ardente conflictatus, a primo die vſque ad XIIII. die nocteque ſanguinem e naribus emiſit, & aſſiduo copioſoque ventris profluuio, bilioſa deiiciente, laborauit, ac die XIIII. perfecte iudicatus eſt. Talia vero, ſi in debilioribus eueniunt, mature iugulant.

10. Dies criticos *ordinarios* eſſe VII. XIIII. XX. XXVII. & XXXIIII. ſupra iam ex *Hippocrate* indicauimus; *extra ordinem* vero quouis fere die alio criſes factas fuiſſe, multæ tam veterum, quam recentiorum, obſeruationes teſtantur. Quod ipſum plures permouit, vt omnes, a primo vſque ad viceſimum, criticos eſſe contenderent. Immo, ſi *Hippocratem* ſequamur, pauci deerunt, quin vicenarium numerum expleant. Ipſe enim *lib. I. epid.* III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. XI. XIIII. XVII. criticos declarauit. Quibus ſi ex obſeruatione *Galeni* addantur I. II. XVIII. çeu meliores, & XII. XV. XVI. XVIIII. ceu deteriores & infidos, vnicus remanebit XIII. qui tamen nonnumquam criſin die decimo quarto euenturam, anticipando oſtendit; quem ad modum apud nos, æque ac ſextus, *tyrannus* audit, & multos trucidare obſeruatur. *Conf. Galeni lib. I. de dieb. decret. cap. IV. V. Io. Phil. Eyſel Comp. ſemiol. quæſt. CIX.*

11. Speciatim autem de *ſexto* eiusque denominatione aliquid monendum; cuius indolem *Galenus* breuibus exponit: *ſextum*, inquit, *quanto pauciores in illo iudicantur, quam in ſeptimo, tanto maligniorem inuenio, qui fere natura ſua ſeptimo oppoſitus eſt.* Et *ſi ſubinde iudicat, incredibile eſt, quanta cum perturbatione, periculo & metu hoc fiat, quaſi æger fato ſit functurus. Decernit itaque praue & doloſe.* At ſeptimus pro excretionis portione *reficit magisque recreat.*

12. Tyrannicam eius indolem porro declarant ſequentia:

1) Pulſus concidunt.

2) Sudores ſunt inæquales, particulares, frigidi; vniuerſales autem ſi erumpunt, confeſtim intercipiuntur.

3) Quæ ανω & κατω reiiciuntur acria ſunt & fœtida.

 4) Par-

4) Parotides emergunt, aliique abſceſſus maligni, qui *nouum certamen requirunt.*

5) Vrinæ redduntur crudæ, decolores, tenues, ſine laudabili ſedimento, iam quaſi teſtaceo, iam arenoſo; copioſæ tamen ſunt in illis, qui e morbo euadunt.

6) Alios ſyncope corripit; aliis ſuffocatio ex immoderato ſanguinis profluuio imminet; quidam catoche vel mania prehenduntur; aliis marcorem inſanabilem & pernicioſos arquatos inducit.

13. Atque hæc ſunt, quæ ex veterum obſeruationibus de ferali ſexti diei genio addiſcimus. Inde mirum non eſt, quod huic diei *tyranni* inditum ſit nomen. Adſimilatur autem ſeptimus dies regi, ſextus tyranno: quia ille, tamquam princeps bonus concipitur, & clementior iis, quos iudicat, vel ſupplicii partem adimit, vel victoriam illuſtrat; hic autem vel pernicie illius, quem iudicandum accepit, gaudet & ſalutem dolet, quæritque, vbi animum expleat, ac ægrum, qui in ipſum incidit, male tractet, & longa punitione exerceat. *Vid. Galenus loco citato.*

14. Infauſtus ſæpe & vere inauſpicatus eſt pariter dies *nonus* in acutis, tum præcipue, cum primum ſeptenarium citra criſin præterlapſum eſt. Die igitur *octauo*, qui ſeptenarii ſecundi primus eſt, de nouis motibus decernit natura, quorum augmentum neceſſario in *nonum*, qui nouæ hebdomadis ſecundus eſt, incidit. Si iam hoc die vel intentio morbo fortiter reſiſtendi, defecerit, vel vires proſtratæ fuerint; nihil mirum, naturam tunc motibus in vniuerſum fatalem imponere finem. Hinc notum eſt veterum prognoſticon: Si acceſſiones diebus *paribus* contigerint, *octauo*; ſi *imparibus*; *NONO* decedet æger. *Gal. lib. I. de dieb. crit. cap. XI.* & *in libro de atra bile cap. IV.* commemorat, in magna ſui temporis peſtilentia, multis, qui ſeruati ſint, *nono* die eueniſſe excretiones aluinas & vomitus nigrorum.

15. Singularia eiusmodi phænomena anſam dederunt quibusdam Medicis credendi, peculiarem certis diebus ineſſe potentiam ſeu myſticam vim, qualem ſpeciatim ſeptimo, tamquam

quam criticorum præcipuo, adſignarunt. Quam ob rem *And. Laurentius in tract. de criſib. lib. III.* docet: naturam hominis miram habere oblectationem in ſeptenarii numeri electione, quia *Deus* ſeptimo diei bene dixerit, ab operibus quieuerit & Sabbathum in eo celebrandum iuſſerit. Quam vero incongruum ſit, a quiete illa, qua vſus legitur *Creator*, ad actum excretorium criticum argumentari, quilibet facile perſpexerit. *Actus* enim & *quies* ſunt contraria: Creator ſeptimo die quieuit, natura eodem vehementer laborat.

16. Incertam inſuper & illam *horarum* criticarum *δυναμιν* eſſe, quam ex themate natalitio elicere contendunt Aſtrologi, id ſæpius expertus eſt *Bruno*, qui his rebus tanto magis erat intentus, quo plus eius Collega, *Abdias Treu*, celebris tunc mathematum doctor, aſtrorum virtuti tribuere ſtuduerat.

17. Et hac occaſione deuoluimur ad problema illud; vtrum ſcilicet varia macrocoſmi phænomena, v. g. inſignes reuolutiones, aſtrorum adparitiones, obſcurationes in criticum actum influant, eumque alterent? Multi ex antiquis id tuto adfirmant, ſed plures ex recentioribus negant, prætexentes, aſtrorum corpora longe eſſe remotiora, quam vt vim aliquam exſerere in ſublunaria poſſint. Verum ſi dicamus, ab aſtris eorumque vario poſitu, reuolutionibus, mutationibus, phaſibus, criſin nullo modo pendere, ad accelerandam tamen & alterandam non nihil conferre poſſe, experientia nixi, vero non contrariabimur; cum, pro diuerſitate adparitionum lunarium, motus naturæ alias quoque vel fortiores, vel remiſſiores obſeruemus.

18. De *cauſſa* criſium *efficiente*, præter alia, notari meretur illud, quod iam *Galenus* obſeruauit, & ad infringendas fictiones quorumdam, qui a cauſſis phyſicis & mechanicis illas temere nimis & coacte deriuare contendunt, valere poteſt. Nimirum proxime ante excretionem criticam, & ſub illius ſucceſſu, ægros animo eſſe conſternatos, aliquando ſenſuum & vocis expertes, tremulos, decolores & quaſi agonizantes, vt etiam adſtantes ſibi metuant; criſi autem feliciter abſoluta animo exſiſtere bene compoſito, quieto ac

lætabundo, qualis eſſe ſolet illorum, qui e maximis periculis euaſerunt ſibique redditi ſunt. Neutrum profecto materia poteſt, etiamſi quam ſubtiliſſimam, aut craſſiſſimam tibi conceperis, perinde ac aliæ circumſtantiæ phyſicæ; alias omnes ac ſinguli, tunc ſimul febrientes, *vniformiter* iudicari deberent. Nam neceſſitas mechanica id abſolute poſtularet.

19. Tandem de vniuerſo criſeos negotio gubernando obſeruandum; Medicum ad iudicationem directe & poſitiue parum aut nihil conferre; turbare vero eamdem facile poſſe. *Motus enim naturæ,* inquit *Galenus*, *ſtatutis periodis contingunt, ſed ab externis rebus prohiberi poſſunt.* Qua occaſione Medicos ſui temporis redarguit, qui nimis officioſi ſe exhibuerunt, & criſes infauſtis ſuis conatibus conturbarunt. Vnde toties illos peccaſſe ſcribit, quoties ad ægrum acceſſerint. Quibus practici monentur, vt ab omnibus abſtineant, quæ arduum hoc negotium vllo modo peruertere poſſunt. Hic ſemper circumſpectione opus eſt, quia duplici plerumque peccari ſolet reſpectu, tam ab illis, qui languentem naturam ad criſin per calida, alexiphamaca & orgaſtica excitare laborant, quam ab aliis, qui excedentes eccriſes per ominoſa opiata inauſpicato auſu coërcere ſatagunt. Funeſta ſiquidem fata, quæ e veſtigio conſequuntur, idem abunde confirmant, quod *Galenus* cordate pronunciauit: Medicos nempe, qui per incongruas medicationes naturis graues fiant, non mereri, qui dicantur *naturæ miniſtri,* ſed naturæ potius & ægrotantium *hoſtes.*

20. Quantum vero ab ægris & adſtantibus hic peccari ſoleat, operoſe ſatis recenſuit *Galenus.* Nos, non quot modis peccari poſſit, ſed quid maxime expediat, ſtrictim exponemus. Bene videlicet in tali ſtatu agitur cum ægro,

1) Si ipſe faciat, quæ a perito Medico iniunguntur.
2) Si adſtantes in exhibendo victu, & obſeruando regimine, quod ſui eſt officii, fideliter exſequantur, neque vllo modo ad motus extraordinarios per animi pathemata occaſionem præbeant. Quibus obſeruatis, ſi ſigna adparuerint, quæ bene ſperare nos iubent, iudicatio futura eſt ſalutaris.

TAB.

TABVLA VI.
DE
SANGVINE.

I. DEFINITIO.

Sanguis, docente *phyſiologia*, eſt humor heterogeneus, craſſiuſculus, e *tribus* materiis, ſubtili nempe *terra*, temperata *pinguedine*, & phlegmatica *aquoſitate* commixtus, ſeu eſt maſſa, *ſanguine*, ſtricte dicto, *lympha* & *ſero* conſtans.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quia *definitio* generalis eſt, & crama illud in arteriis ac venis contentum deſcribit; explicandum quoque erit, quid *ſanguis* ſit *ſtricte* dictus. Per hunc autem intelligitur pars illa rubicunda terreo-ſalina, quæ reliquis humoribus συζυγοις, albicantibus, inſtar globulorum innatat, iisque rubrum colorem conciliat. *De lymba & ſero vid. Phyſiologia.*

2. Perplexe admodum deſcribere ſanguinem ſolent veteres, vt ſenſum ſeu conceptum illum, quem nos hic ſuppeditauimus, non facile quis inde eruerit. Obtulit ſe tamen pericope quædam in *Galeno*, quam cum tironibus communicare, non inutile arbitramur. *Sanguinem*, inquit, *nunc intelligo humorem vniuerſum, qui in vaſculis ineſt, in quo & pituita, & biles, & tenues liquores continentur. Hic & melior & deterior efficitur: at is, qui ſanguis κατ' ἐξοχην adpellatur, alium, præter rubrum, colorem habere non poteſt. Vid. eius Comm. II. in Hipp. lib. de humorib. f. m. 18.*

3. Idem auctor alibi quoque meminit
   1) portionis cuiusdam in ſanguine, quæ ſero in lacte ex proportione reſpondeat.
   2) limi cuiusdam & quaſi fæcis in ſanguine, caſeo ex lacte ſimilis.

3) fibrarum, quæ ſi detrahantur, ſanguinem concreſcere non poſſe.

4) Partis rubræ ac flauæ. *Conf. lib. II. de elem. cap. II. ſ. 9. & lib. II. de temperament. cap. IV. ſ. 17.* ſanguini *pingue*, *leue* ac *tenue* ineſſe adſerit.

4. Sanguis ratione *indolis* generatim vel *ſanus* vel *vitioſus* eſt.

1) *Sanus* dicitur, qui nihil refert, quod dici poſſit præternaturale; ſiue colorem & conſiſtentiam, ſiue odorem & ſaporem ſpectes.

2) *Vitioſus*, qui in aliquo momento a ſano deflectit.

5. Ratione *coloris* vel

1) intenſe *ruber* & quaſi miniatus eſt,

2) ex *rubro palleſcens*;

3) *albicans* &, quod rariſſime euenit, velut *lacteus*,

4) *flauus* aut ſubflauus,

5) *ſubuiridis*,

6) cœruleus,

7) nigricans aut ater.

6. Ratione *conſiſtentiæ* vel

1) *Naturalis* ſeu fluxilis & tenuis, vt capillaria quoque penetrare valeat vaſa.

2) *præternaturalis*

(1) craſſus & lentus, interdum coagulo ſimilis,

(2) nimis tenuis & reſolutus.

7. Ratione *craſeos* vel

1) *Lympha* plurimum refertus,

2) *Bile* inquinatus,

3) *Sero* mucido abundans.

8. Ratione *ſaporis* vel

1) Subdulcis,

2) Subſalſus aut plane amarus.

9) Ra-

9) Ratione *odoris*
   1) vel huius penitus expers deprehenditur,
   2) vel vero ob manifeſtam corruptionem quodam modo fœtet.

10. Tractatio præſens, bifariam diuidenda, ſiſtet prognoſtica, quæ deſumi ſolent
   1) a *differentiis*, quæ *numeris* prægreſſis recenſitæ ſunt.
   2) ab ipſis ſanguinis *effluxibus*.

III. *PROGNOSIS.*

A. *Generalis.*

De Sanguine.

1. Sanguis in per multis ſubiectis non tantum abundare *poteſt*, ſed etiam ad vitium vſque *ſolet*.

2. Abundantia ſanguinis, vtut optimi, grauando vires, inducendo ſpiſſitudinem, impediendo ſecretiones & excretiones grauiter adfligere ſolet ſanitatem. Abundantiam enim ſub otio excipit ſtagnatio, hæc autem abit in ſtaſin & vlteriorem corruptionem.

3. Abundantia ad vires incipere quidem poteſt ſine corruptione, non vero diu bona permanere. Neceſſe enim eſt, vt ſecundum qualitatem transmutetur, & proceſſu temporis corrumpatur. *Galenus in comm. II. in aph. Hipp. f. 310.*

4. Magna in ſanguine facta corruptio non redit amplius ad habitum naturalem; vbi vero pauca contigerit, ibi ſuperfluo prius euacuato, id quod reliquum exſiſtit, ad ſuam iterum naturam reſtituitur. *Idem. Protaſis* quidem hæc eſt veriſſima, ſed *apodoſis* benigna indiget interpretatione.

5. *Quantitas* princeps fundamentum conſtituit vitioſæ *qualitatis*, ſeu præualente ſemel abundantia facile læditur conſiſtentia & qualitas.

6. Sanguinis cum euphoria ſubtractio, ſiue per naturam, ſiue per artem facta, eumdem abundaſſe clare teſtatur, alias eueniret contrarium.

7. Mor-

7. Morbus chronicus, cuius fomes abundans ſanguis eſt, ſine ſufficientibus motibus conſumtoriis, funditus exſtirpari nequit.

8. Sanguis eſt motuum inſtrumentum; motus autem ſunt inſtrumentum principii vitalis. Læſo igitur ſanguine, neceſſario quoque lædi debent conſeruatorii motus.

9. Quo vitioſior ſanguis eſt, eo maiorem vitæ ac ſanitati inferre valet noxam.

10. Sanguis abundans & ſpiſſus vno impetu vehementer commotus, ſtagnationes, infarctus & ominoſas ſtaſes poſt ſe relinquit.

11. Ad vitiandam ſanguinis qualitatem victus craſſus & regimen incongruum in laborioſis parum; ſed diæta lauta, otium perenne & animi pathematum inſolentia plurimum conferunt, turbando circulationis vigorem; quo lentius autem iſta proceſſerit, eo magis inualeſcet ſpiſſitudo.

12. Quanto manifeſtior ſanguinis ſpiſſitudo eſt, tanto maiori copia ſeri mucidi abundat.

13. Quo rubicundior ſanguis eſt, eo plus de principio ſulphureo participat. Sed phlegma mucidum abundans illum decolorem & ex rubro palleſcentem, portio autem terreo-mucida prædominans nigricantem efficit.

14. Sanguis puerorum rubicundior eſt, quam ſenum, tametſi ſanorum.

15. Sanguis arteriarum floridior, venarum autem teſte αυτοψια obſcurior eſt. Ad quem ſenſum reuocanda eſt *Galeni* adſertio, quæ ſanguinem arteriarum flauum, venarum autem rubicundiorem eſſe adfirmat. *Vid. liber de atra bile cap. II.*

16.Ślioſa colluuies, prout parcius vel copioſius ſanguini admixta fuerit, colorem eius naturalem mutat vel in flauum vel in viridem.

17. Sanguis *optimus*, inquit *Galenus*, accurate talis eſt, in quo color ruber prædominatur. *De atra bile cap. II. f. 25.* Sed *lib. I. de ſanit. tu. cap. IX. f. 51.* plenius: optimus ſanguis eſt, qui

qui nec flaua abundat bile, nec atra, nec pituitoſus, nec ſeroſus, nec aquoſo liquore permiſtus. Naſcitur autem eiusmodi ſanguis ab exercitatione moderata & cibis boni ſucci.

18. Sanguis arteriarum & calidior & tenuior eſt, quam venarum. Vtrum vero a *Galeno, libro de vſu pulſuum cap. II.* recte dicatur *halituoſus*, dubio ſubiacet.

19. Sanguis purus excrementoſo eſt calidior. *Galenus de vſu part. corp. hum. lib. XIV. cap. VII.*

20. Sanguis ſanus & calidus, in linguam effuſus, dulcis adparet, ſi ſecundum naturam habuerit; morbidus autem amarus & ſalſus eſt, aliasue eius generis qualitates præ ſe fert. *Galenus de ſimpl. med. fac. lib. IV. cap. XVI. de atra bile cap. II.*

21. Sanguis aqueam oſtendens dulcedinem, cruditatis & multæ pituitæ ſignum exhibet.

22. Qui ſanguis ſero deſtitutus, aut parca huius copia præditus eſt, & extra vaſa cito concreſcit, ille, quod vere craſſus ſit, luculentum teſtimonium præbet. Qui vero in venis iam concreſcit, vltimum ſpiſſitudinis gradum adeptus eſt. Vidit eiusmodi ſanguinem *Tirefortius* chirurgus, qui in quodam viro per venæſectionem ſanguinem detrahere nequiuerat, niſi inciſione ad trium digitorum transuerſorum longitudinem facta. *Conſ. Borellus Cent. IV. obſ. 93.*

23. Ratione temperamentorum optimus ſanguis eſt cholericorum & ſanguineorum, qui ſani ſunt. Phlegmatici autem & Melancholici ſecundas tenent.

24. Mulierum albidiores ſanguinem aceruare ſolent *tenuem*; nigriores *craſſiorem* & melancholicum. *Galenus de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. XI.*

25. Sanguis vere fœtidus e corpore vix vmquam exſtillare poteſt, quia vita tantæ corruptioni aduerſatur. Si autem contingeret, inſtantis exitii eſſet indicium.

26. Optimus ſanguis breui in peſſimum conuerti poteſt; peſſimus vero intra longum tempus non niſi ægre emendatur.

De fluxibus ſanguinis.

27. Sanguis moderate profluens, venoſus; at cum ſaltu prorumpens, arterioſus eſt; niſi forte venæ pertuſæ arteria ſubſtrata ſit.

28. E vaſis capillaribus promanans tenuior eſt, quam qui e canalibus amplis exſtillat.

29. Sanguis poſt effluxum non concreſcens, nimiam tenuitatem & abundantem aquoſitatem immixtam eſſe declarat. Interdum vero præter naturam reſolutum eſſe indicat.

30. Sanguis grumoſus exſtillans, malum eius ſtatum nunciat, & corruptionem ſcorbuticam prodit.

31. Sanguis a remotis partibus effluens, nigrior adparet; a propinquis, floridior.

32. Sanguis ab aliqua parte ſubito & confertim exiens, ſecundum quosdam ſupponit vaſis ruptionem; paulatim vero manans, eroſionem. Sed differens in fluendo vigoris gradus, circulatorii potius motus intenſione vel remiſſione nititur.

33. Sanguis e naribus fluens paucus, ex aliquot tantum cerebri venis; multus autem e toto cerebro exire præſumitur.

34. Hæmorrhagia parcior, quæ adhibitis medicamentis ſtatim ceſſat, neque capitis dolorem coniunctum habet, ea ex naribus ſolum promanauit.

35. Plethoræ moleſtias hæmorrhagiæ naturales ſpontaneæ melius leuant, quam artificiales.

36. Sanguis quidem *ſupra* (per os, vt interpretatur *Galenus*) qualiscumque fuerit, emiſſus, malus; infra autem ſi niger deiiciatur, bonus. *Aphoriſ. IV. 25.*

37. Sanguinis per nares fluxus in ſanis iunioribus nihil portendit mali; indicat vero plethoram & exercitationis intermisſionem.

38. Sanguis exſpuendo redditus, & paulo poſt euaneſcens, vtplurimum e gingiuis cruentatis manauit.

39. Sanguis cum parua tuſſi reiectus, ſæpe e faucibus habet originem;

ginem; qui vero ſub tuſſi fortiori floridus & ſpumoſus excernitur, plerumque e pulmonis rupto vaſculo proſilit.

40. Sanguis cum vomitu eructatus, e venæ ſplenicæ extremitatibus ſeu vaſis *breuibus* ruptis in ventriculum pullulat, ac inde expellitur.

41. Inter mingendum excretus ſanguis, largiter fluens, mictum cruentum indicat. Si vero parcius admiſcetur lotio, læſionem vel in renibus, vel vreteribus vel veſica manifeſtat, & calculoſis familiare eſt.

42. Sanguis ex inteſtini recti ora ſeu limbo manans hæmorrhoides *externas*, profundius autem ex illo erumpens, *internas* apertas eſſe declarat.

43. Si in iunioribus menſtruatim excernatur, *internam*; ſi vero in prouectioribus tempore verno & auctumnali profluat, *externarum* fluxum indicare quidem dicunt, ſed hæc adſertio experientiæ non vbique reſpondet.

44. Sanguis ſplendidus aluo per ſeceſſum reiectus, malo eſt; præſertim ſi dolor aliquis adſit. *Coac. 605.* Hic aphoriſmus noſtro tempore, quo negotium hæmorrhoidale clarioris lucis factum eſt, multum de valore ſuo omiſit.

45. Fluxus ſanguinis, ſponte natura excitatus, ſemper quidem ſalutarem finem reſpicit, ſed ob excretorii periculoſam electionem, excretionem nimiam, aut valde parcam, ſæpe hoc fine excidere ſolet natura: hinc maiora ſubinde incommoda, quam leuamina conſequuntur; ſi inprimis ſubiectorum diſpoſitio, ætas ac tempus huic negotio non admodum velificentur. *Conf. ſupra tab. de hæmorrhag. nat.* & *Io. Mart. Holtzheu diſſ. de hæmorrhagiis naturalib. ſecund. nat. intention. dirigendis Erford. 1725.*

46. Sicut motus vitales erronei raro citra damnum decurrunt: ita etiam ſanguinis profluuia, magis ex conſuetudine quam neceſſitate producta, mala habent conſectaria.

47. Hæmorrhagia, inflicto venæ vulnuſculo, parce aut plane non ſuccedens, niſi nimia ſpiſſitudo ſubfuerit, aut timorem,

aut inciſionem iuſto minorem, interdum etiam ſyncopen, aut dimotam e ſitu ſuo venam indicabit.

B. *Specialis*

1. In *Febribus*

De Sanguine.

1) Sanguis in febre miſſus, reſpectu *vigoris*, quem in proſiliendó manifeſtat, vel vegete propullulat; vel lente manat: vtrumque fit vel gradu intenſiori vel remiſſiori. Prius de auctis motibus & virium præſentia; poſterius de contrario teſtatur.

2) Qui vero arcuatim & cum impetu prorumpit, motuum vitalium exacerbationem portendit. Quemadmodum ſponte ceſſans emanatio animi deiectionem, motus progreſſiui torporem, ſoporoſa ſymptomata & ſiniſtrum euentum præſagit.

3) Reſpectu *coloris* ſanguis intenſius rubens, fortiter circumactam quidem ſanguinis maſſam oſtendit, ſed ſimul variorum accidentium ſyndromen denunciat, quorum quædam iam dum adfligunt, vel proxime imminent. Quo referas orgaſmum, impeditam reſpirationem, agrypniam, inquietudines.

4) Sanguis flauus, vti in ardentibus bilioſis obſeruatur: ita de vitioſa bilis eccriſi & noxia cum reliquo ſanguine confuſione teſtatur. Vnde intenſi ardores, ſitis clamoſa, faucium ac linguæ ariditas & anxiæ iactationes emergunt.

5) Sanguis eorum, qui febre hectica detinentur, remiſſius rubens, & minus dilutus, ordinarie pinguedinem, qua ſerum ſupra natans obductum eſt, oſtendit, eoque ipſo lympham ſub motibus aſſiduis hectico-febrilibus reſolutam eſſe declarat. In ſanis autem obeſis nihil mali indicat.

6) Sanguis ex nigro viridiſcens, qui male cohæret, & fruſtillatim quaſi diſcerptus adparet, in contagioſis malignis malum portendit, inprimis ſi odor ſimul aduerſus fuerit.

7) Qui

7) Qui ſanguis colorem refert ſpadiceum, variis recrementis fœdatum & ad mouendum ineptum eſſe arguit. Hinc de ſucceſſu motuum febrilium depuratoriorum non niſi anceps formari poterit prognoſticon; cum natura ſuccumbere poſſit prius, quam omnem peregrinorum colluuiem ex ſanguinis maſſa eiecerit.

8) Sanguis conſpicuo nigrore e febrientis corpore eductus, ob ſecretionum & excretionum defectum, adeoque ſordium retentionem, eximiam dyſcraſiam prodit, cui mederi poteſt febris, ſi motus vegeti, æquales, conſtantes opponantur a natura; ſi vero ipſa in morbi incremento aut prius torpeſcat, aut ad comatoſas vſque anomalias deficiat, exitium adfore certum eſt.

9) Sanguis nigricans, qui aquoſitatem ſupra natantem habet, ſæpius obſeruatur in quartanariis ſub initium.

10) Sanguis ex liuido obſcurius virideſcens, hepatis inprimis male adfecti vitium indicat, febrilem vero laborem impeditum & multis difficultatibus ante plenam eluctationem obnoxium prænunciat.

11) Reſpectu *conſiſtentiæ* ſanguis tenuis & dilutus, ceterum bene coloratus, quem ſpuma tegit, vna cum pulſu forti, maſſam humorum valde commotam eſſe ſignificat; in febre ſpeciatim æſtum, ſitim nimiam, reſpirationem difficilem &, quæ ſemper adnexæ ſunt, anxietates, immo & mentis motiones portendit.

12) Sanguis craſſus & ſpiſſus, vti ſemper omnimodæ anomaliæ in vitalibus, naturalibus & animalibus anſam præbet: ita in febribus acutis præcipue difficilis & ſæpe funeſti exitus index habetur. Si vero cito in cogaulum abit, impeditiorem laborem februantem futurum nunciat.

13) Sanguis, reſpectu coloris & conſiſtentiæ temperatus, craſin parum vitiatam, & decurſum motuum febrilium expeditum promittit.

14) Sanguis ſpumans, & leui cuticula diſcolore obductus

 viſce-

viſcera inflammata eſſe prodit. Vnde *Galenus de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. XIV. In inflammatione ſanguis, quia plus excalefactus eſt, rubrior flauiorque exſiſtit, quam qui ſecundum naturam conſtitutus eſt.*

15) Suppurantis ſanguinis indicium eſt carentia vtriusque coloris ruboris ſcilicet & nigritiei. Num vbi ruber eſt, inflammari; vbi ex toto niger eſt, neque ſuperari neque concoqui ſe a natura denunciat. *Galenus in comment. ad lib. de fracturis f. m. 274. it. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. XIV.*

16) Qui ſanguis, poſt emisſionem, fluxilitatem diu retinet, febris augmentum & nimiam humorum exagitationem indicat.

De ſanguinis fluxibus.

17) Stilla narium, die indice, bonam criſin prænunciat; die autem critico eueniens, pernicioſa eſt. *Galenus in Comm. ad Hipp. prorrh. f. 43.* Sed quot exceptiones, reſpectu perniciei, hæc regula admittit?

18) Perpuſillæ ſanguinis e naribus ſtillæ, damno ſunt *Coac. 57.* quia ſanguinem commotum & ad caput congeſtum, non vero ſatis diu reſtrictum, detentum & cum vigore propreſſum eſſe produnt; vnde conatus dimidiati & parum ſalutares. Interim hæc adſertio itidem non eſt vniuerſalis.

19) Hæmorrhagia narium, iuſto tempore morbi ſuccedens, ſynochum ſoluit; continuas autem non ſemper leuat, nedum iudicat, ſi inprimis tardius adparuerit.

20) Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, peruigiles ſunt, ſanguinem e naribus ſtillant, *ſexto* die alleuantur, noctu laborant, ac poſtridie tenui ſudore correpti & in ſomnum delati delirant, iis largam ſanguinis e naribus fluxionem adfore ſpes eſt. Ac forte etiam tale quid diluta vrina ſignificat *Prorrh. l. 132.*

21) Quibus *quinto* die liberales ſanguinis profuſiones contingunt, & *ſexto* nouo oborto rigore corripiuntur, *ſepti-*

mo

mo perfrictionibus tentati celeriter recaleſcunt, iis alui male adficiuntur. *Coac. 329.*

22) Sanguinis e naribus ſtillationes, quæ *vndecimo* die contingunt, moleſtiam adferunt; tum vero præſertim, ſi bis ſanguis ſtillauerit. *Coac. 337. Prorrh. I. 148.*

23) Sanguinis ex parte aduerſa præpoſterum profluuium, malum eſt: veluti ſi in lienis tumore e dextra nare effluat. Quod & circa præcordia eodem modo ſe habere exſpectandum eſt. Maius autem malum denunciatur, ſi cum tenui ſudore circa frontem & thoracem iſtud contingat. *Prorrhet. I. 125. Coac. 327.*

24) Sanguinis eruptiones vehementes cum totius corporis perfrictionibus diebus iudicatoriis peſſimæ. *Prorrh. I. 134. Coac. 326.*

25) In *epidemicis* largæ de naribus eruptiones fere liberant. Nam per ſolam hanc hæmorrhagiam iudicatus & ſeruatus eſt *Meton, lib. I. epid.* quamuis non tuta haberet ſigna. *Vid. Gal. Comm. III. in Hipp. I. epid. æg. VII. f. 91.* Hæc generatim quidem vera ſunt, ſi autem hæmorrhagiæ extra dies criticos contingant, ſæpius lethales obſeruantur. Quare ſequens paragraphus cum hoc combinandus eſt.

26) Narium hæmorrhagia in *malignis*, quæ pulſum fortem poſt ſe relinquit, & æſtum magis adauget, oppido mala eſt, & morbum deteriorem efficit.

27) In *ardentibus* hæmorrhagia narium non abſolutæ neceſſitatis eſt. *Hippocrates* enim *lib. I. epid.* obſeruat, ardentes feliciter ſublatas tam cum copioſo narium profluuio, quam ſine illo.

28) Dum ſanguis in febribus *inflammatoriis* plethoricorum in morbi principio largiter e naribus ſtillat, facilem decurſum ſpondet ac æſtum minuit.

29) Sanguinis e naribus eruptio quæ circa diem quartum copioſe in *phreniticis* contingit, bonum ſubminiſtrat præſagium; ſed malum, ſi parcius ſtillat.

30) In

30) In doloribus lateris ſanguinis e naribus ſtillatio mala eſt. *Coac. 405.*

31) Hæmorrhagiæ narium in variolis & morbillis, tam iuniorum, quam adultorum, etſi reliquum morbi decurſum ſæpe ſatis tranquillum reddiderint: minime tamen criticæ ſunt, neque ſemper citra noxam eueniunt, maxime quando die quarto erumpunt.

32) Sanguinis e naribus profuſio *hecticam* febrem raro leuat, ſæpe autem vires magis labefactat, quia ſanguinem præcipuum motuum inſtrumentum ſubtrahit.

33) Qui *intermittentibus* corripiuntur, & ſub initium portionem ſanguinis, quo abundant, e naribus demittunt, facilius morbum ſuperant.

34) Vbi ſanguis e naribus effluit, cum tenuibus ſudoribus & corporis totius perfrictione, morbi malignitas & pernicies denunciatur. *Prorrh. I. 126. Coac. 342.*

35) Quæ magnæ ſunt in *principiis* ſanguinis eruptiones, dum ægri vires recolligunt, aluum effundunt. *Coac. 335.*

36) Larga, vehemens & multa ſanguinis e naribus eruptio, per vim ſuppreſſa, interdum ad conuulſiones deducit, ex quibus venæſectio liberat. *Prorrh. I. 145. Coac. 336.*

37) Quibus pauca ſanguinis e naribus ſtillatio, cum ſurditate & torpore obueniens, moleſtiam quamdam exhibet, iis vomitio & alui perturbatio confert. *Prorrh. I. 141. Coac. 334.*

38) Quibus, ex larga & frequenti ſanguinis eruptione, copioſa fit nigrorum deiectio, cum alui vero ſuppreſſione ſanguinem profundunt; iis aluus dolore conflictatur, vna autem cum quibusdam flatibus tolerabilius ferunt. Ac forte in copioſis frigidis ſudoribus diffluunt. In his returbata vrina mala non eſt, neque quod in ea inſidet genitali ſemini ſimile. Vtplurimum autem hi dilutas vrinas reddunt. *Coac. 333.*

39) Hæmorrhoidum & menſium fluxus, hæmorrhagiæ narium iunctus, anceps in febribus conſtituit præſagium.

2. *In aliis morbis*

De Sanguine.

1) Vti bene coloratus & debite dilutus ſanguis bonum ſanitatis ſtatum declarat: ita nigricans & ſpiſſus vitium conſiſtentiæ & craſeos, impeditas ſecretiones & excretiones, malum hypochondriacum, hyſtericum & ſpleneticum prodit, cum quibus alia conſueta ſymptomata coniuncta ſunt, vt melancholia, cephalalgiæ vertiginoſæ, præcordiorum anguſtiæ, cordis palpitationes, phlogoſes, flatulentia, alui obſtipationes, aliæque primarum viarum anomaliæ.

2) Sanguis ſaturate ruber, & ſero dilutus, cum ſtriis lacteis, in homine, ceteroquin ſano, victum plenum, otii libertatem & abundantiæ vitium arguit.

3) Sanguis intenſe rubens, cum ſpuma, molimina ad hæmoptyſin, ſi ætas conſpirat, denunciat. Alias vero aſthmatica pathemata prodit, præcipue ſi non æqualiter cohæreat, & ſerum diſcolor ſupernatans oſtendat.

4) Sanguis bene coloratus, tenuis & ſpuma præditus, qui tardius coagulum format, articulorum dolores ſpaſticos arguit.

5) Sanguis ſuperne ruber, in fundo nigricans & coagulatus, ſine ſero, aliquando podagræ aut hemiplexiæ habetur indicium; licet hoc ſignum non ſit vniuocum.

6) Sanguis inæqualiter rubicundus & ſpumans, paſſim grumoſus & ſerum ſordidi coloris dimittens, deliria & interdum maniam nunciat.

7) Sanguis ex viridi nigricans, de melancholia, ira, moerore & vitiata bilis eccriſi teſtari ſolet. Aliquando thermarum propoſterum vſum excipit.

8) Sanguis decolor & mucidus, a quo ſerum & pars gelatinoſa promte ſeparantur, hydropis aliarumque hæmorrhagiarum ſuppreſſarum adeoque ſtatus cachectici index eſt.

9) Sanguis nigricans, minus dilutus, ſerum tardius dimittens & facile grumeſcens, ſcorbuticæ corruptionis indolem manifeſtat.

10) Sanguis ex ſpadiceo nigricans, mucidus, ſero flauo & cuticula obductus, ſcabiem denunciat.

11) Sanguis diſcolor, qui promte cuticula obducitur, quæ æque diuerſos colores refert, primarum viarum vitia, hepatis & glandularum meſeræi indurationes prodit.

De ſanguinis fluxibus.

12) Hæmorrhagia narium iuniorum plethoricorum, quo magis periodica eſt, eo minus aliquid mali nunciat.

13) Hæmorrhagia narium cephalalgiam, a congeſtionibus ortam, cum euphoria ſoluit.

14) Tenebricoſas vertigines, circa initia, ſanguinis ex naribus fluxio ſoluit. *Coac. 341.*

15) Hæmorrhagia narium quo frequentius contingit, eo minus leuaminis adfert, quia ad varias motuum anomalias diſponit.

16) Sanguis, durante conuulſione, e naribus prorumpens, malum.

17) Hæmorrhagia narium largior in illis, quæ ſtrangulatione vteri vexantur, leuamini cedit. Non minus mulieri, quæ menſium defectu laborat, ſanguis e naribus profluens bono eſt. *Hipp. Aph. V. 33.*

18) Qui ſtatis temporibus ſanguinem fundunt, ſi ſiticuloſi ſint, moleſtiam ac virium exſolutionem ſentiant, nec ſanguinem effuderint, in morbum comitialem tranſeunt. *Prorrh. I. 131.*

19) Qui ſuppreſſa aluo ſanguinem e naribus fundunt, & vna cum ſanguinis profluuio ſubinde rigent, iis aluus inteſtinorum læuitate laborat, aut aſcarides infeſtant, aut vtrumque. *Coac. 344. Prorrh. I. 138.*

20) Qui-

20) Quibus cum ſurditate & torpore paucus e naribus ſanguis ſtillat, nonnihil moleſtiæ exhibet, iis vomitus & alui perturbatio confert. *Coac.334. Prorrh. l.141.*

21) Quibus capitis ac ceruicis dolor & totius corporis impotentia cum tremore adeſt, ab iis ſanguinis eruptio liberat. Quin etiam iſta tempore diſſoluuntur. *Prorrh. I. 152.*

22) Quibus lumborum dolor in caput & manus recurſat, & torpore adfecti oris ventriculi dolorem ſentiunt, tenuibus ac ſeroſis humoribus abundant, ii liberaliter ſanguinem profundunt. *Prorrh.I.139.*

23) Vbi aluus intercepta eſt, & arcte concluſa paruaque & nigra caprarum ſtercoribus ſimilia, nec niſi coacta emittit: hoc caſu ſanguis e naribus erumpens periculo eſt. *Prorrh. I.41.*

24) Quibus ſanguinis eruptiones diu perſeuerant, in iis temporis progreſſu aluus male adficitur, niſi vrina concocta prodierit. Ac fortaſſis tale quid vrina diluta denunciat. *Prorrh. I.133. Coac.332.*

25) In præcipiti malo, quæ poſt ſanguinis eruptiones & nigrorum per aluum refuſiones ſurditas obuenit, malum denunciat. In his ſanguinis egeſtio perniciem adfert, ſurditas autem ſoluit. *Coac.331.*

26) Sanguis ex gingiuis cum humecta aluo profluens, perniciem minatur. *Coac.241.648.*

27) Spinæ peruerſionem & ſpirandi difficultatem ſanguinis fluxus liberat *Coac.311.*

28) In pulmonum vitiis ſupra modum rubræ ſanguinis ſtillæ malum denunciant. *Coac.412.*

29) Diuturnis in morbis paruæ adparentes ſanguinis e naribus fluxiones perniciem oſtentant. *Coac.340.*

30) Qui ſpumantem ſanguinem euomunt, partibus infra ſeptum transuerſum dolorem nequaquam ſentientibus, iis ex pulmone vomitio fit. Ac quibus quidem inſignis in

eo venæ ruptio fit, copioſius vomitione reiicitur, periculumque imminet; quibus vero minor, minus reiiciunt, & maiorem ſanitatem promittunt. *Coac. 433.*

31) Sanguis multus & confertim exiens per os, poſt vociferationem, aut cantus, ex pulmone prorumpit, ſi bene coloratus fuerit ac tenuis: ſi vero cum tuſſi, difficultate & dolore excernitur grumoſus & niger; e thorace veniſſe indicium eſt, ſi præcipue dolor in illo, vel in latere præceſſerit.

32) Si thoraci vulnus inflictum ſit, & ſanguis per os exeat, vulnus penetrans eſſe declarat. Et licet non vſque in pulmonem; tamen in thoracis cauitatem penetraſſe, credendum. Nam ex thorace imbibi aliquando in pulmonem ſanguis poteſt, ſed difficulter, vnde potius pulmonem ſimul vulneratum eſſe, coniiciendum. *Fienus.*

33) Quando ſanguis per os & nares exit, & caſus, vel percuſſio ſupra caput, aut vulnus præceſſit; tum cranium plerumque fractum & meninges læſas eſſe indicat.

34) Qui ex vulnere ſubinde rigentes ſanguinem profundunt, ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. *Coac. 328. Prorrh. I. 128.*

35) Sanguis ſeroſus vulnerato thorace exiens, indicat, pericardium eſſe læſum. Si vero vulnus eſt in hypochondriis, & ſanguis inde manat cum chylo, ac inſuper redditur per vomitum; ventriculum vulneratum prodit.

36) Hæmorrhoides, in ſanis legitime fluentes, a variis morbis præſeruant, & medicinæ vices explent. Nimius autem earum fluxus animi deliquia, hydropem & apoplexiam infert.

37) In apoplecticis, qui non male habent in vltimo gradu, hæmorrhoides mature ſuperuenientes, & largiter fluentes, vtiles ſunt. *Coac. 478.*

38) Hæmorrhoides in ſubiectis, quæ polypo cordis adfliguntur, leuamen adferunt.

39) Hæmorrhoidum fluxus menſibus, per ætatis rationem diſpa-

diſparentibus, ſuccedens & cum euphoria continuans, illorum non modo defectum reſarcit, ſed ſenectutem quoque a morbis pæne liberam pollicetur.

40) Si ſanguis exeat multus ab ano, permixtus fæcibus, ab hepate vel meſeraicis venis prouenit ſeu hæmorrhoidalis eſt. Nam qui venit ab inteſtinis, ſemper eſt fæcibus permixtus. *Fienus.*

41) Sanguis ſeroſus, vel loturæ carnis ſimilis, deiectione exiens, non ſemper neceſſario eſt fluxio hepatica, ſed poteſt eſſe hæmorrhoidalis, ſi præcipue ſubiectum ſit cacheॲticum, & venas ani tumentes ac dolentes habeat: ſi vero iſta deſint, hepatis vero grauitas & faciei pallor conſpicua ſe offerant, hepaticum fluxum eſſe credatur.

42) Menſium vices ſi hæmoptyſis expleat, minime tutum eſt.

43) Quibus prægnantibus, ad tabem inclinantibus faciei rubor exoritur, hunc ſtillationes e naribus auertunt. *Coac. 524.*

44) Muliebria purgamenta non ſubſiſtere, vtile; ac forte ex talibus comitales morbi oriuntur, partim vero diuturnæ alui ſubductiones, partim etiam hæmorrhoides. *Coac. 522.* Sed mulieri, ſanguinem vomitione reiicienti, menſtruis erumpentibus ſolutio contingit *Aph. V. 32.*

45) Adparentibus menſibus crebræ ſoluuntur oculorum caligines. *Coac. 522.*

46) Menſes in grauidis erumpentes, vel fœtum imbecillem, vel abortum præſagiunt.

47) Cum ſanguis per virgam exit ſine vrina; tum maxime ab ipſa virga prouenit, in primis poſt inſtrumentum illi intruſum.

48) Si vna cum vrina excernitur ſanguis paucus, & lotio perfecte non mixtus, ac ſtatim ſubſidens, a læſa veſica ortum habet; præcipue ſi dolor in perinæo perceptus ſit.

49) Sanguis vrinæ intimius permixtus, & tardius ſubſidens,

e renibus promanat. Hinc *Hippocrates Aph. IV. 77. Qui ſponte ſanguinem cum vrina effundunt, iis venulam in renibus ruptam eſſe ſignificat.*

50) Si quis ſanguinem & grumos cum vrina fundat, & ſtranguriam habeat, dolorque in hypogaſtrium incidat; tum ea, quæ ad veſicam attinent, laborant. *Hipp. Aph. IV. 79.*

51) Omnis fluxus ſanguinis nimius, ac diu durans, perniciem adfert. Cachexia enim, hydrops, virium exſolutio, ſingultus, conuulſio, deſipientia, tremor & mors ſequi ſolent.

52) Paucus ſanguis pituitoſus, ſine frequenti deſidendi conatu, ſed cum difficultate & dolore circa os pubis aut latera ventris, e regione ventriculi excretus, vlcus prodit in colo; vnde ſanguis etiam manat.

53) Sanguis aliquamdiu poſt perceptum dolorem circa vmbilicum, per aluum reiectus, & fæcibus permiſtus, vlcus in inteſtinis ſuperioribus arguit, præcipue ſi parua quantitate & poſt pituitæ aut ramentorum pinguedinis eiectionem excretus ſit.

54) Sanguinis fluxus per vaſorum diſruptionem contingens, periculoſiſſimus habetur. Nam ante, quam vaſa conſolidentur, æger aut moritur, aut in maximam debilitatem coniicitur.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Diagnoſes æque ac prognoſes hæmorrhagiarum tam naturalium, quam præternaturalium, a priſcis Medicis plures formatas eſſe, *Hippocratis* & diſcipulorum quorumdam ſcripta ſemeiologica, operibus illius inſerta, ſatis atteſtantur. Quantaque cum adcuratione *Galenus* in id opus incubuerit, ampla ipſius loquuntur commentaria. Signa autem ex ſanguinis colore, conſiſtentia aliisque eius accidentibus, tam diagnoſtica, quam prognoſtica, recentiores maximam partem adnotarunt, & in artis formam redigere conati ſunt; opera non quidem temnenda, vtilitate tamen longe inferiori, ſi cum illo comparaueris vſu, quem e fluxuum ſanguinis conſide-

ſideratione, reſpectu temporis, modi, quantitatis, frequentiæ, ſubiectorum & commodorum, quæ inde pendent, haurire licet.

2. Interim diffitendum non eſt, dari quasdam in veterum Medicorum pandectis obſeruationes, quæ ceu veſtigia hæmatomantiæ reſpici poſſint. v. g. *Galenus libro I. de arte curat. ad Glaucum cap. XI.* iubet: vt ſi vena inciſa ſanguis fluat *niger* atque *craſſus*, qualis præcipue ſit in illis, qui liene laborent, illum audacius eſſe mittendum: quod ſi *flauus* aut *tenuis* conſpiciatur, ſtatim ſupprimendum. *Idem in libro de atra bile cap. IV.* morbos ex calida & ſicca intemperie ortos, ſanguinem efficere *nigrum* & *craſſum*. Et *libro V. de locis adfectis cap. VII.* obſeruat, *pituitoſum* ſanguinem inueniri in illorum corporibus, qui morbis laborent, quos Græci anaſarcas & leucophlegmatias adpellare conſueuerint.

3. Antiquiſſima venæſectionis conſuetudo, quæ vltimis ſæculis apud quasdam nationes ad vitium vſque inualuit, & quorumdam in huius remedii vituperium edita ſcripta multum tribuerunt, vt iſthæc Semeiologiæ particula, videlicet *hæmatomantia*, reliquis adderetur. *Priorum* ſiquidem miniſterio factum eſt, vt ſanguis, affatim miſſus, oculis ſæpiſſime ſpectandus ſubiiceretur; *reliquorum* autem inuectiuæ aduerſus venæ ſectores, & hyperbolicæ ſanguinis laudes, id effecerunt, vt quamlibet circumſtantiam alterati coloris, conſiſtentiæ, ſaporis, odoris, eo curatius obſeruarent ii, quibus præſentia manifeſtare, futura vero prænunciare cordi fuit.

4. Atque hoc ipſo, præter ſuam intentionem, dederunt ſanguinis patroni anſam obſeruandis phænomenis, quæ artem, ex ſanguine præſagiendi, perfectiorem reddere potuerunt. Quo enim plures morbos ſecundum periculoſam ſuam indolem & varia ſymptomata, beneficio inſpecti ſanguinis, dignoſcere licuit, eo frequentius apertæ ſunt venæ; quia curioſitatis ſtimulus maiora indies apud hæmatomantiæ cupidos ſumebat incrementa, ringentibus licet *Helmontio, Thomſonio, Gehema, L. A. Portio, Th. Craanenio, Bontekoe, Overkampio* aliisque, qui ſanguinem potius in aurum & theſaurum

verte-

vetere, quam ſubtractum videre volebant. In hunc vero errorem delapſi non eſſent, ſi aliud quoddam placitum, oppido falſum, fundamenti loco non ſubſtrauiſſent: *non dari* nimirum *plethoram.*

5. Cum igitur hodie venæſectiones ab ingenti hominum numero quotannis tam prophylactice, quam therapeutice celebrentur: tum vix inuenietur quisquam, qui non præſcire geſtiat, in quo ſtatu ſit eius ſanitas, & quantum ſpei de conſtante in poſterum euphoria concipiendum, aut quid malorum impendentium metuendum. Hinc barbæ tonſores & balneatores diuinationibus e ſanguine formandis, diligenter ſtudent, vt venæſectione adminiſtrata de humorum conditione iudicare, & ſic maiorem ſibi exiſtimationem comparare poſſint.

6. Quamquam autem de hoc argumento meletematibus ſemeiologicis inſerere quid voluerimus: præſtat tamen ignorantiam in his vaticiniis confiteri, quam fucoſas merces expromere. Ceterum tirones tam in optimo ſanguine conſeruando, quam in vitioſo corrigendo, magis rationem habeant cauſſarum ſanguinem alterantium, quam ſignorum indicantium, ex quibus illa tantum confirmantur, de quorum certitudine conſtare ſolet, ſanguine licet oculis non perluſtrato.

7. Quanta cum circumſpectione hæmorrhagiarum negotium tam in febribus, quam in aliis morbis tractandum ſit, de illo ampliſſimus hoc quidem loco ſe aperiret campus; ſed quoniam ſpeciales cautelas tam in *Pathologia*, quam in *Conſp. med. theoretico-practico* pluribus tabulis iam exhibuimus, easdem hic repetere nihil attinet,

8. Hoc interim adnotaſſe non pœnitebit, hæmorrhagias quasdam ſuis omnino ſtipatas eſſe moleſtiis, ſed ideo non ſemper medicaminibus oppugnandas eſſe. Nam aliquæ ex illis tolerantiam poſcunt; non nullæ prouide foueri volunt; aliæ vero Medici ſubſidiariam exſpectant operam, quæ vel in motuum vehementiorum moderamine, vel in ſegniorum leni excitatione, & generatim in naturæ a tramite deflectentis reductione conſiſtere ſolet.

TAB.

TABVLA VII.

DE

SVDORE.

I. DEFINITIO.

Sudor, *materialiter* ſumtus, eſt portio ſeri ſubtilioris, excrementitii & noxii, per cutis poros exprimendi. *Formaliter* autem eſt actus naturæ depuratorius, quo ſerum, modo dictum, ſub vegeta ſanguinis circulatione ad peripheriæ perſpiracula adpellitur, atque per ipſos poros, relaxatos & patulos, in forma iam vaporoſa, iam aquea expellitur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Sudor contingit
   1) Vel in ſtatu *naturali*, & tum *præſeruans* dici meretur.
   2) Vel in *præternaturali*, vbi *curatiuus* adpellari ſolet.
   3) Ipſe ceterum ſudor vel maxime naturalis excretio videtur, in quocumque tandem ſtatu contingat; niſi ſit *ſanguineus.*
2. Ratione *indolis* & *effectus* ſudores ſunt vel
   1) *Reficientes*, alleuantes, februantes. Schweiſſe, nach welchen einem gantz wohl und leicht wird; vel
   2) *Debilitantes*, qui vires frangunt, & inſignem ad motus voluntarios ineptitudinem ſeu impotentiam delaſſantem poſt ſe relinquunt; vel
   3) *Colliquatiui*, ita vocati, quia cum ſero etiam lympha pinguior, ſub aſſiduis motibus liquata, per poros penetrat. In hoc enim ſtatu non ſolum ſanguis nimium reſolutus ſed tonus quoque ita relaxatus eſt, vt craſſiuſcula lympha ſimul per peripheriam elabatur; vel

4) *Exitiales* acuti, quales fuerant ſudor *Anglicus* & ante quadriennium deleterius ille *Pariſinus,* aliique importune copioſi in malignis.

3. Ratione *loci* in quo erumpunt, notantur

1) *Vniuerſales*, quos e totius corporis peripheria prolici animaduertimus.

2) *Particulares*, qui v. g. in fronte ſolummodo, alterutro latere, collo, ceruice, pectore, cruribus, manibus ac pedibus obſeruantur.

4. Intuitu *originis* occurrunt ſudores

1) *Spontanei*, qui quotidie ſub auctiori tranſpiratione ſenſibus ſe offerunt

2) *Artificiales* ſeu medicamentis hidroticis prolecti, de quibus in hac *tabula* directe non agimus.

5. Reſpectu *valetudinis* & *temporis* contingunt vel

1) In ſtatu *ſano*, præcipue ſub exercitatione corporis & ſub ſomno; vel

2) In ſtatu *præternaturali* ſeu *morbido*, iam interdiu, iam vtrouis tempore; quemadmodum in ſtatu naturali nonnulla ſubiecta occurrunt, quibus perpetuo adſunt ſudores, e. g. manuum, pedum; vel

3) *Periodici*; qui

(1) *Vere* in primis, vel *auctumno*, tempore vt plurimum matutino, largiter erumpunt, & euphoriam adferunt.

(2) Qui in *acutarum* vel principio, vel ſtatu, vel declinatione prorumpunt.

(3) Qui in *intermittentibus*, decreſcente æſtu, cientur, & commode *typici* vocari poſſunt.

6. Ratione *odoris*, *coloris* & *conſiſtentiæ* ſunt vel

1) Minus olidi, minus tingentes, tenues; vel

2) Flaui, viridis, niger. *Conf. Acta Hafn. Vol. I. obſ. 70.* fœtidi craſſiuſculi & viſcedinem præ ſe ferentes. Klebrichte Schweiſſe.

7. Nos

7. Nos hic præcipue attendimus ſudores

1) *Criticos*, qui in acutis die quodam decretorio eueniunt, & febrem frequenter integre ſoluunt.

2) *Symptomaticos*, qui plerumque mortem prænunciant, adeoque nihil plane leuaminis adferre poſſunt, quia turbulentorum ac ominoſorum motuum ſunt conſectaria. Qui ceterum plures deſiderat ſudorum differentias, is *Iul. Cæſ. Baricellum a S. Marco* conferat, qui de *hydronoſa natura*, ſeu *de ſudore humani corporis*, *libris quatuor* ita commentatus eſt, vt non ſolum de origine, differentiis & præſagio, ſed etiam de vſu, adparatu & curatione ſudorum disſeruerit. *Neapoli 1614.*

III. *PROGNOSIS*

1. *Generalis*

1) Qui ſudores non obſeruant, magno præſagiendi adminiculo ſemetipſos priuant. Vti enim ſudorum magna efficacia eſt in corpore conſeruando & curando: ita in prænunciando egregium habet vſum.

2) Sudore facile perfunduntur, quorum ſanguis ſeroſus, calor abundans & habitus ſpongioſus aut laxior eſt, in primis ſi corpus exerceant.

3) Laborioſi vti facile perſpirant, ſic tardius ſudant, quia habitus eorum ſtrictior eſt, & pori anguſtiores ſunt. Multum quoque tribuendum conſuetudini.

4) Ευσαρκοι, obeſi, exercitiis non adſueti, promte largiterque ſudant, quia quælibet leuior motitatio negotium faceſſit; vnde cito delaſſati ſi porro mouere inſtent, copioſum ſudorem eliciunt.

5) Serum quando tenue & vegetus motuum ſucceſſus adſunt: tum ſudor facillime promouetur.

6) Sudor viſcidus prouenit a ſero lento; tenuis a ſero attenuato & aquoſo. Ille viſcerum obuiſcationes minatur; hic vero contrarium ſpondet.

7) Aeſtivo tempore, ob peripheriæ relaxationem, copioſiores cientur ſudores, quam hiberno, vbi cutis, tonice conſtricta, difficilius ſero tranſitum concedit.

8) Sub nimio æſtu, & poſt eumdem, minuitur ſudoris excretio. Quo plus enim ſeri exhalat, eo ſpiſſiores fiunt humores, qui hoc modo tenui ſero priuati & craſſiore permixti ſunt, quod ægre cutim penetrat. Hic autem excipiuntur laborioſi, in quibus motus ſpiſſitudinem prohibet, & copioſus potus defectum compenſat.

9) Sudor copioſus ex ſomno, citra manifeſtam cauſſam obortus, corpus copioſe nutriri ſignificat. Quod ſi cibum non adſumenti contingat; ſtatus eſt præternaturalis, qui indicat, opus eſſe vacuatione. *Aph. IV. 41.* Interdum hecticam ſignificat. *Fienus.*

10) Sano enim ſudor immodice contingens, morbum portendit: æſtate quidem minorem; frigore autem maiorem. *Hippocrates in lib. de criſ. f. 22.*

11) Sudor multus & citra manifeſtam cauſſam fatigans, ſemper ominoſus eſt.

12) Sudor ex toto corpore melior eſt, quam ex aliqua eius parte. Indicat enim humores a natura æqualiter diſtributos, & vias patulas.

13) Sudor frigidus numquam bonus. Nam caloris defectum, toni vitalis relaxationem & energiæ in corpore agentis ceſſationem ominoſam ſignificat. Ab hac autem regula paulululum recedunt ſudores illi frigidi, quos in purpura præcipue chronica hodie copioſos & innoxios obſeruamus. *Conf. obſ. 7.*

14) Qui multum bibunt, ſæpe plus quam reliqui ſudant. *Fienus.*

15) Dicit quidem *Hippocrates Aph. IV. 38.* vbi in corpore ineſt ſudor; ibi morbum eſſe enunciat. Sed quotquot hunc aphoriſmum ſibi explicandum ſumſerunt, nec ſibi nec aliis ſatisfacere potuerunt. *Galenus in comm. ad hunc loc.* verbis difficultatem non ſoluentibus, prolatis, vlterius progreſſus,

ſus, theſin in dubio relinquit, & recentiores plane contrarium obtinere demonſtrant. In acutis enim malum in toto diſperſum eſſe ſolet, quare ſudor frontis aut ceruicis inibi malum hærere non probabunt, licet copioſiores adpareant.

16) Sudores ſenſim procedentes, aut vniuerſim effuſi, iuuant. Sed quæ affatim fiunt ſanguinis detractiones, nocent. *Coac.* 360.

2. *Specialis*

1) *In Febribus.*

(1) Sudor in febribus acutis multus & copioſus damno eſt. *Prorrh. I.* 58. Hæc prædictio a falſitate vix poteſt liberari. Licet enim ſudores copioſi *extra* diem criticum in non nullis acutis ſuſpecti ſint: hæc tamen *Hippocratis* prognoſis nimis eſt generalis, & hanc exceptionem concernere dubitandum eſt. Quod dubium per alia loca, quæ ſudori in acutis minus fauent, magnopere augetur. Ex his præcipue verba *in Coac.* 574: *Sudor vna cum febre, acuto morbo vrgente, malus;* interpretes *Hippocratis* multum fatigarunt.

(2) Febricitanti ſi ſudor contingat, non deficiente febre, malum. Prorogatur enim morbus multamque ſignificat humiditatem. *Aph. IV.* 56. Non raro autem aliam cauſſam, difficile ſuperandam.

(3) Sudor, qui cum acuta incipit, malum ominatur; ſi præcipue ſubinde exardeſcat & vires fatiſcant.

(4) In febribus tenuiter exſudantes, cum capitis dolore & aluo intercepta, ad conuulſiones proni ſunt. *Prorrh. I.* 115. *Coac. prænot.* 154. 177.

(5) In grauibus malis tenues maxime circa caput ſudores oboriri, & corporis incontinentia iactari, malum indicat. Tum vero præcipue pernicies intenditur, ſi iſta cum vrinis nigris contigerint, & ſpiritus magnus ac concitatus adfuerit. *Prorrh. I.* 39. *Coac.* 42. 53.

(6) *Riuerius* quidem dicit, ſudores *aſſiduos*, ſiue modicos, ſiue profuſos, in acuta eſſe malos: ſed hæc prognoſis ſenſu ad modum diſcreto explicanda eſt.

(7) Acute & grauiter mente emotis, ſi febris iterum repetat cum ſudore, phrenetici euadunt. *Prorrh. I. 15.* Huic itidem prædictioni non promiſcue fides habenda eſt.

(8) Qui æſtum ſentiunt & progreſſis deiectionibus, ſudoribus tenuibus diffluunt, iis febris ingraueſcit. *Coac. 646.* Obſcuram hanc prædictionem aliis explicandam relinquimus.

(9) Qui in febre non intermittente tenuiter & crebro exſudant, cum præcordiorum diſtenſione, ii vt plurimum maligne habent; atque in his dolores, in *humeri caput* ac *iugulum* adfixi, praui ſunt. *Coac. 32.*

(10) Poſt hæmorrhagiam narium, ex tenuibus ſudoribus perfrigeſcentes, male habent. *Coac. 40.*

(11) Quibus adſunt ſuperiorum partium tenues ſudores, cum perfrictionibus, non ſine febre, iis, corporis incontinentia & phrenitide vexatis, præceps periculum denunciant. *Coac. 69.* Et *Galenus in comm. III. ad lib. I. prorrh. f. 65.* cum omnis deſudatio demonſtret vel copiam in ſudantibus partibus, vel facultatis retentricis imbecillitatem: vtrumque eorum in locis tum thoracis, tum capitis deterius eſt ſignum, quam ſi in alia quapiam parte fuerit. Staſes enim humorum in hiſce duabus cauitatibus maius periculum inuoluunt, quam in reliquo corpore.

(12) Sudores qui cœperunt quidem, ſed protinus ceſſarunt, praui ſunt. Adparet enim excitatio moleſta naturæ, expellere conantis, ſed ob imbecillitatem exſequi nequeuntis, quod propoſuerat. *Galenus comm. I. ad prædict. Hipp. f. 43.*

(13) Quibus circa initia tenues ſuboriuntur ſudores, & vrinæ concoctæ emittuntur, cum magna totius corporis

ris æſtuatione, ſi præter rationem perfrigeſcant, & rurſus celeriter perurantur, & torpore, ſopore aut conuulſione tententur, ii perniciofe adfecti ſunt. *Prorrh. I. 102.*

(14) Sudores, vomitus, alui excrementa, tumores poſt aures, ſanguinis profluuia, ſi tempore cruditatis ſeu in morbi principio adparent, numquam ſalutariter morbum finiuerunt. *Gal. lib. I. de criſib. cap. VIII.*

(15) Quibus, vbi inhorruerint, iudicatorii ſimul ſudores contingunt, poſtridie vero, ſi horror repetierit, & temere peruigilent, iis forte ſanguinem erupturum ſperare oportet. *Coac. 24.*

(16) Sudores illi ſunt optimi, & citiſſime febrem ſedare cenſentur, qui decernentibus diebus contingunt, & febrem ex toto finiunt. *Hipp. lib. de criſib. f. 20.*

(17) Sudor optimus ſane, qui febrem die iudicatorio tollit. Vtilis autem, & qui alleuat. Malus vero frigidus & vbi caput duntaxat, & ceruix inſudat. Nam & temporis diuturnitatem & periculum denunciat. *Coac. 572.*

(18) Boni etiam æſtimandi, qui ex toto corpore proueniunt, & leuiorem morbum reddunt. Qui vero horum nihil præſtant, inutiles ſunt, ſi contingant. *ibid.*

(19) Sudores febricitantibus boni, qui cœperint die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34. Iſti enim ſudores morbos iudicant. Qui vero tales non ſunt, laborem & morbi reuerſionem ſignificant. *Aph. IV. 36.*

(20) Sudor frigidus cum acuta febre exitium; cum mitiore vero diuturnum fore morbum ſignificat. *Coac. 573. Aph. IV. 37.*

(21) Sudores in epidemicis particulares quamuis perpetui ſint; anceps valde omen præbent. *Vid. Hipp. lib. I. epid. ſtatu I. f. 14.*

(22) Sudores conferti & copioſi neque in morbillis, neque variolis ſponte erumpunt; neque concitati mul-

tum

tum commodi adferunt; intempeſtiue prouocati etiam periculum. *Stahlius in probl. pract. p.12.*

(23) Sudores omnibus febribus proprii & præcipue *incendentibus.* Iuuant autem non parum & efferuentes inflammationes, quando vna cum concoctionibus emanauerint. Iudicant etiam *quotidianas* cum vomitibus, excrementis alui pituitoſis; *quartanas,* ſi atra ſimul ac varia excernantur; *ſemitertianas,* ſi billioſa ſimul & pituitoſa exierint. *Galenus lib. III. de criſibus cap. III. f. 141.* Sudores iudicare hepatitidem *in Conſp. med. tab. LXVI.* notauimus.

(24) Sudores frigidi in ardentibus & viſcerum inflammationibus, peſſimi. *Conf. obſ. 7.*

(25) Sudor in acutis fœtidus, exitialis.

(26) Sudoris & rigoris alternationes repetitæ malum denunciant. Ille autem ſi hunc ſequitur, bonum; ſed in vicem verſam facta mutatio funeſtum exitum portendit.

(27) Si eodem tempore in acutis & grauibus morbis ſudor & alui fluxus iunctim eueniunt ſine leuamine, æger plerumque moritur, aut pernicioſe laborat.

(28) Cum æſtas veri ſimilis fuerit, in febribus ſudores expectare oportet. *Aph. III. 6.*

(29) In febre hectica ſudor graueolens malum: tanto magis, ſi ſimul copioſus fuerit. Sed neque periculo caret ſudor parcus; quemadmodum vere colliquatiuus inſtantem mortem nunciat.

(30) Sudores largi in febre lenta conducunt, ſed nimia ſiccitas, ſeu aridus æſtus, cum corporis extenuatione, metamorphoſin hecticam minatur.

(31) Sudoris in *lentis* febribus ſuppreſſionem excipiunt ſubinde phlegmonodeæ translationes ad partes externas. *Conſp. med. theor. pract. tab. LXIX.*

2) *In*

2) *In aliis Morbis.*

(1) Morbi, qui intra quadrageſimum diem non iudicantur, diuturniores fiunt. Et hi non admodum ſolent per ſudores iudicari, ſicut neque per alias excretiones, ſed vel per concoctionem, vel per abſceſſus. *Galenus comm. IV. in aph. Hipp. 36.*

(2) Sudor copioſus, calidus aut frigidus, ſemper fluens, frigidus maiorem, calidus minorem morbum ſignificat. *Aph. IV. 42.*

(3) Sudor multus, calidus aut frigidus, ſemper fluens, humoris copiam ineſſe ſignificat. Hæc igitur robuſto ſuperne, debili inferne deducenda eſt. *Aph. VII. 63.* Exſecutio huius methodi circumſpectionem omnino expoſcit.

(4) Ex ſudoribus peruigiles, & ad calorem reuocati, male habere iudicantur. *Prorrh. I. 68. Coac. 41.*

(5) Sudor frigidus in fronte erumpens, de moleſtiis cardialgicis, inſtante, vomitu, vrina, aluo, flatibus, ex verecundia retentis, teſtatur; interdum doloris exacerbationem, aut obiecti aduerſi difficilem tolerantiam innuit. Quemadmodum quosdam vidimus, qui ad felis, quamuis abſconditæ, præſentiam, & poſt caſeum conſpectum frigide ſudauerint.

(6) Qui crebro tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, ii pernicioſe habent, & tandem ſub mortem ſuppurati, & aluum conturbatam habere deprehenduntur. *Coac. 10.*

(7) Ex diuturno ventris adfectu, vomentibus bilioſis, cibum auerſantibus, copioſus ſudor obortus, cum repentina virium impotentia, lethalis. *Coac. 637.*

(8) In humecta aluo perfrictio cum ſudore vitioſa, *Coac. 647.*

(9) Sudores particulares, tametſi copioſi, nihil fidi ſignificant; verum poſt antepilepticorum vſum in fronte largus ſudor erumpens, de medicamento, ex voto operante, indicium præbet.

(10) In crebris & tenuibus ex dorſo horroribus tenuiter exſudantes ægri moleſte habent. Laborioſa quippe vrinæ interceptio ſignificatur. In his tenuiter exſudare malo eſt. *Coac.* 46.

(11) Sudor anxius, quamquam largiter erumpat, parum aut nihil vtilitatis adfert.

(12) Quos ex lateris dolore cibi faſtidia comitantur, iis os ventriculi aliquantum dolet; & ſudoribus diffluunt. Vbi autem facies velut ruboribus efflorefcit, & aluus eſt liquidior, pus in pulmonibus collectum habent. *Coac.* 423.

(13) Sudores hypochondriacorum largiores, ſpontanei, eo maiorem mali exacerbationem indicant, quo diutius continuant & anxietates ſibi iunctas habent.

(14) Sudores ſpontanei in illis, qui arthritide & podagra vexantur, leuamen adferunt, ſi extra paroxyſmum contigerint; in illo autem inutiles.

(15) Qui morbo regio laborant, & multum aquoſitatis exſudant, in illis febris quidem augetur, ſed ſalutare leuamen non ſequitur; lenior autem diaphoreſis, ſub qua ſudor flauus exit, conducentior eſt.

(16) Sudationes hydropicorum, in quibus viſcera adhuc illæſa ſunt, non contemnendæ efficaciæ eſſent, ſi citra orgaſticas ſanguinis commotiones cieri poſſent; cum vero hoc facile fieri nequeat: tum in ancipitibus ſignis habendæ erunt. Et ſi plane non leuantur ægri ex ſudoribus, ſuſpectus in hecticam metuendus erit tranſitus.

(17) Sudor frigidus, poſt prodigas euacuationes erumpens, peſſimus.

(18) Sudor frigidus in ſyncope non admodum malus. Hac enim ceſſante, ille pariter euaneſcit.

(19) In apoplecticis ex magna ſpirandi moleſtia obortus ſudor, mortem adfert. In his rurſus ſi febris accedat, ſolutio contingit. *Conf. diſſertat. noſtra de febre apoplexiam ſoluente. Coac.* 479.

(20) Su-

(20) Sudor in paralyſi correptis, ſiue in membro adfecto, ſiue alibi contingat, nihil fidi præſagit. Paſſiuus enim eſt, & actionum vitalium turbationem confirmat.

(21) Sudor frigidus, poſt ſumtum venenum prorumpens, exitialis.

(22) Sudor non continuus, ſeu interſectus, vt *Hippocrates* exprimit, tam ominoſus eſt, quam vere colliquatinus. Hinc ſemper metuenda ſunt funeſta.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. De pretio diaphoreſeos generatim in *Conſp. Hygieines tab. VII.* tractauimus, reſpectu habito ad ſtatum præcipue ſanum. Iam quantum vtilitatis eius legitimus ſucceſſus adferat, in ſtatu præternaturali, ex præmiſſis prognoſibus facile cognoſcitur. Interim harum plures ſimul teſtantur, quid mali ſudationes anomalæ tam in febribus, quam in aliis morbis portendant.

2. Hæc per lenem diapnoën & diaphoreſin vniuerſalis excretionis ſpecies, vt critica conſiderata, non modo frequentior eſt, quam reliquæ particulares, ſed aliquibus acutorum ſpeciebus ita neceſſaria & quaſi adpropriata, vt adſerere liceat, alias eccriſes, vtut copioſas & optimis ſignis ſtipatas, ratione effectus hac vniuerſali omnino eſſe inferiores.

3. Adſertum illuſtrari poteſt exemplo malignorum. In his materia peccans & deleteria plerumque tam eſt ſubtilis, vt vix per ſudorem, tamquam viam vniuerſalem, expelli poſſit. Quare quid ſperandum ſit de hæmorrhagiis impetuoſis, vomitibus, vrinæ & alui excretionibus, quilibet facile iudicabit. Hæ enim excretiones ſingulæ quia materiam ad vnum excretorium adpulſam poſtulant, ineptiores ſunt ad comprehendendum & eliminandum miaſma ſubtile.

4. Impeditur autem ac turbatur vtilis diapnoë

1) per regimen importune calidum,

2) per medicamenta ſudorifera orgaſtica,

3) per diætam calidam, quam roborantem adpellare ſolent.

 Hæc

Hæc ſingula motus intendunt, humores vehementius circumagitant, nouas inſuper materias noxias agileſque generando miaſma febrile adaugent, & malum in peſſimum conuertunt. Atque hinc fit, vt ſæpe morbi ſolutio per ſudorem maſſam humorum æqualiter repurgantem exſpectata vel plane non adpareat, vel imperfecte nimis adeoque infide ac minus ſalutariter decurrat.

5. Obſeruantur porro duo ſingularia phænomena circa ſudoris negotium; quorum alterum ſudorem ſiſtit *pinguem*; alterum autem *frigidum*. Qui vera motus tonici theoria imbuti, tonum corporis viui ab elatere machinarum diſtinguere poſſunt, illi in explicanda vtriuſque accidentis ratione, viam habent planiorem.

6. Sudor *pinguis*, ſupponit

1) Portionis lymphaticæ ſub aſſiduis motibus vitalibus extraordinariam attenuationem & reſolutionem, vt vna cum ſero excerni poſſit.

2) Pororum ampliationem eo vſque auctam, vt non modo ſerum tenue, ſed paulo quoque viſcidior lympha penetrare valeat.

7. *Sudor frigidus.*

1) De formali ſudoris frigidi ratione auctores plerumque vel tacent, vel ſiniſtre de illa exponunt: neque diſſimulanda eſt explicationis difficultas.

2) Quando enim perpendimus, quod eo tempore, quo ſudores frigidi ſentiuntur, anguſtia ſimul interna ſemper fere conſpiret: tum naturæ encheireſes, quibus humores verſus interiora & exteriora vno eodemque actu & momento reprimere poteſt, omnino admiramur. Nam vti nemo negabit, in frigidis ſudoribus peripheriam quodammodo eſſe relaxatam: ita anguſtiæ internæ de copioſis ibidem collectis humoribus manifeſto teſtantur. Hac ratione relaxatio toni in partibus tam internis quam externis ſimul contingit, partes autem quaſi mediæ ſtricturis anomalis adficiuntur.

3) Qui

3) Qui motus tonici alterationem eiusque conſectaria ad dignitatem æſtimare valent, pleniorem quidem huius rei rationem inire poſſunt, & anomalam illius motus adminiſtrationem generatim in frigidis ſudoribus merito accuſant: quo autem ſpeciatim modo illa contingat; pauciores hactenus peruiderunt.

4) Interim lucem quamdam huic obſcuritati adfundunt ſudores, qui in ſtatu ſano interdum refrigeſcunt. In his enim, quam diu motus caloris a centro verſus peripheriam ſub corporis agitatione contingit, frigus minime ſentitur. Quam primum autem externa quies accedit, & ſic commeatus ſanguis imminuitur, ſeu interior humorum motus peripheriæ ſubducitur, id, quod auræ expoſitum eſt, mox refrigeſcit. Der Schweiß erkaltet auf dem Leibe, vel vt vulgo dicunt: Der Schweiß ſchlägt zurücke.

5) Eodem fere modo res ſe habet in ſtatu morboſo: in paroxyſmis enim aliqua quidem ſudoris excretio contingit, ſed ſufficiente caloris motu non ſtipata eſt: quia periculoſior viſcerum conditio humores ad interiora reſtrictos & abſterſioni deſtinatos requirit. Itaque neceſſe eſt, vt natura in medio quaſi integumentorum communium ſtricturas tonicas adminiſtret, & per easdem potiorem humorum partem ad centrum dirigat, ſerum autem tenuius ad extimam cutim admittat, illudque iam vniuerſaliter iam particulariter excernat.

6) Quocumque autem modo hic actus contingat, rei practicæ parum intereſt: ſufficit, quod omnes auctores frigidos ſudores agnoſcant inutiles, eosque teſtes habeant viſcerum periclitationis. Quare artis auxilium non ad ſudoris huius inutilis ſuppreſſionem, ſed ad viſcerum libertatem impendendum eſt.

8. Sudoris fœtidi ratio non videtur alia, quam lymphæ pinguioris reſolutæ cum ſero halituoſo ſulphureo orgaſtico permixtio. Quo grauius itaque ſudores olent, eo plus lymphalis laticis cum ſero permixtum & humorum maſſam eiusmodi impuritatibus ſcatentem eſſe produnt.

9. Sudor, quem *Hippocrates* vocat *interſectum*, ſeu ſudatio per interualla iam ſuccedens, iam vero ceſſans, merito in malis ſemper habitus eſt ſignis; quia non modo naturæ in agengo tergiuerſationem, ſed inſuper inæqualem humorum distributionem, turbatam ſecretionem, interruptam excretionem, & ominoſas anomalias, funeſta pronunciantes, arguit.

10. Qua tandem ratione ſudores tam in febribus, quam aliis pathematibus, prudenter tractandi ſint, *in Conſp. therap.* iam tradidimus. Hic vero generatim inculcaſſe ſufficiet,

1) Sudores *nimios* vno quaſi impetu non eſſe ſupprimendos.

2) *Deficientes* decantatis alexipharmacis & bezoardicis intempeſtiue non eſſe concitandos.

3) Quosdam prudenter tolerandos.

4) Alios blande promouendos.

5) Non nullos vero ita temperandos, vt natura ad aliam æquipollentem excretionem ſimul diſponatur, atque intento fine ex voto potiatur.

TAB.

TABVLA VIII.

DE
V R I N A.

I. D*EFINITIO.*

Vrina eſt humor excrementitius, partibus maxime ſeroſis, ſalino-mucido-terreſtribus, parciusque ſulphureis conſtans, in renibus ſecretus, in veſica vrinaria collectus, & per peculiares vias excretus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Cum *Semeiologia* de vrina tamquam ſigno tractet; tum reliquas disquiſitiones phyſiologico-phyſico-chymicas, curioſas, & *Paracelſi* ac *Fluddii* geomanticas prorſus prætermittit: quia aliena quæuis, huic doctrinæ immixta, prolixitatis multum; vtilitatis autem fere nihil pariunt.

2. Vrina generatim diſtingui ſolet in naturalem & præternaturalem.

   1) *Naturalis* ſeu *ſanorum* vrina a *Galeno Comm. II. in præſag. Hipp. f. 30.* deſcribitur: quod ſit modice pallida, quæ ex humore concocto conſtet, & parum flauæ bilis admixtum habeat. Quando autem eius plus adfluat, quam par ſit, aut ſincera bilis vrinæ miſceatur, tum rufam fieri iudicat. *Et lib. I. de criſib. cap. XII.* ſcribit: vrinam optime coctam in iis, qui ſupremum ſanitatis gradum obtineant, eſſe ſubflauam, magis autem ſubrufam, & medicorem craſſitiem habere. Quæ vero hac ſit craſſior aut tenuior, coctionem imperfectam ſignificare. Recentiores addunt: quantitatem debere quodam modo reſpondere adſumto potui, hypoſtaſin vero paucam, æqualem & perſpicuam eſſe, ſine graueolentia. *Conf. Brunonis dogm. med. gen. p. 398. Laur. Bellini de vrinis & pulſibus p. m. 4.*

2) *Præ-*

2) *Præternaturalis* ſeu *ægrorum* illa eſt, quæ a ſana quocumque tandem modo deflectit, cuius phænomena traduntur in prognoſi. *Anonymus* Græcus in *libro de Vrinis*, qui in ſpuriis *Galeni* exſtat, *cap. XXXIX.* monet: vrinam ægrorum optimam eſſe, quæ ſanorum ſit ſimilior, ſubpallida nempe & ſubflaua, habens *hypoſtaſin* albam, & æqualem. A qua deficiat, quæ *ſuſpenſum* habeat aut *nubeculam.* Interim notum eſt, quod vrina ſana in malignis ab hac regula deflectat.

3. Monendum autem, quod hæc, quæ de natura & adfectionibus vrinæ tam naturalis, quam præternaturalis, dicta ſunt, in theſi quidem vera exiſtant, ſed in hypotheſi ſeu adplicatione ad ſubiecta multum fallere ſoleant. Nam ſanorum vrina mutatur a rebus tam naturalibus, quam non-naturalibus.

1) A rebus *naturalibus*, nempe

(1) A *Sexu:* nam *mulierum* vrinæ craſſiores ſunt, minus coloratæ & cum copioſiori ſedimento; ſed *virorum* vrina contrario modo ſe habet.

(2) Ab *Aetate*; vrina ſiquidem

a) *Infantum* aquoſa, pellucida ac cruda eſſe ſolet.

b) *Puerorum* craſſa & coloris ſpicei, ob nutrimenti copiam & voracitatem. Hinc *Galenus in comm. III. lib. IV. epid. Hipp. f. m. 138.* ſcribit: inter omnes Medicos conſtare, quod pueri craſſiores mingant vrinas, ob quam cauſſam & calculi in ipſorum veſicis facile concreſcere poſſint. Interea hæc lithogeneſeos ratio multum claudicat.

c) *Iuuenum* autem vrinæ, ob maiorem toni intenſionem, corporis exercitationem & feruidum quaſi vigorem vitalem, tenuiores, magis coloratæ & paucioribus contentis præditæ ſunt.

d) *Senum* tandem lotium adparet album, tenue & nonnumquam ſine contentis. *Vide* quæ de his *infra in prognoſi generali* dicta ſunt.

(3) *Tem-*

(3) *Temperamentis.*

a) *Sanguineorum* enim vrina ordinarie dilute citrina, larga copia redditur, & ſedimentum albicans, paucum & mobile demittit.

b) *Cholericorum* flaua, aurea & ſæpe rutilans eſt, quæ paucam oſtendit hypoſtaſin, interdum vero nullam, aut tantum nubeculam. Quantitate autem ſanguineorum vrinam non æquat.

c) *Melancholicorum* ex aurantio & ſpiceo colore mixta, craſſior parciorque effluit ac parum ſedimenti habet.

d) *Phlegmaticorum* colorem ex albo & ſpiceo confuſum refert, ſufficientique copia excernitur, ſedimentum autem ſubmucidum demittit. Vbi notamus, quod varia temperamentorum mixtio vrinæ quoque variationes ſecundum colores, conſiſtentiam, copiam & ſedimenta quam plurimas efficiat.

2) A rebus *non-naturalibus.*

(1) Ab *Aëre.* In regionibus enim calidioribus, æſtu pariter in climatibus temperatis vrgente, vrinæ adparent tenuiores, magis coloratæ & pauciori ſedimento præditæ, quam in frigidis. Sed ne hoc quidem vniuerſale eſt, quia maior renum vel relaxatio, vel conſtrictio in diuerſis indiuiduis vno eodemque tempore iam crasſiorem, iam tenuiorem vrinam efficit. Præter ea hæc de ſedentariis tantum valent; laborioſi autem, ſub æſtu multum ſudantes, vrinam tum minime tenuem, ſed crasſiorem reddunt.

(2) A *cibo* & *potu.* Vterque & tenuis & eupeptus, vel craſſus & crudus eſt. Quantum præterea mutationis iam voracitas, aut diæta ſaltem plena, iam inedia adferre poſſint vrinæ, experientia abunde docet. Hinc *Galenus in comm. II. ad præſagia Hipp. f. 30.* Vrinas eorum, qui tenui victu vtantur, nullam habere hypoſtaſin; quorum vero vrinæ multam habeant, eos liberalius viuere; quorum vrinæ paucam oſtendat, eos moderate

rate prandere. *Bellinus p. 6.* dicit : *Guloſis vrinæ ſunt crudæ, nempe minime coloratæ & craſſæ. Galen. lib.XIV. method. med. cap. I.* obſeruat, eorum vrinam, qui diu inediam tolerauerint, ex aquoſo pallidiorem eſſe. *In comm. IV. ad aphoriſ. Hippocratis f.332.* caſum notatu dignum refert viri, qui ex orobi & fabæ eſu, per annum ferme continuato, in *trichiaſin* inciderit, quæ cibis craſſis veſcentibus familiaris ſit. De qua paulo infra agetur.

(3) A *motu* & *quiete* vrinam inſigniter alterari, dubio caret. Sub motu enim voluntario maxime vigent motus progresſiuus & inteſtinus; vterque autem ad generationem inutilium particularum multum tribuit, quæ vegetam itidem expulſionem poſtulant. Hinc craſſa & turbida magis vrina eſt, quæ ſub exercitatione redditur, quam quæ ſub quiete emitti ſolet.

(4) *Somnus* efficit, vt vrina largius emittatur crasſiorque adpareat. *Vigiliæ* contra, quia propter certum finem inſtituuntur, actionum quidem animalium vigorem, ſed naturalium paulo negligentiorem adminiſtrationem inuoluunt. Vnde vrina tenuis, diaphana, ſæpe rutilans & pauca.

(5) *Animi pathemata,* vti *vitales* actiones multum turbare ſolent: ita *naturalibus* quoque inſignes inducunt alterationes. Quamobrem vrinæ color, conſiſtentia & copia pro diuerſitate & vehementia adfectuum & indiuiduorum nimium variant. *Ira* enim, quia humores valide exagitat, vrinas intenſe coloratas & rubicundas efficit. *Metus* contra & *triſtitia* digeſtionem & nutritionem impediunt, & motibus torporem conciliant; vnde vrinæ fiunt tenues, crudæ, decolores, cum paucis ſedimentis.

(6) *Excreta* & *retenta* tam potenter vrinam eiusque ſecretionem alterare obſeruantur, quam reliquæ res *non-naturales.* Nam vbi multum ſudatur, aut diarrhœa continuat, ibi parum mingitur, & in verſam vicem. Ita de

de mulieribus, *menocryphia* laborantibus, notat *Galenus*, eas reddere vrinas nigricantes, cum rubra quadam ſanie, perinde ac ſi aquæ, in qua recens mactatæ carnes ablutæ ſint, aliquis miſcuiſſet fuliginem. *Vid. eius lib. VI. de loc. adfect. cap. V. f. 40.*

4. Ceterum vrologi alias adhuc habent diſtinctiones; quo pertinet præcipue

1) diſtinctio inter vrinam *potus* & *ſanguinis*; quarum illa aquoſa & tenuis, mox poſt potum excernitur; hæc vero poſt ſecundam & tertiam coctionem ſaturati coloris & mediæ conſiſtentiæ emittitur.

2) *Anonymus Græcus in libro de vrinis* diſtinguit

(1) in humorem, &

(2) in huic inhærentia.

3) *Io. Rhenanus in vrocriterio chymiatrico, Marpurgi 1609.* edito, differentiam facit inter vrinam *internam* & *externam*; alii aliter. Sed iſta generatim.

5. Speciatim vero conſideranda eſt vrina ſecundum ſubſtantiam ſeu conſiſtentiam, qualitatem, quantitatem & contenta. Itaque

1) Ratione *conſiſtentiæ* vrina ſe offert

(1) *Tenuis* ſeu aquoſa & *pellucida.*

(2) *Tenuis* & *opaca*, aut tenuis & nigra, cuius mentionem fecit *Anonymus* Græcus *lib. II. de dynamidiis f. 120.* & *Galenus in Comm. in Hipp. lib. de rat. vict. in acut. f. m. 203.* tenuium atque nigrarum meminit, easque vrinas peſſimas pronunciat.

(3) *Craſſa* & *pellucida.* Hæc quoniam paulo rarius ſe offert, ab aliquibus, quos inter *Alpinus* eſt, plane negatur. Bene vero monuit *Thom. Fienus in Semeiot. Part. II. cap. VI. f. 320.* perſpicuitatem cum craſſitie & tenuitatem cum opacitate conſiſtere poſſe, licet nigrum & opacum ſæpe eſſe ſoleat craſſum.

(4) *Craſſa* & *opaca* ſeu *turbida*, ſæpiſſime occurrit, imo ali-

aliquando & grumoſa. Vrinæ, hoc modo comparatæ, craſſities iterum duplex conſtituitur:

a) *craſſities intrinſeca*, quæ ab vrinæ ſubſtantia non ſeparatur, & ab intimiori humorum reſolutione dependet.

b) *craſſities extrinſeca*, quæ ab humorum excrementiorum admixtione & confuſione deriuatur, & ad contenta vrinæ referri debet, quoniam per ſubſidentiam ſeparatur.

(5) *Turbidæ* vrinæ tres eſſe differentias *Galenus* docet *lib. I. de criſib. cap. XII.* Alia enim

a) *turbida* mingitur, ſed paulo poſt ſubſidet ac clareſcit.

b) *turbida* redditur, & talis quoque permanet; quæ vrina *ſubiugalis* ſeu *iumentorum* adpellari ſueuit.

c) *diaphana* emittitur, poſthæc autem turbida euadit.

(6) *Oleoſa*, quæ vulgo antiquitus *triplex* ſtatuebatur, videlicet

a) *Elæochroa* ſeu reſpectu tantum coloris oleo ſimilis, quam *initium* colliquationis indicare crediderunt.

b) *Elæophana*, quam pinguedinem oleo ſimilem cum vrina permixtam habere tradiderunt, colliquationis *augmentum* inde prænunciantes.

c) *Elæodes* ſeu vrina oleo vndique ſimilis, colliquationis vigorem ſeu *ſummum* gradum prodens. Verum enim vero, *Galenus* hanc vulgarem veterum traditionem veritati haud conſonam eſſe per experientiam probat, & oleoſam duplicem tantum admittit, de *elæode* diſerte ſcribens: quod *viſa nondum ſit.* Et *Fienus* itidem adfirmat, talem dari non poſſe, quia tam prodiga pinguedinis colliquatio nuſquam fieri neque ſerum tam exacte cum illa permiſceri poſſit, vt *elæodes* inde emergat. Conceditur ergo a *Galeno*

α) *Elæochroa* i. e. oleo reſpectu conſiſtentiæ, coloris & ſoni ſimilis, *pinguedinis* tamen *expers. Talem*

inquit,

inquit, *ſæpe vidi ſine vllo ægri detrimento.* *Conf. eius Comment. III. in lib. III. epid. Hipp. text. 72.*

ϐ) *Elæophana* ſeu pinguis, in qua pinguedo, inſtar telæ aranearum, ſupranatat, ac ſæpe minus recte elæodes dici ſolet.

2) Ratione *qualitatis*

(1) *Viſibilis*, ſeu *coloris*, vrina occurrit

a) *Alba priuatiue*, ad quam referuntur

α) *Cryſtallina*, ob ſplendorem ita dicta.

β) *Aquea*, quæ aquam communem refert.

γ) *Niuea.* Huius meminit *Actuarius lib. I. de vrinis cap. VIII. p. 16.* ſed differentiam inter aqueam, cryſtallinam & hanc reticuit.

b) *Alba poſitiue* e. g.

α) *Lactea*

β) *Glauca*, cuius color pellucidum cornu æmulatur.

γ) *Charopa*, alias *cinertia* dicta, quod ex albo & nigro mixta ſit, & colorem ſubalbidorum in camelis pilorum referat, aut ſecundum *Actuarium* onychitem imitetur. Obſcurior huius ſpecies vocatur *plumbea.* Vrinæ ex colore priuatiue & poſitiue albo colore mixtæ, peculiares denominationes nondum indeptæ ſunt.

c) *Flaua.* Hoc nomine inſigniuntur omnes vrinæ, quæ albis coloratiores ſunt, rubris & nigris tamen excluſis. Species habentur ſequentes:

α) *Flaua pallida*, ob admixtam albedinem enata.

ϐ) *Spicea* ſeu vere flaua ſine albedine, cuius ſpecies ſunt ſubſpicea ſeu ſubflaua.

γ) *Citrina* ſeu flaua paulo virideſcens.

δ) *Fulua* ſeu aurea.

ε) *Crocea* ſeu concentrate flaua.

ζ) *Fuſca.* Per hanc intellectam volunt vrinam e

flauo & rubro ita confuſam, vt difficile ſit tam cognitu, quam enunciatu, flaua ne, an rubens dicenda ſit. Alii contra e flauo & nigro commixtam eſſe contendunt. Quam adcurate id fiat, vtriuſque viderint defenſores. Quod enim fuſcum audit in Latio, de flauo colore nihil participat, ſed e nigro & rubro mixtum eſt, veluti ad oculum demonſtrari poteſt, ſi modo vterque color dextre commiſceatur. Vnde ad nigras vrinas merito referenda eſſet.

d) *Rubra*, quo referuntur

α) *Roſea.*

β) *Rutilans* ſeu intenſius aurea in rubedinem declinans, a Veteribus *rufa* nuncupata, quam tamen Recentiores quidam a rutilante diſtinctam volunt. Vrina rutilans, ſi ſplendore extraordinario fulget, *flammea* adpellari ſueuit, quemadmodum aquea ſplendens, cryſtallina adpellatur. *Conf. Actuarius, Willichius, Bellinus.*

γ) *Rubea* colori mali punici proxime accedens.

δ) *Subrubea* ſecundum *Actuarium lib. de vrin. different.* bolo Armenio ſimilis, *lateritia.*

e) *Nigra.* Hæc comprehendit reliquas vrinæ ſpecies, quas ad nullum e recenſitis coloribus referre licet. Tales ſunt

α) *Lixiuioſa.*

β) *Cereuiſiaria*

γ) *Vinea* ſeu ex concentrata rubedine nigricans, inſtar vini ſature rubri & craſſi.

δ) *Paſſea*, quæ hepſemati ſeu defruto, vel, quod idem eſt, muſto ad dimidium cocto ſimilis.

ε) *Venetica* ſeu *veneta*, ex puro albo & nigro emergens, ſeu dilute cœrulea atque coloratior cineritia & plumbea.

ζ) *Olea-*

ζ) *Oleacea* ſeu colorem foliorum oleæ aut ipſius olei referens.

η) *Liuida.*

ϑ) *Nigricans.*

ι) *Nigra.*

(2) *Olfactoriæ* qualitatis reſpectu obſeruatur vrina

a) vel *inodora*, qualis eſſe ſolet aquea illa, quæ illico poſt potum emittitur.

b) vel *odora*, eaque

α) *Vrinoſa*, κατ᾽ ἐξοχὴν ſeu ſpecifice vrinam olens, quæ tamen ipſa poſt exhalationem particularum ſalino-ſulphurearum putreſcit, & male olet.

β) *Suaueolens*, qualis ſe offert poſt braſſicæ capitatatæ, aſparagi aut terebinthinæ adſumtionem.

γ) *Graueolens.*

δ) Moleſte *fœtida.*

(3) *Audibilis* ſeu *ſoni* reſpectu, vtrum videlicet inter mingendum

α) vel *Sonum clarum* & *acutum* edat, ac inſtar aquæ quaſſatæ perſtrepat.

β) vel *Soni expers*, ſicut pulmentum aut oleum vaſi illabatur. Sed fruſtraneam eſſe hanc ſoni obſeruationem iamdudum pronunciauit *Bruno*, cum impudentiæ anſam præbere videatur, quia æger verecundiæ fines tranſiliendo, lotium præſente & auſcultante Medico emittere deberet, vt iſte ſonum obſeruare poſſet. Eiusdem quoque pretii eſt illa differentia, quam nonnulli obſeruandam commendant, vtrum ſcilicet *pleno radio* ſcaturiat, aut *ſegnius* effluat.

(4) *Guſtatilis*, ſeu ratione *ſaporis*; num vrina ſit vel *inſipida*, vel valde *ſalſa*, aut plane amara? Vti ſuadere quidam volunt, vt Medicus aliis guſtandum exhibeat lotium, aut ipſemet æger ſi velit, de ſapore referat. Sed

Sed inconditam hanc explorandi rationem præter alia & hæ premunt difficultates, nimirum

a) rariſſime occurret aliquis, qui ægrotantis guſtare vellet vrinam.

b) fallax nimis eſt iſthæc per guſtum aliorum explorandi methodus, quia ſecundum temperamenti diuerſitatem, guſtus quoque diuerſiſſimus eſſe ſolet.

(5) *Tangibilis* ſeu intuitu ſenſus, quem inter effluendum excitat. Vbi

a) vel ſine moleſtia promanat.

b) vel cum ardore & dolore emittitur.

3) Ratione *quantitatis* effluit

(1) Multa ſeu copioſa,

(2) Mediocri quantitate,

(3) Parca; vbi non numquam guttatim ſtillat,

(4) Aliquando plane deficit.

4) Ratione *ponderis*, vtpote cui multum aliqui tribuunt, cum de morbi euentu non tutius, niſi ex vrinæ ponderatione, iudicari poſſe autument. Quanto enim vrina ægri inuenitur grauior quam ſanorum, tanto maius periculum mortis imminere contendunt. *Conf. Laur. Bellinus de Vrinis p. m. 14.* S.S.D. *Relat. curioſ. de Vrina p. 110. ſeqq. Gothæ 1703.*

5) Ratione *contentorum*. Hoc nominis inditum eſt materiis, quæ ab vrinæ ſubſtantia quouis modo ſeparatæ conſpicuuntur. Sunt autem

(1) *Vniuerſalia*

a) *Generatim*, quæ a tota maſſa eiusque portionibus nutritiis in forma *liquida* & tenui proueniunt, & de vniuerſa eius conſtitutione teſtantur, vt ſerum, portio ſalina, mucida, terreſtris, cuticula pinguis, ſpuma, bullæ.

b) *Speciatim ſedimentum*, ſeu ſubſidens & craſſior vrinæ portio, cuius attendendæ ſunt differentiæ, ratione

α) *Sub-*

α) *Subiecti*, a quo vrina reddita ſit; hinc datur ſedimentum

Sanorum, quod excrementum habetur ſecundæ coctionis, ſeu portio chyli in ſanguinem non verſa.

Aegrorum, ſeu portio materiæ morbificæ præparatæ, concoctæ & vna cum ſero expulſæ.

β) *Loci*, quem in vaſculo vrinali occupat, occurrit

Hypoſtaſis, *hypoſtema* ſeu *ſedimentum*, quod excrementum denotat cum vrina emiſſum, ob craſſiorem conſiſtentiam & maiorem grauitatem, fundum petens.

Enæorema, ſeu ſedimentum fundipeta hypoſtaſi leuius, in medio vaſis ſuſpenſum hæſitans.

Nephele, nubecula, ſeu leuiſſima ſedimenti ſpecies, quæ ſuperficiem humoris attingit, & in reliquo humore mouetur, velut nubes in medio aëre.

γ) *Conſiſtentiæ* ac *ſitus* ſedimentum ſe offert

Tenue, aquoſum, oleoſum, aut *craſſum*.

Continuum aut *diuulſum*.

Læue & æqualiter ſparſum, vel *aſperum* & diſcerptum, & hoc iterum vel ſponte *ſitum mutans*, vel per vnum alterumue diem in eodem poſitu *perſiſtens*.

δ) *Coloris*; num ſit

Album ſeu optimi coloris, *pallidum*, *flauum*, *roſeum*, *rufum*, *rubrum*, *liuidum*, *nigricans*. Ad hos quoque colores referenda ſunt ſedimenta reliqua, ex illis mixta, ſiue intenſius, ſiue remiſſius colorata.

ε) *Odoris*

vel vrinoſum olens,

vel grauius fœtens.

ζ) *Figuræ;* cuius reſpectu optimum eſt ſedimentum, quod pyramidali more contiguum ſurſum vergit & quaſi acuminatum adparet. Vocatur paſſim *legitimum; illegitimum* vero, quod craſſum & horizontaliter coagmentatum ſubſidet. Speciatim hypoſtaſis eſſe ſolet

Oroboides ſeu graniformis, & orobi quaſi referens figuram.

Petaloides ſeu ſquamoſa.

Pityroides ſeu furfuracea.

Crimnodes ſeu farinacea. Κρίμνα enim denotat partes hordei exſiccati grandiuſculas, inter molendum non ſatis contritas, & farinæ commixtas. *Vid. Galenus Comm. II. in præſag. Hipp. f. 30.*

η) *Quantitatis*, ſedimentum eſt modo

Paucum, modo

Multum, modo

Mediocris copiæ.

θ) *Accidentia* ſedimenti,

Spuma, quæ vitro vndique adhæret.

Bullæ, quæ in ſuperficie tantum lotii oberrant, & vitrum nulla parte attingunt.

Corona, ſeu rectius ſecundum *Rhenanum circulus*, quem vrina ægrotantium ſæpe vitro allinit.

Pinguedo ſupra natans, quæ in vrina oleoſa ſe offert,

Cuticula aranearum telam repræſentans, iam albicans, iam diſcolor.

(2) *Particularia*, quæ ex certis corporis partibus orta, vrinæ immiſcentur, & ſingularium partium male adfectarum conſtitutionem produnt. Talia ſunt

a) *Arenulæ*

α) *tenues* valde ac ſplendentes, quæ in vrina volitant eamque ob cauſſam *atomi* dici ſolent.

β) *craſ-*

ϐ) *craſſiores*, quæ ſabulum & arenulæ κατ' ἐξοχην adpellantur.

b) *Calculi.*

c) *Carunculæ.*

d) *Pus* ſeu materia purulenta, aut ichoroſa. Ne vero pituita pro pure habeatur, ſignum diagnoſticum ponunt fœtorem, qui puri ineſſe debeat, non vero pituitæ aut ſemini. Sed quoniam hoc quoque ſignum fallax deprehenſum fuit, & pituita diutius in veſica detenta æque fœteat, tum ſuadent, vt vrina, per inclinationem paulatim effuſa, *materiæ* ſubſidentis tantummodo examinetur conſiſtentia, quæ ſi

α) *facile diſſoluatur*, pus erit e renibus prouenienſ.

ϐ) Si *viſcida* & tenax fuerit, pituitam eſſe arguit.

γ) Si vero *viſcida* fœtorem ſimul ſparſerit, pus erit ex vlcerata veſica manans, tum in primis, cum in alia parte nullius inflammationis aut vlceris vel ſuſpicio, vel ſignum adfuerit.

e) *Pili*, qui tamen veri pili non ſunt, licet aliqui *Hippocratem* teſtem aduocare ſatagant. Huius autem adſertio *Aphoriſ. IV. 76.* ita habet: *Quibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti capilli ſimul feruntur, iis a renibus excernuntur.* Verum

α) verſio latina, quia vitioſa eſt, hoc minime probat, ſequentem in modum emendanda: Quibus cum vrina craſſa paruæ carunculæ *ſicut pili* ὥσπερ τριχες &c. (non *aut* capilli. Nam το *aut* in Græco deeſt) illis a renibus iſthæc excernuntur.

ϐ) Ne vero quis argumentum pro ſtabiliendis pilis in vrina ab ipſa veterum *trichiaſi*, ſeu pilorum, vt vocant, mictione deſumat, repetendus erit caſus de *trichiaſi*, a *Galeno* adlatus, cuius ſupra ſtrictim meminimus. Minxit nimirum quidam, qui toto ferme anno, morbum antegreſſo, fabam & orobum comederat, talia corpuſcula pilorum nomine inſignita, quorum longitudo dimidium cubiti æquauerat,

uerat. *Conf. eius Comm. IV. ad Hipp. Aph. f. 332.* vbi ſimul monet, a renibus abſcedere non poſſe eiusmodi filamenta, cum ad talem formam diſſolui nequeant; & qui id adfirmet, naturæ renum eſſe ignarum. Suſpicatur autem, piliformia iſthæc corpuſcula fieri in venis per aduſtionem ex materia craſſa & viſcida. Alii in vreteribus generari credunt: alii iudicium ſuſpendunt. *Hier. Thriuerius*, clarus quondam *Hippocratis* & *Galeni* exegeta, & apud *Louanienſes* profeſſor, cum *Galeno* facit, & non eſſe generationis pilorum officinam itidem contendit.

γ) Interim non ignotus eſt caſus ille rarior, de vera pilorum mictione in quadam muliere, quem adnotauit *Greg. Horſtius Obſ. lib. IV. Caſ. LIII. f. m. 349.*

δ) Ita nec temere pro pilis venditanda ſunt *filamenta*, cum vrina excreta, quæ exeſæ membranæ particulas fuiſſe ſæpius compertum eſt.

f) *Membranæ.* Hæ plerumque a veſicæ tunica interiori abſcedunt, poſt quam vehementer a calculis læſa eſt. Ita v. c. *Williſius in diſſ. epiſt. ad Rudolph. Bathurſt de vrinis cap. V. p. 356. 357.* obſeruationes de duabus matronis calculoſis, membranas mingentibus, communicat, quarum cauſſam ſectio cadaueris abunde propalauerit.

g) *Mucus.* Is a veſica plerumque abraſus, a calculoſis ſubinde cum vrina excernitur.

h) *Sanguis* ſæpe ex renibus, interdum vero ex veſica originem ducit. In mulieribus autem, durante menorrhagia & lochiorum manatione, caſu admiſcetur vrinæ. Vbi pro *præternaturali* contento, veluti reliqua, non habendus eſt, quemadmodum nec ſemen, quod in ſanis ſubinde in vrina adparet. Si vero aliquis *το præternaturale* hoc loco accipere velit, non pro eo, quod corpus lædit aut eius læſionem ſequitur,

tur, vt alias, ſed pro illo, quod naturæ vrinæ non reſpondeat; tunc & ſanguis menſtruus & lochialis dici poterunt contenta *præternaturalia.*

i) Squamæ, furfures, farinæ, vermes.

k) Contenta particularia, *monſtroſa,* quæ potius contra naturam videntur, quam præter illam, hoc loco fuſe enumerare nihil attinet. Talia qui volet, obſeruationum ſcriptores conſulat.

III. *PROGNOSIS.*

1. *Generalis.*

1) Vrina ſuppeditat ſignum diagnoſticum & prognoſticum. Sæpe enim indicat morbi cauſſam, ſpeciem, partem adfectam, actiones læſas, malignitatem, materiæ morbificæ cruditatem, coctionem, tempora morbi, terminum criſeos, ſalutem & mortem.

2) Ex vrina in quibusdam morbis diagnoſin & prognoſin certiorem, in aliis incertiorem formare licet. Illa præcipue in morbis acutis, hæc autem in chronicis locum habet.

3) Pulſusne an vrina certius porrigat prognoſticon, adhucdum in ambiguo eſt. Non pauci tamen contendunt, pulſum certius ſignum præbere mortis, vrinam vero futuræ ſalutis. Item vrinam mortem longinquam; pulſum propius inſtantem rectius præſagire.

4) Vrina de ſtatu non ſolum earum partium, per quas tranſit, ſed etiam illarum, vnde materia vrinæ prouenit, aliquid præſagire ſolet. De illis quidem euidentius, de his incertius. Exempla de renum, vreterum & veſicæ læſione per vrinam dignoſcenda ſatis ſunt obuia; pleuriticorum vero & peripneumonicorum vrinam pus exhibere, æque raro contingit, ac vrina cruenta in pulmonis vulneribus.

5) Partium remotiorum ſtatus ex vrina eo difficilius inno-

teſcit, quo efficacius qualitates vrinæ aliunde impreſſæ in viis vrinariis permutantur & delentur, ſi in primis aliquo vitio ipſæmet laborent.

6) Ex ſola vrina nemo certi quid præſagire ſuſtineat: reliquis autem ſignis ſimul in ſubſidium adhibitis, tutior formabitur prædictio.

7) Quando ſecretionum actus expedite ac ordinate in corpore ſuccedunt; tunc vrina quoque naturalem indolem refert. Si vero illi præter naturam alterati ſunt, vrinæ pariter conſiſtentia, color & contenta a naturali tramite deflectant neceſſe eſt.

8) Quemadmodum vrinæ *contenta* indicant, quid de *ſanguinis maſſa* iudicandum ſit: ita ipſius *mutationes* ſtatum *partium*, vrinam conſtituentium, prodere ſolent.

9) Vrinam copia potui reſpondentem reddere oportet, & ſemper æqualem, & quam maxime effuſam, & ad paulo craſſius inclinantem, quam quod potu adſumtum eſt. *Hippocrates lib. II. prorrh. ſ. m. 68.* Sed amplo hanc prædictionem commentario indigere, in ſtatu tam naturali, quam præternaturali, in aprico eſt. Sæpe enim ſub multa exercitatione & parciore potu plus emingitur, quam bibitur, quod tempore hiberno etiam citra extraordinaeiam exercitationem contingere ſcimus, ob tranſpirationem tunc languentem, neque tamen aliquid morbidi inde metuendum. *Conf. Iodoc. Willichius de probationib. vrinar. cap. IV. p. 64.* vbi ſalſe hanc *Hippocratis* & *Galeni* traditionem pluribus perſtringit.

10) Quia res non modo *præternaturales*, ſed etiam *naturales* & *non-naturales* vrinam mutant, de omnium efficacia præſagienti Medico, niſi falli aut confundi is velit, conſtare oportet.

11) De ſexus, ætatum ac temperamentorum vrinis ſub *differentiis* iam dictum. Speciatim de *puellarum* vrina obſeruauit *Io. Rhenanus*, eam in fundo adhuc paruam habere hypoſtaſin, quæ non bene aduertentibus cum ſuperiori con-

ri contigua adpareat, attamen eadem hypoſtaſis non ſit, ſed ab illa quamuis minutiſſima diſtincta ac matricis propria. Denotare iudicat mulierem ſanam & fœcundam. Præterea in vaſe motam paruas parere bullulas, inter duas illas hypoſtaſes, & infallibile muliebris vrinæ ſignum præbere putat. *Vid. Vrocrit. chymiatr. cap. I. n. 27.*

12) Sub initium *veris* vrinæ reddi ſolent largæ, albæ, ſubſpiceæ & plurium contentorum; in progreſſu ad colorem ſubrufum aut ſubcroceum & pauciora contenta fit tranſitus. *Willichius.*

13) Vrinæ *æſtiuæ* ſubſtantiæ ſunt tenuioris, coloris ſubaurei & hypoſtaſin habent albam, læuem, æqualem. In æſtus autem vigore fiunt tenues, aureæ, croceæ, paucæ, cum hypoſtaſi parciore & in album declinante.

14) *Autumnus* incipiens ad mediocritatem vrinas quouis reſpectu redigit. Verum adultus factus magis notabiles inducit conſiſtentiæ & coloris mutationes.

15) *Hiberno* tempore ferme omnium in vrina mutationum ſpecimina videre licet, ob tempeſtatis, regiminis, vitæ generis, temperamentorum ac vitiorum in diæta varietatem atque frequentiam.

16) Quo debilior vrinæ *color* eſt, eo citius perturbari poteſt; quo vero coloratior exſiſtit, eo ſerius.

17) In optime ſanis non ſemper vnus idemque adparere poteſt color.

18) Vrina *aurea* in ſanis exactæ in renibus ſeparationis ſignum eſt. *Rhenanus.* Sic ſpicea non minus, perſpicua, ſplendens, bonam coctionem & integram ſanitatem indicat.

19) Vrina rei epotæ quodam modo colorem ſeruat. Exempla ſuppeditant aqua & vina alba, flaua, rubra, nigra. *Galenus. Comment. V. in lib. VI. epid. Hipp. f. 156. Willichius cap. III. p. 56.*

20) Vrina, quæ *clara* mingitur, ſed facile turbida fit, debilitatem quidem indicare creditur, verum in ſanis id ſæpe con-

contingit poſt adſumta craſſa, ſine vllo noxæ indicio, nedum vero detrimento.

21) Vrina *albicans*, in ſanis adparens, eſum plerumque lacticiniorum & emulſiuorum præcesſiſſe arguit. In infantibus ceterum laudabilem indicat digeſtionem, ſed non bonam nutritionem.

22) Vrina *aurantii* coloris, quæ turbida euadit & concolor ſedimentum deponit, præternaturalem æſtum; ruborem vero vini æmulans, intenſum ſanguinis feruorem indicat.

23) Vrina citra manifeſtam cauſſam excedens, aut deficiens, ſtatum præternaturalem adnunciat.

24) Multam mictionem ſequi ſolent imminutæ alui excretiones. Hinc *Hippocrates Aph. IV. 82. Vrinæ de nocte copioſe redditæ paucam alui deiectionem ſignificant.*

25) Vrina *pauca* vel multos ſudores excipit, vel ſeri defectum indicat; ſæpe etiam temperamenti calidi & habitus ſtrictioris index eſt. Eius autem ſuppreſſio periculum adfert.

26) Vrina *multa*, extra morbum, vel potus nimiam ingurgitationem, vel diureticorum adſumtionem, vel aquarum medicatarum vſum indicat.

27) Homines potatores plus & frequentius mingunt, quam ſobrii & frugaliter victitantes: plus tamen iuniores, quam ſeniores.

28) *Multam* vrinam reddunt quidam poſt aſparagi & melonum eſum, non raro etiam poſt infuſi Theé adſumtum potum.

29) *Odorem* vrinæ conciliant vel per os adſumta, vel humorum præternaturalis conſtitutio, vel motuum vitalium nimia exagitatio.

30) Vrina *odoris expers* malam coctionem atque cruditatem ſignificat.

31) Quæ vrina odorem naturalem κατ' ἐξοχὴν vrinoſum refert,

fert, illa de bona concoctione & optima humorum conſtitutione præbet indicium.

32) Vrinæ ſuaueolentia peculiaribus adſumtis adſcribenda eſt. Ordinarie enim lotium odorem gratum non ſpirat.

33) Vrinæ male olentes & vere *fœtidæ* plerumque humorum vitia, aliquando & adſumta pro fundamento habent.

34) *Pus* non ſemper fœtidam reddit vrinam, ſi inprimis bene coctum & a ſanguinis partibus, corruptela non adfectis, non prouenerit.

35) Vrina *putrida* ſignificat putredinem humorum, vel vlcus ſordidum.

36) Vrina inter mingendum *non ſonora* teſtatur de abundantia vel viſcidi humoris, vel, quod rarius fit, de multa pinguedine.

37) Vrinæ vere *pingues* ſemper malæ; quemadmodum & *nigræ* in quouis ſtatu ſuſpectæ.

38) Omne *ſedimentum* ſanorum indicat aliquam concoctionem.

39) Melius eſt ſedimentum adparere, quam penitus abeſſe. Indicat enim naturæ in materiam dominium.

40) Optimum ſedimentum, quod non eſt nimis paucum, neque nimis multum, ſed mediocre, quodque optime eſt exterminatum, acuminatum ſeu formam pyramidis gerens, album, æquale, non planum contra fundum matulæ iacens, ſed quaſi ſuſpenſum. *Fienus Part.II. cap. VI.361.*

41) Malum ſedimentum eſt, quod nimis multum, nimis craſſum, diuulſum, non album, non acuminatum, ſed planum adparet.

42) In vrina ſanorum, tam ſubſtantia quam colore bona, quo paucius ſedimentum conſpicitur, eo melius; immo nullum adparere, eſſet optimum. *Fienus.*

43) Qui ſe ſentiunt cibo grauari, nec eum bene concoqui, plus in vrinis craſſis oſtendunt ſedimenti, quam quidem alii. Quod in primis valet de temperamentis frigidis, ho-

minibus ſomno deditis, voracibus, crapuloſis, & in vtroque ſexu otio litantibus.

44) Sedimentum vrinæ flocculentum, cum pellicula pingui excreti ſeminis indicium eſt.

45) Vrinæ, quæ ægris non ſentientibus effluunt, perniciem portendunt. *Coac. 596.* Si vero idem contingat ſanis, iunioribus, tempore inprimis nocturno; incuriam & malos mores indicant. Vnde per medicinam quoque moralem curantur.

46) *Arenulæ* in plurium vrinis adparere ſolent, qui tamen numquam de calculo conqueruntur. In calculi ergo ſuſpicione vni huic ſigno non tuto fidendum.

47) Vrina ſola ſufficiens ac certum ingrauidationis ſignum non ſuppeditat.

48) In vrina mulierum clara atomi volitantes, a multis habentur grauiditatis indicium.

49) In notorie prægnantibus vrina a *primo* ad *ſextum* vſque geſtationis menſem obſeruata eſt ſubaurea, ſed tamen turbida; atomi vero eidem innatantes dum conglomerantur, infra regionem mediam hypoſtaſin formant lanæ tenuis ac carptæ ſimilem. Circa *ſeptimum* inſignis contingit mutatio. Nam color ſimilis euadit iuſculo, cui vituli pedes incocti ſunt. Partu autem adpropinquante turbida & rubicunda euadit. Verum de his quoque ſignis monet *Eyſelius in compend. ſemiol. quæſt. LXXIX.* eadem ſubinde menſium tantum retentionem aut molam portendere.

50) *Imago* ceterum in vrina grauidarum prope matulæ fundum primis temporibus conſpicienda, veluti a quibusdam adſeritur, oculatioribus relinquenda erit. Interim hoc verum eſt, vrinas prægnantium ſanis longe exſiſtere ſpiſſiores. *Rhenanus cap. X. n. 58.*

2. *Specialis.*

1) In *Febribus.*

(1) In principio febrium vrinæ *tenues* malæ non ſunt; in reliquis

in reliquis autem temporibus, ſi tales permaneant, ominoſæ. Vel enim, ſi natura adhuc valida eſt, morbi longitudinem; vel ſi debilior, exitium prænunciant. Hinc *Fienus: in declinatione morborum, tenues vrinæ peſſimæ; craſſæ vero & criticæ in primis ſalutares. Auctor lib. II. de dynamidiis in ſpuriis Galeni f. m. 120. Vrina tenuis ſi poſt criſin venerit,* & *diu perſeuerauerit, repetitionem cuiuslibet ægritudinis nunciat.*

(2) Vrina *tenuis*, ſi in malum colorem poſt criſin ſe mutauerit, & ii, qui patiuntur, prima ætate fuerint, contractionem corporis ſignificat. *lib. II. de dynamind.* Hinc forte *Riuerii* enata eſt prædictio, quod vrinæ cum bono colore in acutis ſalutares ſint.

(3) Vrina *tenuis*, pallida & parca, in pathematibus pectoris acutis, numquam periculo vacat.

(4) Vrina *tenuis*, diaphana, purpurea cum ſpuma, pleuritdem ſignificat.

(5) In pulmonis inflammatione, quibus circa initia vrinæ craſſæ ſunt, deinde ante quartum diem *tenues* euadunt, iis mors impendet. *Hippocrat. Coac. prænot. 415.*

(6) Vrinæ in dies *mutabiles*, nempe crudæ, decolores, & aliquanto poſt interuallo non nihil concoctæ, non ſine criticis ſignis, craſſitudine præditæ, verum turbidæ, nihil conſiſtentes aut ſubſidentes, non coctæ, paucæ, vitioſæ, in epidemicis morbis omnes ſunt peſſimæ. *Idem lib. I. epid. f. 19.*

(7) Vrina *tenuis* & aquoſa, ſi ſimul fœtorem ſpargit, in omni maligna febre exitium minatur, aut graues inflammationes præmonſtrat.

(8) Vrinæ *tenues* in acutis, & decolores cum ſignis ſalutaribus, abſceſſus fieri præmonſtrant. Tales habuit *Pythio*, ad Telluris ædem habitans, ad octauum vſque diem cum aliis ſignis coctionis, cui de *quadrageſimo* circa ſedem ſuppuratio fiebat. *lib. III. epid. æg. I.*

(9) Vrinæ *tenues*, diu perſeuerantes, in magno humorum adparatu; vbi alia criſis minus ſuccedit, res ad abſceſſum in inferiora deſinit. *Bagliuius.*

(10) Vrina *tenuis* & diaphana, in febribus lentis, morbi prorogationem portendit.

(11) In febribus longis, paruis, vagis, *tenuium* vrinarum eiectiones lienis adfectionem denunciant. *Coac. 594.*

(12) Vrina *tenuis* & *bilioſa* febrium diuturnitatem minatur.

(13) Vrina vel *tenuis* & cruda, vel craſſa etiam in intermittentibus, primarum viarum labem & morbi indolem refractariam indicat.

(14) In febre variarum interdum vrinarum mictiones morbum producunt, id eſt diuturniorem reddunt. *Coac. 595.*

(15) Vrina *ſubiugalis*, vulgo *iumentorum*, ſiue *tenuis* ſiue ſimul *craſſa* fuerit, nihil in febribus boni prænunciat.

(16) Vrina *craſſa*, rubicunda, male olens ſiniſtrum in acutis præbet omen.

(17) Vrina *craſſa*, rutilans, circa dies criticos emiſſa, nubeculam formans, niſi vel hæmorrhagia, vel ſudor critice ſucceſſerit, difficilem morbi ſolutionem præſagit.

(18) Vrina *craſſa*, viſcida, liueſcens ac turbida, motuum depuratoriorum ataxiam, confuſionem & exitium portendit.

(19) Vrina *clara* in febrium principio non abſolute damnanda. Nam februationis labor non illico poſt inuaſionem in magno vigore eſt, quia natura in ſubigenda materia febrili temporibus & gradibus vtitur; clara autem in augmento peſſima.

(20) Vrina *clara micta* & talis perſeuerans, maximæ cruditatis ſignum eſt. Hæc ſi ad vndecimum vſque diem ſine ſedimento talis eſſe continuat, mortem fere prænunciat.

(21) Vrina *clara* micta, & paulo poſt turbida, ſemper mala. Coctionis enim defectum & energiæ vitalis debilitatem prodit. *Fienus.* (22) Vri-

(22) Vrina *turbida*, ſubiugalis dicta, mala. Capitis enim dolores vel iam adfligunt, vel ſuperuenient. Quod ſi inſuper ſitis, æſtus & cephalalgia vrgeant, deliria; ſi vero capitis grauitas & ſopor adſint, lethargus imminent. *Bagliuius.*

(23) Vrina *turbida micta*, quæ paulo poſt reſidet, mitior; quæ autem turbida mingitur ac talis permanet, deterior; ſed quæ clara effluxit, & poſthac conturbatur, oppido praua eſt. *Galenus lib. I. de criſib. cap. XII.*

(24) Vrina *turbida* & in febris initio ſtatim cocta adparens, infidum laboris & ſucceſſus febrilis ſignum præbet, in primis ſi tempore incrementi limpida prorſus iterum euadat.

(25) Vrina *turbida* & cocta, ſed ſub grauiorum ſymptomatum ſyndrome effluens, malum euentum ac ſæpe die nono mortem prænunciat. Die autem quarto ſine moleſtiis cocta effluens, neque præmature alterata, bonum exitum ſpondet.

(26) Vrinæ genitale ſemen referentes, ſoluunt febres opiſthotono ſtipatas. *Coac. 362.*

(27) Vrinæ *albæ*, pellucidæ, malæ, maxime exitiales phreneticis. *Aph. IV. 71.* Eiusdem indolis ſunt citrinæ albicantes in aliis acutis capitis pathematibus.

(28) Vrina *pellucida*, quæ latera vaſis cuticula alba & lacteſcente quaſi tingit, febris lenteſcentis indicium eſt.

(29) Vrina *pellucida*, poſt primos intermittentis febris paroxyſmos, minime metuenda; magis enim cocta & tincta ſequitur poſt plures, cum ſedimento laudabili. Si vero vtrumque deficit, febris in deteriorem ſtatum degenerat ac ſæpe acuta fit.

(30) Vrinæ quædam in *ephemeris* nubeculas oſtendunt, aliæ ſuſpenſiones habent, non nullæ autem bonas hypoſtaſes: omnes vero ſunt *bene coloratæ*. *Galenus lib. II. de criſib. cap. XIII.* Contingit tamen nonnumquam,

 vrinas

vrinas in iis febribus eſſe crudas & *albicantes*, aut etiam citrinas & turbidas: prius obſeruatur poſt vitia digeſtionis; poſterius poſt ebrietates.

(31) Vrina *citrina* & ſanæ ſimilis, æque ac pulſus ſanus, in malignis peſſima; in lentis vero *citrina* concentrata & paulo craſſior, cum laudabili hypoſtaſi, bonum præbet indicium.

(32) Vrina *ochrei* coloris aut ad lateritium vel obſoletum aurantium declinans, craſſa, multa, cum roſeo ſedimento, febrim lentam in hecticam tendere nunciat.

(33) Vrina *rutilans*, quæ diu limpida permanet, in acutis dolores capitis, congeſtiones hæmorrhagicas, inflammationes & deliria portendit.

(34) Vrina nimium *rutilans*, diaphana, ſæpe febrem inflammatoriam indicat.

(35) Vrina quousque *rufa* fuerit, morbum crudum ſignificat. *Galenus lib. I. de criſib. cap. XII.* Verum quarto die ſedimentum dimittens, bonum eſt præſagium.

(36) Si vrina *ſubrubra* ſit, ac hypoſtaſis ſubrubra, ſignum ſalutare eſt, diuturnam tamen fore febrim prænunciat. *Hippocrates* & *Galenus in comm. I. ad lib. de hum. ſ. 3. Coac. 198.*

(37) Vrina *rutilans*, craſſa, turbida, ſine hypoſtaſi perſeuerans, impeditam coctionem & ambiguum ſucceſſum indicat.

(38) Vrina tenuis, *rubra*, flammea, febrem ardentem & viſceris alicuius inflammationem prodit. Aliquando boli armeni æmulatur colorem, & ſpeciatim hepar inflammatum ſignificat.

(39) Vrinæ color in purpura variat: iam enim citrinum, iam vero aurantium aut *roſeum* exhibet: ſinguli minus ſunt pernicioſi; ſi vero *nimium rutilat* & turbida eſt, nec hypoſtaſin oſtendit, febris augmentum ſeu caloris exceſſum difficilemque morbum nunciat.

(40) Vrina florida *ſubroſea* ac turbida, febrem catarrhalem

lem *malignam* arguit. *Nenter.* ſed remiſſius *rubicunda* aut aurantia, cum ſpuma vel cuticula, *benignam* oſtendit.

(41) Vrina in acutis ſi diu *fulua* permaneat, periculum eſt, ne homo ſufficere poſſit, donec fiat exacta concoctio. Interim aliquibus ſubinde loco criſeos fiunt abſceſſus, ſi modo vires non defecerint.

(42) Vrina *lateritia*, craſſa & turbida, ſine ſedimento, aut cum limoſo concolori, febrim catarrhalem malignam ſæpe denunciat.

(43) Vrina *ſature rubra* & ad *nigredinem* vergens, cum pauco aut multo ſedimento decolore, mit einem rothigen Satz, morbo diuturno iam exiſtente, tranſitum ex acuta in hecticam factum eſſe indicat.

(44) Laterum dolore adfectis vrina aliquantulum *rubra*, læuem habens ſubſidentiam, *ſecuram* iudicationem prænunciat. Quæ vero aliquantum *pallida*, bene florulenta eſt & albam habet ſubſidentiam, celerem. At quæ *admodum rubra* & bene florulenta, ſedimentum pallidum, læue ac purum habet diuturnum valdeque turbulentum morbum fore, & in alium tranſiturum, non tamen pernicioſum. *Alba* vero, diluta cum ſedimento fuluo graniformi, dolorem & periculum denunciat. *Pallida* autem ſimile ſedimentum habens, diuturnitatem indicat atque periculum. *Coac. 586.*

(45) In *ſynocha* vrina *crocea* & turbulenta, cum nebulis non bonis, aliquando & *rubicunda* adparet. *lib. II. de dynamid. Conſp. med. p. 484.* Quæ ſi lucida ac cruda permanſerit, malum ſucceſſum ominatur.

(46) *Coloris* vrinæ in malignis iterata *mutatio*, funeſtam quoque mutationem prædicit; in lentis vero omnimodam turbationem & refractarium ſtatum arguit.

(47) Vrina hecticorum in morbi primordiis ſanæ fere ſimilis eſt; in augmento autem fieri ſolet vel *roſea*, vel *aurantia* cum floccis, ſuperficie pingui & cuticula; ſub nimia tandem exacerbatione & ominoſa contabeſcen-

tia,

tia ſubinde *flammeam* quoque, pellicula pingui tectam obſeruare licet.

(48) Vrina in variolis ac morbillis *rubra* ſeu verius *cruenta*, lethale omen.

(49) Vrina in *intermittentibus* tantum *rubicunda*, typi intermittentis in acutum minitatur cataſtrophen; *crocea* vero icteri metum incutit; ſi autem pauca, cruda, flocculenta adparet, ſpleni vitium ineſſe declarat.

(50) Peſſima eſt omnis vrina *denigrata*, adeo vt neminem vmquam ſeruatum viderim ex illis, qui talem minxerunt. (Sed huius regulæ experti ſumus exceptionem.) Minus vero pernicioſa, ſi ſolum id, quod ſubſidet, nigrum fuerit; adhuc vero minus, ſi ſolum id, quod in medio iacet; minime omnium, ſi nubecula. Color vero *viridis* fit in tranſitu ad nigrum, & eius veluti principium exſiſtit. *Galenus lib. I. de criſib. cap. XII.* Patet ergo quid de nigris in acutis in primis ardentibus & peſtiferis iudicandum ſit.

(51) Vrina *nigricans* in quartanæ declinatione, cum concolori ſedimento, critice quaſi expulſa, ſalutaris. *Fienus.*

(52) Vrina *fœtida* in febribus acutis, epidemicis præcipue, peſſimum ſignum conſtituit. *Grauius* autem in intermittentibus *olens*, materiam a natura ſubactam & febrem mitigatam ſignificat. Quæ vero omnis odoris expers vrina eſt, omnimodam febris cruditatem nunciat.

(53) Vrina *pauca* ſæpe obſeruatur in phrentide, in omni autem febre, in qua neque ſudores largi contingunt, neque copioſæ alui deiectiones fiunt, vrinæ paucitas mala eſt; præter enim excrementitiæ portionis retentionem, caput variis ſubiicitur pathematibus, ſoporoſis ac delirioſis.

(54) Quibus non ſine febre vrinæ ſunt *craſſæ*, *grumoſæ* & *paucæ*, ſi ab iis copioſæ & tenues prodeant, iuuant.

Præci-

Præcipue vero tales redduntur, quibus ab initio, vel non ita multo poſt ſedimentum ineſt. *Conf. Aphoriſ. IV. 68.*

(55) Quæ *parua copia* adparent, velut ſtillæ ſanguinis, *vrinæ*, vomitiones & deiectiones, malum quidem penitus denunciant; peſſimum vero, ſi exiguis interuallis ſeſe conſequantur. *Coac. 600.*

(56) Vrina in febribus *pauca* & *mordax*, aut difficili conatu emittenda, pernicioſa.

(57) Vrinæ in acutis *ſuppreſſio*, poſt frigus contingens, peſſima.

(58) *Largior* mictio in acutis mala: in intermittentibus hecticæ eſt prodromus. *Nenter.*

(59) Vrina *copioſa*, die critico reddita, ſalutaris.

(60) In febribus ardentibus *multas* reddi vrinas malum eſt; niſi hoc fiat in declinatione decretorie. Alias enim nimiam ſanguinis indicant colliquationem. *Fienus p. 342.*

(61) In declinationibus, præcipue quotidianarum, ſi vrinæ *multæ* & *craſſæ* prodeant, laudabile habetur indicium. *Idem.*

(62) In omni febre vrinæ *multæ*, tenues, aquoſæ, non criticæ, nihilque morbum leuantes, damnandæ. Inuoluunt enim acceleratum nimis laborem febrilem, atque ſudores ſalutares ſufflaminant.

(63) Optima vrina, quæ ab exputreſcente humore, coctionem a continente vaſe ſuſcipiente, perficitur, eſt, quæ album & lene & æquale, minime fœtidum, *ſedimentum* habet: peſſima autem, quæ in omnibus contrario modo deprehenditur. *Galenus lib. I. de diff. febr. cap. VI. f. m. 31. lib. I. de criſib. cap. XII. f. 133.*

(64) Quamquam multi ægrorum moriantur, quorum vrinæ *ſedimentum* habuerunt; & non pauci, quibus vrinæ ſine ſedimentis emiſſæ ſunt, reualuerint: fateor tamen, ſedimentum in vrinis, quantum ex ſe eſt, fere

 ſemper

ſemper bonum, & ideo ex illo ſemper optime progno- ſticandum eſſe. *Fienus.*

(65) Sedimentum *tenue*, in febris principio adparens, non malum; dummodo in dies meliorem indipiſcatur conſiſtentiam.

(66) Sedimenti in vrina abſentia morbum valde crudum indicat, & ſi ad vndecimum vſque diem defecerit, certam in acutis, præcipue malignis, minatur perniciem.

(67) Sedimentum optimum eſt mediocriter *craſſum*; ſcilicet ſi talis ſit crasſities, qualis poteſt per coctionem induci: at quod eſt ſupra modum craſſum, malum; quia non a coctione, ſed ab admixto humore ſeu materia craſſa tale factum eſt.

(68) Secundum *Fieni* theoriam ſedimentum *tenue* leue & nubecula fiunt ex humoribus bilioſis; *craſſum* vero & graue e pituitoſis, melancholicis; *ſuſpenſum* ex omnibus mediis.

(69) Sedimentum in febris incremento adparens, bonum. Indicat enim morbificam cauſſam a natura concoqui.

(70) Sedimentum vndique bonum ac laudabile illud eſt, quod proprietates illas habet, quas ſupra ſub *differentia* deſcripſimus.

(71) Sedimentum, in vrina nimium rutilante ſubſidens, quaſi *purulentum*, acutas *inflammatorias* indicat; in rubicunda autem turbida plane deficiens, ſui vero loco floccos oſtentans, hecticæ ſuccedentis metum excitat.

(72) Vrina in hepatitide rutila & admodum craſſa, *craſſum* pariter ſedimentum dimittit. *Conſp. med. p. 539.*

(73) Sedimentum *roſeum* æſtum febrilem ſtatumque plethoricum generatim indicat. Speciatim in vrina pleuriticorum & peripneumonicorum ſature rubicanda ſæpius conſpiciendum ſe offert, quia febribus inflammatoriis ſolemne eſt. *Conſpect. med. p. 501. 533.*

(74) Qui-

(74) Quibus ſeptimo die iudicatio contingit, eorum vrina die quarto *rubram nubeculam* habet, aliaque pro ratione *Aph. IV. 70.*

(75) Sedimentum *lateritium*, aut bolum armeniam æmulans, particularum ſalino-terreſtrium exaltationem, per crebros motus factam, indicat, & ſubinde in febribus intermittentibus & hecticis atque aliarum recidiuis obſeruatur.

(76) Vrina in febre *album* & læue depoſitum habens *ſedimentum*, celerem liberationem denunciat. Celerem quoque, quæ diluta indiſcretam quamdam habet pinguedinem. Quæ vero aliquantum rubet, & *ſubrubrum* habet *ſedimentum* ac læue; ſi quidem ante ſeptimum diem adpareat, ſeptimo die ſolutionem fore deſignat; poſt ſeptimum autem tardiorem, aut plane diuturnam. Et quæ quarto die *ſubrubram nubeculam* capit, ſeptimo die liberat, ſi reliqua pro ratione habeant. Tenuis autem &ililoſa & ægre *lentum* habens *ſedimentum*, & quæ in melius ac deterius commutatur, temporis diuturnitatem poſtulat. Quod ſi illud dilutius perſeueret, aut ad iudicationem temporis longinquitas requiratur, periculo non vacat. *Coac. 575.*

(77) Vrinæ *ſedimenta liuida* & nigra omnium peſſima. Vnde *Hippocrates Coac. 577.* ſcribit: *in vrinis nubeculæ albæ quidem & quæ infimum locum occupant vtiles ſunt, rubræ vero nigræ ac liuidæ moleſtiam exhibent.*

(78) In acutis morbis periculum denunciat vrina bilioſa, neque aliquantum rubra & quæ *ſedimenta* habet *crimnodea*, alba, & quæ colore ac ſedimento variat, & præcipue in iis, quæ ex capite fiunt defluxionibus. Perniciem etiam præ ſe fert, quæ ex nigra in bilioſam tenuem tranſit, & quæ *ſedimentum* habet *diuulſum*, quæque ex his, quæ denſata per vrinam feruntur, quod *ſubſidet* habet aliquantulum liueſcens & limoſum. *Coac. 578.*

(79) Perniciem indicat vrina, in qua *nigrum* eſt, quod *ſubſidet*, & quæ ipſa nigra eſt. *Coac. 580.*

(80) Vrina *cruda*, quæ ſic diu perſeuerat, vt reliqua ſigna ſalutaria ſint, abſceſſum & dolorem, præcipue infra ſeptum tranſuerſum, denunciat. Doloribus vero ad lumbos oberrantibus, ad coxam; idque in febre & ſine febre. At quæ emittitur vrina, in qua, quod *ſubſidet*, *pinguedinem* habet, febrem ſignificat. *Cruenta* vero circa initia reddita, morbi diuturnitatem. *Returbida* quoque cum ſudore, morbi reuerſionem. *Alba* autem *ſubiugalis*, capitis dolorem; *membranoſa* conuulſionem. Quæ vero *ſputo ſimilia* habet *ſedimenta* aut limoſa, rigorem denunciat; quæ *aranearum telis ſimilia* quædam habet, colliquationem. At in errantibus febribus *nigræ nubeculæ* quartanam denunciant; decolores autem vrinæ, *enæoremata nigra* in medio habentes, cum peruigilio & perturbatione, phrenitidem; cineritiæ vero, cum ſpirandi difficultate, aquam intercutem. *Coac. 582.*

(81) In laterum doloribus vrina cruenta, obſcura, cum eo, quod *ſubſidet*, *vario* & *indiſcreto*, vtplurimum in quatuordecim diebus mortem adfert. Laterum quoque dolore adfectis in propinquo mortem eſſe ſignificat, quæ viridis *nigrum* habet *ſedimentum*, aut furfuribus ſimile. Febre vero ardente cum alto ſtupore ex albida vrina peſſima eſt. *Coac. 581.*

(82) *Nubecula* iuxta ſuperficiem circuli modo euecta, in acutis peſſima. *Alpinus lib. VII. cap. XV. p. 537.*

(83) *Nubecula* in morbis bilioſis eſt tam bonum ſignum, quam hypoſtaſis in pituitoſis. *Fienus.*

(84) In tertianis cum horrore, ſi adpareant *nubeculis nigris* ſimilia, inconſtantem horrorem indicant. Membranoſæ quoque mictiones, & quæ cum horrore ſubſidunt, conuulſiones prædicunt. *Coac. 584.*

(85) Vrina

(85) Vrina, in qua, quod *ſubſidet*, bonum eſt, & derepente euaneſcit, dolorem ac mutationem denunciat. At quæ *ſedimentum* habet returbida, reſidens, rigorem circa iudicationem, forte etiam & in tertianam aut quartanam tranſitum. *Coac. 585.*

(86) Quibus *bilioſa ſedimenta*, ſupra vero tenuia fuerint, acutum morbum ſignificant. *Aph. VII. 32.*

(87) Vrina *multum* habens *ſedimentum*, deliria tollit, qualis etiam *Dexippi* fuit poſt capillorum defluuium. *Hippocrat. lib. VI. epid. ſect. VI. 22.*

(88) Quibus per febres *ſedimenta* hordei toſti, non exacte moliti, crasſioribus fruſtulis ſimilia, in vrinis contingunt, longam fore ægritudinem denunciant. *Aph. VII. 31.*

(89) *Nubecula* innatans vrinis eorum, qui intermittentibus detenti ſunt, febris mitigationem adeſſe declarat.

(90) Enæorema diuulſum, inæquale, malum; tanto peius, ſi ſimul nigrum fuerit.

(91) Vrina cum *nebulis ſciſſis* macronoſema, ſeu morbum nimis prorogandum, præſagit. *lib. II. de dynamid.*

(92) Sedimentum *farinaceum* ſemper damnandum; aliquando autem criticum exſiſtens probatur.

(93) *Spumoſæ* vrinæ in febrium *principiis* malum habentur ſignum, quia motus in humoribus *præcipiti* conatu ſuſceptos adeoque minus ſalutares indicant.

(94) *Spuma* vrinarum, in morbi interdum *augmento* adparens, minus mala iudicatur a *Fieno*, eo quod naturæ laborem in humores deſignet.

(95) *Bullæ rubeæ* ſynochum aut cauſum demonſtrant. *Rhenanus cap. IX. 41.*

(96) *Circulus viridis* in acutis phreneſin; in phreneſi autem mortem prænunciat.

(97) *Spumoſæ* vrinæ ſiue ob colliquationem, ſiue quam-

dam perturbationem tales, vtroque modo ad conuulſionem ſuſpectæ. *Galenus comm. III. in prædict. Hipp. I. f. 63.*

(98) *Circulus oleoſus*, vitro tenaciter adhærens, hecticæ humorum colliquationis & mali euentus ſignum eſt.

(99) Vrina, quæ veluti *florem vini* ſupernatantem habuerit, phrenitin aut paraçopen venturam oſtendit. *lib. II. de dynamid. f. 120.*

(100) *Pili*, ſeu quidquid ſub hac forma in vrinis ſubinde compareт, *Hippocrates* quidem de renibus excerni pronunciauit; verum eiusmodi contenta interdum in febribus petechialibus aliisque morbis malignis fuere conſpecta, & raro alium, quam funeſtum prænunciarunt euentum. *Conf. A. O. Gœlicke diſſ. de Sedimentis vrinarum* §. *XIV. Francof. 1727.*

2) *In aliis Morbis.*

(1) Iubet quidem *Galenus lib. III. de criſibus cap. III.* vrinas, vbi febris adfuerit, præcipue inſpiciendas; ſed eodem in loco ſimul ſuadet lotii obſeruationem in aliis pathematibus: licet ſumta inde præſagia tantæ certitudinis non ſint, quantæ eſſe poſſint in febribus, quando *cruditas* vel *coctio* determinanda eſt.

(2) Vrinæ præter conſuetudinem *tenues* & *crudæ* absque repletione, in morbo comitiali obnoxiis, morbi inſultum denunciant, idque præcipue, ſi in ſummum humerum, aut ceruicem, aut dorſum dolor, aut conuulſio incedat, aut torpor totum corpus occupet, aut turbulentum inſomnium viſum fuerit. *Coac. 599.*

(3) Vrina *tenuis*, aquoſa, ſplendens, primo & per ſe malam in hepate concoctionem & cruditatem indicat; ſed *tenuis*, aquoſa, ſplendoris expers & parum turbida, quæ pauca, cum difficultate redditur, cum ſignis conſonis, renum a calculo obſtructionem deſignat.

(4) Vri-

(4) Vrina *tenuis*, admodum pallida, primarum viarum vitium & proſtratum adpetitum nunciat.

(5) Vrina *tenuis*, aquoſa, turbide palleſcens, præter digeſtionis ataxiam, non raro hepatis & glandularum meſaraicarum vitia prodit.

(6) Vrinæ *tenues* & albæ, ſine vllis contentis, peſſimæ concoctionis & magnæ cruditatis ſignum conſtituunt. *Fienus.*

(7) Vrina *tenuis*, pallida, virideſcens & pauca, cachexiam adeoque hepar male adfectum præmonſtrat.

(8) Vrina *tenuis*, pallida, minus diaphana, aliquando flocculenta, in qua ſpuma diutius perſeuerat, catarrhi exſiſtit index; coloratior autem craſſiorque reddita, pathematis augmentum arguit.

(9) Vrina *tenuis* & aquoſa in ſubiectis, nephritide alias vexatis, nouæ inuaſionis habetur prænuncia.

(10) Vrina *craſſa*, & interdum chyloſa, redditur ab atrophicis; quandoque tamen in his ipſis ſubiectis tenuem, pallidam & turbidam videre contingit.

(11) Vrina *craſſa*, purpurea, turbida, in qua, quod ſubſidet, grumoſum ſanguinem refert, & ſupra-natantem humorem fuſcum habet, læſa in renibus vaſa indicat.

(12) Vrina *craſſa*, turbide flaua, ſæpe ventriculi aliorumque viſcerum, depurationi dicatorum, morbos patefacit.

(13) Vrina in hydrope quo *craſſior* eſt ac rubicundior, eo minorem reualeſcendi ſpem relinquit; quia hecticæ complicatæ indicium eſt. *Conſpect. med. p. 714.*

(14) Vrina *craſſa*, lixiuioſa, quæ ſimul hypoſtaſin multam ac limoſam oſtendit, in hydrope perniciem minatur.

(15) In deficientis vrinæ vitiis, a ſpaſtica renum conſtrictione ortis, vrina ordinarie tenuioris conſiſtentiæ deprehenditur; non numquam tamen in iſchuriæ malo *craſſam* & *obſcure flauam* videre contingit, cum ſedimento craſſo.

(16) Vri-

(16) Vrina mulierum *craſſa*, turbida, ad nigredinem accedens, & furfuraceam hypoſtaſin dimittens, malum hyſtericum exacerbatum nunciat.

(17) Vrina *craſſa*, turbide rutilans, fœtida, quæ poſt agitationem ſpumam flaueſcentem efformat, floccosque ac decolor ſedimentum, icterum nigrum pernicioſum denunciat.

(18) Quibus ſperatur aliquid ad articulos abſceſſurum, vrina copioſa & *craſſa* & alba reddita, abſceſſu liberat. *Aphoriſ. IV. 73.*

(19) Vrina *turbida*, certum colorem non referens, a mulieribus reddita, ſi ſimul pallida fuerit, menſtrui fluxus ataxias arguit. Verum quemadmodum in aliis morbis vrina reſpectu conſiſtentiæ & coloris variat: (collatis *num.* 10. 15.) ita & hic ſaturate citrina & flocculenta in eodem adparere ſolet malo.

(20) Vrina *turbida* & *pallida*, quaſi lutulenta, cum ſedimento mucido & fæculento, in mulieribus tormina flatulenta; in iuniore autem ætate alui fluxum, torminibus ſtipatum, manifeſtat.

(21) Vrina *turbida*, *lateritia*, *lutulenta* plurium fœdorum pathematum index exſiſtit. Hinc neceſſe eſt, vt ſignum hoc ambiguum cum reliquis ſignis conferatur; ſiquidem ſcabie, ſcorbuto, vlceribus refractariis, lue venerea & fluore albo vexatis, familiaris obſeruatur.

(22) Vrina *pallida*, ſpumam poſt refrigerationem ſeruans, ſtatum prodit catarrhalem.

(23) Vrina *pallida* quæ ſpumas & floccos oſtendit, ſubinde etiam a phthiſicis reddi ſolet.

(24) Vrina *pallida* in ætate conſiſtente, præter cruditatum in primis viis copiam, nonnumquam apoplexiæ prodromus habetur, in primis in plethoricis.

(25) Vrina *pallida* & aliquantum flaua nubeculam flocculentam & pinguem gerens cuticulam, phthiſin nunciat; quæ

quæ vero ſimul ſpumam oſtendit eamque diutius ſeruat tuſſim complicatam, æſtum & pectoris anguſtationes prodit.

(26) Vrina mulierum *pallida*, ſimul turbida, parcius effluens, in qua flocculi quidem conſpiciuntur, ſed hypoſtaſis deeſt, non raro nimiam ſanguinis iacturam per menſes, lochia, aut alias vteri hæmorrhagias arguit.

(27) Vrina *alba* & *aquoſa* in diuturnis morbis perſeuerans, non ſecuram iudicationem facit. *Coac. 576.*

(28) Vrina *alba* cum arena, lapidem veſicæ denotat.

(29) Vrina *alba* & craſſa ob ſemen admixtum ſæpe in gonorrhœa conſpicitur.

(30) *Alba* vero & craſſa, mucoſa, floccos ſquamasque præ ſe ferens, in qua, quod ſtatim ſubſidet, lotio minus exacte commixtum eſt, materiam non raro purulentam indicat, ex vlcere renum aut veſicæ manantem.

(31) Vrina *alba*, *craſſa*, *pituitoſa*, ſubinde cruditatem & malam coctionem deſignat; ſed, vt pridem obſeruatum eſt, minus certe; cum & alia indicare ſoleat pathemata. Vnde plus tribuunt in his vitiis declarandis vrinæ *n.3.* recenſitæ.

(32) Vrina *alba*, cum circulo liuido, obſtructionem cerebri & caducum oſtendit. *Rhenanus.*

(33) Vrina *citrina*, ſanæ ſimilior, morbum generatim chronicum prodit; ſpeciatim vero in glandularum indurationibus, malis ſpaſticis, & ſubinde in hydrope incipiente & cachexia conſpicitur.

(34) *Saturate citrina* ſæpe hypochondriacæ & ſpleneticæ paſſionis eſt indicium. Quo autem limpidior effluit, eo maiorem mali exacerbationem & auctiorem in illa regione ſtricturam nunciat. *Conſp. med. p. 327.*

(35) *Intenſe citrina* & in rubeſcentem vergens, ſpumam & floccos minutos oſtentans, malum phthiſeos ſtatum monſtrat.

(36) Vrina *citrina* ac propemodum rutilans, diaphana & ſpumans, quæ poſthac ſedimentum roſeum deponit, rheumatis adfligentis præbet indicium. In hac limpiditas continuans mali augmentum, coloris autem turbatio, cum hypoſtaſi, eiusdem decrementum adnunciat.

(37) Vrina *citrina,* diaphana, puncturas in meſeraicis notat. *Rhenanus cap. IV. n. 4.*

(38) Vrina *citrina,* limpida & vini colorem æmulans cum pauca hypoſtaſi roſea & flocculis, motus hæmorrhoidales in ætate florente virili prænunciat.

(39) Vrina mulierum *obſcure citrina,* paululum turbida, & ad rubrum æque obſcurum declinans, hyſtericam paſſionem & ſubinde fluorem album benignum arguit.

(40) Vrina *ſature citrina,* quæ depoſito ſedimento roſeo turbida perſeuerat, varias circa venam portæ motuum anomalias deſignat.

(41) Vrina virorum *citrina,* quæ ramenta mucilaginoſa & hypoſtaſin craſſam, turbide flauam, oſtendit, plerumque gonorrhœæ indicium eſt.

(42) Vrina ſanorum *citrina,* pelliculam pinguem & ſedimentum albicans flocculentum dimittens, factæ excretionis genituræ ſignum eſt, ac in plethoricis voluptuoſioribus ſæpe obſeruatur.

(43) Vrina *aurantia,* craſſa, pauca, cum ſedimento ſubmucido, roſeo, ſpiſſo interdum & graui, hepatis ſcirrhum adeſſe præmonſtrat, *Conſp. med. p. 357.* Sæpe vero cuticula pingui tecta & graueolens hecticam manifeſtat. *ib. p. 569.*

(44) Vrina *aurantia,* propemodum rubicunda, valde craſſa & aliquantum tenebricoſa, cum ſedimento pauco, dolorum chiragrico-podagricorum exacerbationem prodit. Vbi autem diutius continuarunt, ſedimentum roſeum, craſſum ſubmucidumque deponit, & vitri lateribus æque ac fundo granula, aurantii coloris, copio-

copioſe adfigit. Aliquando & hypochondriaci ac nephritidem patientes ſimilem emingunt.

(45) Vrina *obſolete aurantia*, craſſa, cum ſedimento ſquamoſo, ardorem vrinæ iſchureticum cum dolore lumborum indicat.

(46) Vrina *crocea*, linteamenta & vitrum flauedine tingens, ſpumam præterea & ſubinde hypoſtaſin flaueſcentem oſtentans, icteri flaui vel ingruentis vel adfligentis nuncia eſt.

(47) Vrina *pallide rubra*, craſſa & pauca, ſtaſeos ſalſo-mucidæ lymphæ hydropicæ ſignum eſt. *Nenter.*

(48) Vrina *rubea* cum circulo alterius coloris morbum iuxta vmbilicum oſtendit. *Rhenanus cap. X. 17.*

(49) Vrina *rubea* cum ſedimine albo menſtruum fluxum portendit; cum rubro autem eius retentionem indicat. *Idem.*

(50) Vrina *rutilans*, ſpumea, ſubturbida ſubinde cuticulam referens, motus congeſtorios ad pectus directos, ſpeciatim pleuriſeos ac peripneumoniæ adflictionem prodit.

(51) *Rutilans pellucida*, quæ cryſtallos tartari ad vitri latera deponit, in pluribus ſubiectis hypochondriacum malum aut arthritidis cruciatus nunciat. Aliquando autem vbi ſimul turbida ſpumansque exſtiterit, crebræ palpitationis cordis ſignum exhibet.

(52) Vrina ex ſanguinis admixtione *rubra* ſeu *cruenta*, ſimilem deponens hypoſtaſin, renum ac veſicæ læſionem arguit: non raro etiam diureticorum incongruam adplicationem conſequitur.

(53) Qui ſponte ſanguinem cum vrina effundunt, iis in renibus venulam eſſe ruptam ſignificat. *Hippocrat. aph. IV. 77.*

(54) Si quis *ſanguinem* & *grumos* cum vrina fundat, & ſtranguriam

guriam habeat, dolorque in hypogaſtrium incidat; tunc ea, quæ ad veſicam attinent, laborant *Aph. IV. 79.*

(55) Vrina mulieris ſanæ *cruenta*, menſes fluentes monſtrat.

(56) Cum vrina *floridus ſanguis* emiſſus, ſine dolore aliisque nephritidem indicantibus ſignis, mictum cruentum ex hæmorrhoidum ſuppreſſione nunciat.

(57) Vrina varie ac *lutulente diſcolor, fuſca, cereuiſiaria,* variorum morborum chronicorum index eſt. In his enim ſcorbutum, cacochymiam; in aliis malum hypochondriacum, hyſtericum, hæmorrhoidum turbas & melancholiam ſubinde arguit.

(58) Vrina *cereuiſiaria, nigricans* in iunioribus ſcabiem retropulſam indicat; ſed *fuſca* & tenuis cum ſedimento furfuraceo in fluore nonnumquam albo obſeruari ſolet.

(59) Vrinæ *cineritiæ* cum ſpirandi difficultate aquam inter cutem ſignificant. *Coac. 582.*

(60) Vrina *liuida* in cephalalgia doloris augmentum fieri adnunciat. *Lib. II. de dynamid. ſ. 120.*

(61) Vrinæ *liuidæ, plumbeæ, nigræ*, hypochondriacis confirmatis ſolemnes. Liuida autem talis facta ex vrina prius rubra, pectoris apoſtema arguit.

(62) Vrina præter naturam *pauca* in quouis morbo mala.

(63) Vrina *pauca* vel renum aut ſphincteris veſicæ conſtrictionem portendit, vel ſeri copiam alio directam aut extrauaſatam indicat. Quod ſi venter aut pedes in hoc ſtatu intumeſcant, hydropem imminere præſagit.

(64) Aqua inter cutem laboranti cum febre, vrina *pauca* & conturbata perniciem denotat. *Coac. 456.*

(65) Vrinæ *paucitas* non numquam ſeri defectum; ſubinde vero nimiam eius viſciditatem prodit.

(66) Vrina *pauca* & *aquoſa* in calculoſis ſub initium; *rutilans* cum crebro mingendi conatu, in mali augmento effluit; *turbida* autem facta, ac ramentis referta, paroxyſmi ſolutionem prænunciat.

(67) Vri-

(67) Vrinæ *ſtillicidium*, vel plenaria *ſuppreſſio*, cum ſubito dolore nephritico, ſæpe calculum renum præmonſtrat. Sed dolor in imo ventre ſimul adfligens, de calculo veſicæ vrethram obſtruente, teſtari ſolet. Simplex *ſtillicidium* tranſiens habenda eſt ſtranguria.

(68) Vrinæ *ſuppreſſionem* non raro mucus, vreteres obuiſcans, excitat.

(69) Vrina *ſupreſſa*, quando diuturnam eius retentionem excipit, omnimode perniciosa eſt.

(70) *Veſica intercepta*, præſertim cum capitis dolore, conuulſionem minatur. Quæ in his cum torporis ſenſu exſoluuntur, moleſtiam exhibent, non tamen perniciem adferunt. Videndum, num tale quid etiam mentem excutiat. *Prorrh. I. 120.*

(71) *Vrinæ interceptiones* ex perfrictione peſſimæ. *Coac. 5.*

(72) Vrinæ, quæ cum rigore *reſtitarunt*, malum & conuulſionem denunciant; tum vero præcipue, ſi antea alto ſopore æger detentus fuerit. In his autem abſceſſum ad aures ſperare oportet. *Coac. 25.*

(73) In hydrope ſicco vrina *ſtillatim* effluens malum denunciat. Mala quoque eſt, quæ exigua habet ſedimenta *Coac. 453.*

(74) Pertinax vrinæ *ſuppreſſio* vel hydropem vel mortem portendit: accedente teneſmo lethale.

(75) Vrina *multa*, *aquoſa*, *ſubdulcis*, diabetis index eſt; crudam vero hypoſtaſin habens, anaſarcam aut hydropem monſtrat.

(76) Vrina *multa* eſt poſt eius ſuppreſſionem plerumque ſalutaris. Aliquando autem nec leuat, nec ſaluti eſt.

(77) Vrina *multa* in ſubiectis macilentis ominoſa. Facile enim ad hecticam inuitare poteſt cataſtrophen.

(78) Vrina valde *mucoſa* læſam vlceratamque veſicam indicat.

(79) Vrina *mucoſa* & *cruenta* vlceroſam renibus ineſſe labem confirmat.

(80) Vrina, *materia ſpiſſiore* referta, vel mucum, vel pus continet. Quod ſtatim fundum petit, *mucus* eſt; quod tardius, *pus*; quod vero ſuſpenſum hæret, *ſemen* iudicabitur. *Nenter.*

(81) Quibus inferiores partes male adficiuntur, vehementibus pruritibus prius obortis, iis vrina *ſabuloſa* fit & ſubſiſtit. At qui pernicioſe habent, iis mens obtorpeſcit. *Coac. 488.*

(82) *Arenulæ* aliquando ſunt *albæ*; aliquando *rubræ*; illæ genitæ creduntur in veſica, hæ in renibus. Incertum tamen ſignum eſſe, a loco generationis deſumtum, pridem obſeruarunt Semeiologi.

(83) *Sabulum rubens*, cito fundum petens, calculum renalem monſtrat. *Aph. IV. 78.*

(84) *Sedimentum album, cretaceum*, terreſtris portionis in humoribus crudæ ac abundantis index habetur, & illis, qui veſicæ calculo laborant, familiare.

(85) Quibus cum vrina craſſa *furfuri* ſimilia quædam ſimul exeunt, iis veſica *pſora* laborat. *Aph. IV. 76.*

(86) Si quis *ſanguinem* & *pus* & *ſquamulas* cum vrina fundat, grauisque odor adſit, veſicæ vlcerationem ſignificat. *Aph. IV. 80.*

(87) *Sedimentum album*, in vrina craſſa ſubſidens, articulorum dolorem aut tumorem denunciat. *Hippocrat. lib. II. prorrh. ſ. 69.*

(88) *Sedimentum* vrina *rubicundius* vehementes ſtomachi dolores decernit. *Rhenanus cap. III. 18.*

(89) *Orobeum ſedimen*, in mulieris vrina conſpectum, non numquam menſium retentionem; *nigrum* vero eorum ſuperfluitatem indicat. *Rhen. cap. III. 24.*

(90) Sedimentum *cruentum*, *grumoſum* in mulieris vrina, menſes tum fluentes deſignat.

(91) *Sedimentum* in vrina rubicunda, neque *album*, neque *rubrum*, malum iſchiadicum præſagit. *Rhen. cap. X. 20.*

(92) Fe-

(92) Femoris dolore euaneſcente, ſi quid *ſublime* per vrinam innatet, mentis emotionem exſpectare oportet, & talia, qualia circa aurium ſonitus contingunt. *Prorrh. I. 37.*

(93) Ceruicis & dorſi perfrictiones, & quæ totum corpus videntur pertingere, inſuper & *ſpumantes* mictiones, cum animi deliquio, & oculorum hebetatio, conuulſionem in proximo eſſe ſignificant. *Prorrh. I. 113.*

(94) In ſpuma vrinæ ſi *granula* fuerint, paralyſin portendunt; & quanto fuerint minora, tanto certius malum minantur. *Rhenanus. Nenter.*

(95) *Circulus venetus, nigricans* aut *diſcolor*, iridem quaſi æmulans, notam conſtituit morbi caduci grauiſſimi. *Rhenanus.*

(96) *Circulus viridis* in ſuffocatione matricis, mortis eſt prænuncius *Idem.*

(97) Circulus *ſubrubeus* aut *purpureus* deſignat multum ſanguinis in capite abundare; vnde venarum impletio & dolor iuxta tempora, vt etiam atomos ante oculos volitare putent. *Idem.*

(98) Circulus *cæleſtini* coloris eſt mulieribus proprius, & arguit putrefactionem matricis ad lepram tendentem. *Idem.*

(99) Circulus *ſpumeus albicans* in vrina vinea, abundantiam humorum oſtendit. *Idem.*

(100) Circulus *dimidiatus* in alterutro latere paralyſin adnunciat. *Idem.*

(101) Circulus *ſpiſſus, rubens* aut *lateritius* lethargum præſentem aut adpropinquantem denotat. *Idem.*

(102) *Alcola* ſeu *puluis in circulo* morbum chronicum; in vrinæ autem muliebri ſuperſtans, imprægnationem ſignificat. *Idem.*

(103) Circulus *tremulus* eſt prognoſis apoplexiæ. *Idem.*

(104) *Spuma*, ex maioribus ampullis conſtituta, ſignum eſt cor-

corporis plethorici, quamuis ſubiectum in præſenti nullo morbo ſit obnoxium. At *bulla* in renum morbis longum fore malum ſignificat. *Aph. VII. 34.*

(105) *Spuma flaua* vel *viridis* icteritiam flauam; *nigra* nigram indicat.

(106) *Spuma*, ob grauitatem *fundum petens*, termorem aut incubum præſagit.

(107) *Bullæ cæruleæ* lepræ ſunt indicium.

(108) Vrina quo *ponderoſior* exſiſtit, eo maius periculum in omni morbo portendit. *Vid. S.S.D. Relat. curioſ. de Vr.*

(109) Vrina *multicolor*, ſuperius clarior, inferius ſpiſſior & ſanguinolenta, poſt duriora verbera fere adparere ſolet.

(110) *Vermes*, cum vrina excreti, ſordidi vlceris verminoſi in renibus aut veſica præbent indicium.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Quod olim *Corn. Celſus lib. III. cap. VI.* ſtatuit de *pulſu*, id hodie non pauci ad *vrinam* adplicant, adſerentes: hanc pariter ſignum eſſe maxime ambiguum, nihilo certius pulſu fallaci. Argumenta, quæ adferunt, ſunt ſequentia:

1) Certi nihil ex ſola vrina concludi poteſt, nec vera dantur ſigna diagnoſtica, vrinam maſculi a feminarum lotio tuto diſcernentia.

2) Vrina v. g. cholerici, vndique ſani, facile imponere poteſt, vt vroſcopus febrem ardentem ſubeſſe credat, aliisque callide ipſum tentantibus deriſui fiat.

3) Varia quoque partim per reſpirationem humoribus inſinuata, partim per os adſumta, malam vrinæ qualitatem conciliare poſſunt. Sic peſſimum inducere ſolet colorem *caſſia*, quia nigræ poſt eius adſumtionem mingi obſeruantur vrinæ. Exemplum præterea præbuit ſtudioſus quidam Lipſienſis qui poſt pirorum fracidorum eſum & cereuiſiæ (Raſtrum) largam ingurgitationem *nigrum* emiſit lotium, ſine vllo ſanitatis detrimento. *Conf. Herm. Paul. Iuchii Diſſ. de am-*

de ambiguitate vroſcopiæ cap. I. §. VI. Erford. 1732. Pet. Foreſtus de incerto ac fallaci vrinarum iudicio lib. II. f. 320.

4) Certa morbi ſpecies ex vrina cognoſci nequit. Plures enim morbi chronici eamdem, reſpectu coloris & ſedimenti, oſtendere ſolent vrinam, quod exemplo lixiuioſæ potiſſimum probatur, quæ aliquando ab acute febrientibus emittitur, ſæpius vero in ſcorbuticis & hypochondriacis obſeruatur.

5) Multo minus cauſſæ ex illis innoteſcunt. Nam præſens v. g. renum exulceratio ex ſedimentis cruentis ac purulentis quidem percipitur, ſed cauſſam factæ læſionis ex vrina nemo hariolabitur. Immo ſi cauſſa vel maxime nota ſit; vrina tamen tot fallaces mutationes & captioſa quaſi oſtendit phænomena, vt in vtramque partem omnino præſagire liceat, interim minus exſpectata plerumque eueniant.

6) In periculoſis morbis ſæpe plurimum fallit, in ſtatu autem tolerabili, neſcio quam ſubinde portendit perniciem. Refert caſum *Th. Mermannus* de viro quodam, cui hepatis ſubſtantia pæne tota abſumta ipſiusque loco putrilago ac purulentia, tamquam ſacco incluſa, inuenta ſit. De huius vrina porro obſeruat, eam pro ratione lethalis morbi adeo vitioſam non fuiſſe, addita epicriſi: *coniecturam ex ſolis vrinis factam*, teſtante hac hiſtoria, *eſſe per quam fallacem. Vid. Io. Schenckii Obſ. lib. III. f. m. 411. edit. Francof. 1665.* Quanta inſuper glaucomata in febribus ſæpe malignis vrina excitet, practicos non fugit; hinc etiam ſanam in his morbis pro peſſima habere aſſolent.

7) Ex vroſcopiæ & vromantiæ pruritu res medica hoc accepit detrimenti, vt præconceptæ opiniones & imaginariæ hypotheſes de humorum ſaporibus & partibus, vt vocant, conſtitutiuis, per inſtitutas docimaſias vrinarum fallaces & claudicantes, ac inde formatas opinioſorum concluſiones adhuc magis firmarentur, & ipſam denique phyſiologiam ac pathologiam non modo fœdarent, ſed ipſam quo-

que therapiam, incongruas indicationes ſuggerendo, turbarent,

8) Ceterum vti quidam offenduntur, quorum pulſus in ſtatu ſano perpetuo aliquid præternaturalis refert: ita pariter occurrunt, qui ſemper vrinam mingunt reſpectu coloris morbidam. Quid iam decernet vroſcopus, ſi oblatum eiusmodi hominis videat lotium? Inter regulas autem vroſcopiæ hæc quoque relata eſt, vt diuinator, niſi errare velit, vrinam ſubiecti, qualis in ſtatu ſecundum naturam emitti ſoleat, prius habeat perſpectam, quam de morboſo veſicæ latice prænunciet; ſecundum *Hippocrat. Aphoriſ. VII. 68. Quæ per veſicam exernuntur ſpectare oportet, an ſint, qualia ſanis ſubeunt. Nam quæ his minime ſunt ſimilia, ea morboſiora, quæ vero ſanis ſimilia, minus morboſa.* Atqui vrinæ offeruntur hominum, de quorum exſiſtentia ne quidem conſtitit; quomodo ergo debite & ad veritatis amuſſim officio & deſiderio faciet ſatis, cum ne videre quidem ægrotum contingat.

9) Ad hæc omnia porro accedunt tot quæritantium malitioſæ technæ & fraudes, quibus dexteritatem Medici tentare ſatagunt maleuoli, vt vel propter has ſolas, vromantiæ prorſus valedicendum videatur. Iam enim vrina pecorum mittitur, iam coloribus infucatur, aqua miſcetur, ſordes iniiciuntur & ſimilia; vt alia de abuſu, quem ignari & lucro inhiantes impoſtores exercent, prolixe non attingamus. Hi enim ſunt, qui in rei medicæ ignominiam vroſcopia abutuntur, eamque eo loco habent, vt *Ammannus* loquitur, quo Pontificii ſuum purgatorium. Vti enim hoc religioni exiſtimationem & ſacrificulis diuitias auget: ita vroſcopia crumenis conducit.

2. Aliis contra & *vtilis & neceſſaria* habetur. Sed hi nimia ducti credulitate, & inueteratæ opinionis auctoritate, talia ſtatuunt, innitentes experientiis & hiſtoriolis ſingularibus, non quidem in dubium vocandis, attamen digne diiudicandis. Quod enim paſſim ſe offerant homines plebeii, qui

ex vri-

ex vrina ad ſciſcitantium admirationem dicere valeant, ægrotantis morbum, ſexum, ætatem, prænomen, veſtes, crines, numerum liberorum, ſtatum viduitatis, cælibatus, paupertatem, diuitias, delicta commiſſa, futuram felicitatem, aduerſa fata ac ſimilia, id quidem non inficiamur, ſed hoc pernegamus, iſta omnia adparere in lotio, aut ex ſimplici vroſcopia innoteſcere. Si enim fieri hoc poſſet, certique eſſent nexus naturales inter vrinam & eiusmodi prædictiones, Medicus quisque, quo eſſet doctior, eo felicius & adcuratius ſingula, tam ad morbum, quam morales circumſtantias attinentia, prænunciare valeret. Cum vero hoc minus fiat, & celeberrimi vromantæ plerumque ſint homines rudiores, opiliones, agyrtæ, veſpillones, carnifices, vetulæ, & varii ex ſentina plebis excuſſi: tum res ipſa loquitur, niſi forte verſutior interceſſerit expiſcatio; aliud ſuſpectum ſubeſſe artificium.

3. Sunt inſuper alii, qui, vbi de vroſcopiæ neceſſitate ac vtilitate decernendum eſt, *mediam viam* tenere malunt, ſtatuentes

1) Vſum prognoſticum *præcipuum* eſſe in diiudicanda ſeceſſione febrili, vel, vt veteres enunciant, coctione.

2) *Proximum* hinc eſſe in ictero, hydrope, calculo renum, mictu cruento, vlceroſa renum & veſicæ conſtitutione.

3) *Minorem* in morbis pectoris, malo hypochondriaco, hyſterico & ſimilibus.

4) *Minimum* in capitis pathematibus.

5) *Nullum* in læſionibus partium ſolidarum & organicarum, quatenus talium. *Conf. Stahlii Diſſert. de Vromantiæ & vroſcopiæ abuſu tollendo. Frid. Hoffmanni med. rat. ſyſt. tom. I. p. 218.*

4. Quid præterea de vniuerſo hoc negotio ſentiendum ſit, in tironum gratiam paucis complectemur aphoriſmis:

1) Nemo vir cognitæ ac nihil controuerſæ probitatis ad noſtram notitiam peruenit, qui vromantiæ illius famoſæ atque empiricæ vſu inclaruiſſet. Quæ res non leuem ſuſpicio-

ſpicionem adfert, negotium vromanticum longe alio niti fundamento, quam lotii coloribus & contentis.

2) Vromantæ plebeii duplicis dantur generis:

(1) Aliqui impudentibus mendaciis & abſurdis fictionibus ignorantiam ſtatim produnt, omnemque fidem apud quosuis omittunt. Et iſti ſunt propudioſi, impoſtores, crumeniſecis nihilo meliores. *Vid. Pet. Foreſt. loc. cit. lib. II. cap. III.* *Thom. Brian* Engliſcher Wahrſager aus dem Urin Glaſe, darinnen nun allererſt die betrüglichen Stücklein und Augenverblendungen entdeckt ſind, deren ſich alle diejenige gebrauchet haben, welche vorgegeben, daß ſie die Kranckheiten aus dem Waſſer erkannt und von denſelben daraus ein Urtheil gefället haben. Hamburg 1703. *S.S.D. Relationes curioſ. de ſigno phyſico Vrina. Gothæ 1703.*

(2) Alii contra de morbo aliisque rebus exquiſite pronunciant. Ex hi a ſuſpicione magiæ vetitæ liberari vix poſſunt.

3) Ex his ſponte fluit: non dari vromantiam, quæ ex nuda lotii inſpectione de quouis morbo ſpecialiſſime pronunciare, nedum allotria diſtincte de ægri perſona & re familiari enarrare queat.

4) Et quia talis non datur: cum vroſcopia medica confundenda non eſt, multo minus Medici experientia & dexteritas ex *vromantia* ſeu diuinandi peritia æſtimanda erit.

5) *Vroſcopiæ* vſus non eſt vniuerſalis; nam ad omnes morbos ſe non extendit; neque de toto morbo, ſed de peculiari tantum febris acutæ conditione aliquid nunciat. *Conf. Stahlii diſſ. de periodis acutarum ſine criſeos euentu exquiſitis;* vbi vroſcopiam hoc nomine commendat.

6) Vſus ergo, qui vulgo creditur maximus, reuera intra arctiores continetur limites.

7) Huic-

7) Huicce vroſcopiæ medicæ, reſpectu vtilitatis exiguæ, quia fraudulentæ & empiricæ vromantiæ, a plebe tantopere æſtimatæ, patrocinari videtur, aliquamdiu renunciandum, ipſaque vromantia ſerio coërcenda eſt, vt melius inſtruantur eorum animi, qui hactenus multum tribuerunt diuinationibus ex matula.

8) Hac ratione plus emolumenti in rem medicam & ipſum genus humanum redundabit, quam ex inauſpicata vromantiæ tolerantia. Minus enim conducit magnum abuſum tolerare, ob exiguum aliquem vſum.

9) Quod ſi tandem de vroſcopiæ quæratur *neceſſitate*, confitendum eſt, eam ad ſanandos morbos abſolute non requiri; quia ex aliis ſignis ſufficienter cognoſci & feliciter curari poſſunt, tametſi lotium numquam adſpexerit Medicus. *Conf. Stahlii diſſ. cit. §. XVII.*

10) Præterea veterum quoque praxis confirmat, vroſcopiam, quæ hodie inualuit, non eſſe ſimpliciter neceſſariam. Tanti enim nuſquam hoc artificium faciunt, quanti vulgo fieri ſolet: fundamentum autem iecerunt Arabum laudationes; ad faſtigium perduxit nugax Paracelſiſtarum vromantica ſuperſtitio & fumiuendula multorum experimenta chymico-vromantica & telomantica; coronidem vero impoſuit mobilis vulgi credulitas; exiſtimationem tandem ad hoc vſque tempus ſuſtinuit auctoritatis & traditionis præiudicium nouiſſimæque hiſtoriolæ de admirandis quorumdam plebeiorum artificum diuinationibus ex matella. *Conf. Euricii Cordi de abuſu vroſcopiæ concluſiones earumdemque enarrationes, aduerſus mendaciſſimos errones medicaſtros, qui imperitam plebeculam vana ſua vroſcopia & medicatione, miſere vita & bonis ſpoliant. Francof. 1546. Frid. Schraderi de ſignis med. Exercit. II. §. VI. Helmſt. 1700.*

5. His expeditis, paucis dicendum, quomodo vroſcopia ab vrologia & vromantia diſtinguenda ſit, ne tirones græcorum ignari, rerum ideas inter ſe confundant:

1) *Vrologia* denotat doctrinam de vrinæ origine, materia, partibus conſtituentibus ac omnibus accidentibus, ope ſenſuum explorandis, item de variis productis & experimentis chymico-ſtatico-phyſicis.

2) *Vroſcopia* eſt vrinæ inſpectio. Das Waſſer beſehen.

3) *Vromantiæ* autem nomine intelligitur potiſſimum, præſentia & futura in morbis ex vrina prædicendi habitus, quem aliter Medici rationales, aliter vulgus exercet, & vroſcopiam ſub ſe comprehendit.

6. Quemadmodum recentiorum curioſitas *vrologiam* citra neceſſitatem prolixam reddidit: ita ſuperiorum ſæculorum erronea theoria multa interſperſit fabuloſa & inutilia, quando v. g. iubet vt in vrina obſeruentur

1) *Odores*

(1) *Salis* crudi, arſenicalis, ſpirituum.

(2) *Sulphuris* picei, oleoſi, vulgaris.

(3) *Mercurii* carnium, herbarum.

2) *Sapores.*

3) *Colores*, de quorum cauſſis ſynecticis ſeu *continentibus* ſupra modum prolixæ exſtant diſputationes & contentiones, in vtramque partem factas. Quoniam vero iſthæc ſingula ad vſum practicum, ob ſterilitatem, nihil conferunt, fuſiori recenſione digna non iudicamus.

4) Vrina ſingularium partium, v. g. *cerebri* alba, *pulmonis* vinea, *fellis* flaua, vinea, ſpumoſa, *lienis* ſpadicea, ſpumoſa, *inteſtinorum, renum, ligamentorum*, alcola ſeu atomis referta, tremula aliaque huius commatis plura.

7. Reſtat, vt aliquid dicamus de illis artificiis, quæ per quæſtiones expedienda iubent illi, qui vrinas, ab ignotis ſibi miſſas, accipiunt luſtrandas, ante quam prædictiones formentur vromanticæ. Volunt nimirum, vt conſtet

1) Cuius

1) Cuius ſexus ac ætatis perſona ſit?
2) Vtrum lecto detineatur?
3) Quamdiu cum morbo conflictetur?
4) An vires ſibi conſtent?
5) Quomodo ingerat, digerat, egerat?
6) Speciatim multumne an parum ſudet, mingat, vomat, aluumque deiiciat?
7) Vtrum bene dormiat, vel micrypnia aut agrypnia vexetur?
8) Quantum æſtus ac ſitis vrgeant?
9) Numquid alterutrum latus doleat, aut tuſſis adfligat?
10) Vtrum pedes vel abdomen tumeant?
11) Vtrum alias valetudinarius fuerit?
12) Quo in ſtatu hæmorrhagiarum naturalium negotium ſit, ſiue hæmorrhagias narium & hæmorrhoides, ſiue menſes reſpiciamus?
13) Quod vitæ genus exerceat?
14) Quibus iam vſus ſit medicamentis?

8. Inſuper obſeruanda commendant:
1) reſpectu *vrinæ*, vt
(1) non excipiatur, quæ vna alteraue hora poſt cœnam, aut aliis horis, quibus concoctio adhuc duret, emiſſa eſt, ſed *matutina.*
(2) in vitro colligatur pellucido, & bene purgato, non admodum humili, ſed mediocris altitudinis.
(3) Sufficiens eius ſit quantitas.
(4) a gelu & calore multum non adficiatur.
(5) In vaſe clauſo, ne plurimum exhalet, contineatur.
(6) Vltra ſex horas non reſeruetur, quia corruptione tentetur.

(7) Me-

(7) Medicum potius exſpectet, quam vt ad illum deferatur. Nam

a) hypoſtaſin, enæorema & nubeculam confundi, & colorem tam vrinæ, quam ſedimenti priſtinum ignorari.

b) Circulum, cui permultum tribuunt, vna cum cuticula plane diſparere, ac turbidum crama ſiſti.

2) reſpectu *Medici*, vt

(1) minutiſſima quæque, ad morbum attinentia, ex ægro aut aliis percontetur.

(2) inſpectionem inſtituat in loco ſereno; non tamen ad radios ſolares, neque ad candelæ lumen, niſi colorem per opticam fallaciam alteratum videre velit.

(3) ſignis aliis ſcite obſeruatis, tandem prænunciet.



TABVLA IX.

DE VOMITV ET ALVINIS DEIECTIONIBVS.

I. **D**EFINITIO.

Vomitus eſt materiarum in ventriculum collectarum ope inuerſæ actionis periſtalticæ per œſophagi, faucium ac oris viam a natura ſuſcepta violenta excretio.

Aluina deiectio eſt colluuiei excrementitiæ in inteſtinis craſſioribus coaceruata per anum eliminatio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Duarum, quas hic ſemeiologice explicandas ſumſimus, excretionum differentia generalis ex ſuppeditatis *definitionibus* ſatis clara eſt. Nam vomitus per guttur ἀνω, aluina autem deiectio κατω contingit.

2. *Vomitus* quamuis, ſecundum veterum loquendi conſuetudinem, a *vomitione* prorſus non differat, ſed promiſcue ac ſynonymice vſurpetur: volunt tamen quidam per illum largam; per hanc autem paucam intelligere emeſin. At *vomiturition* molimen denotat vomendi cum nauſea coniunctum.

3. Generatim vomitus eſſe ſolet

1) vel *expeditus*, qualem in euemetis deprehendimus.

2) vel *læſus*; & is triplici modo differt. Eſt enim

(1) *vacuus*, dum ad vomendum conatus quidem vrgent, nulla autem inſequente emetica excretione.

(2) *laborioſus*, quando inſigni cum moleſtia materia excernitur.

(3) *nimius*, vbi vel materia nimium ſtimulum adfert, vel ipſa natura ex errore pertinacius agit.

4. Speciatim ſunt vomitus vel ſpontanei, vel arte excitati.

1) *Spontanei*

(1) vel *critici*, iique ratione *effectus* morbum

a) Soluentes.

b) Leuantes.

c) Turbantes, quando ideæ morbi non reſpondent, vel pauci ſunt, aut alias excretiones præuertunt.

(2) vel *ſymptomatici*, qui

a) in *acutis* iuſto maturius, nempe in *principio*, obtinente adhuc cruditate, contingunt.

b) *Morbis aliis* ſuperueniunt; vt vomitus in nephritide, tuſſi, capitis vulneribus.

c) *Therapeutici*, qui ſub orthoſtadia eueniunt

α) *Vagi*, v. g. poſt nimiam ventriculi per alimenta onerationem, vel dyſpeptorum, aut inſuetorum adſumtionem.

β) *Periodici*, qui hæmorrhagias naturales non ſuccedentes annuatim ſupplent, ob eamque cauſſam *vicarii* dici merentur. *Conf. Pathol. tab. de morbis primarum viarum.*

2) *Arte*, ſeu per medicamina emetica *excitati*,

(1) tempeſtiue ceſſantes.

(2) pertinacius, immo ad *hyperemeſin* vſque continuantes.

5. Ratione *materiæ*, quæ reiicitur, vomitus obſeruantur

1) *aquoſi*, limpidum ſerum excernentes.

2) *pituitoſi*, viſcidam ſaburram eliminantes.

3) *bilioſi*, colluuiem bilioſam expurgantes.

4) *ſanguinei*, coagulatum cruorem reiicientes.

5. Ra-

6. Ratione *quantitatis* vomitus, quocumque reſpectu conſiderati, eſſe ſolent vel *pauci*, vel *mediocres*, vel *copioſi: materia* autem, quæ in ſingulis reiicitur, differt: nam reſpectu

1) *coloris*, iam alba, flaua, rubens; iam vero nigra aut variegata ſeu diſcolor erit.

2) *conſiſtentiæ*, tenuis, glutinoſa, craſſa, grumoſa.

3) *odoris*, vel acidum ſpirans, vel putredinoſum & cadaueroſum fœtorem ſpargens.

7. *Deiectiones aluinæ* commode itidem diſpeſci poſſunt in *ſpontaneas* & *arte* productas.

1) *Spontaneæ* contingunt

(1) in *ſtatu naturali*

a) quotidie ſemel vel iteratis vicibus.

b) alternis diebus, præcipue in ſiccioribus & vitæ ſedentariæ deditis.

c) poſt plures dies; quemadmodum exempla nota ſunt eorum, qui quouis tantum octiduo & ſerius aluum deiiciunt. *Vid. Phyſiol. tab. de chylo*, vbi de periodo periſtalſeos actum eſt.

d) certis anni temporibus, quo referendæ ſunt diarrhœæ vernales, æſtiuæ, autumnales, hiemales, quas congrue *periodicas* vocaueris.

e) diarrhœæ vagæ, quæ diætæ errores comitantur & plerumque ſenſibilitatem perſonalem pro fundamento habent.

(2) in *ſtatu præternaturali*

a) in *febribus*, vbi notandæ deiectiones

α) *criticæ*, in acutis critico die contingentes, & per ſigna antea prænunciatæ.

β) *ſemicriticæ*, quæ in naturalibus & petechizantibus eueniunt.

γ) *ſymptomaticæ*, quæ purpuræ, morbillis ac variolis ſuperuenientes ancipitem prognoſin ſiſtunt.

δ) *dyſenteriodes.*

b) in *aliis morbis*

α) ſimplices ſeroſo - mucoſæ.

ϐ) bilioſæ ſeu cholericæ.

γ) lientericæ.

δ) hepaticæ.

ε) ictericæ ſeu extraordinarie albicantes.

ζ) ſanguinolentæ & purulentæ.

η) colliquatiuæ.

2) *Arte prouocatæ*, eæque vel copia mediocri ſuccedentes, vel nimia excedentes.

8. Differens tandem ſingularum deiectionum *indoles*, reſpectu coloris, fœtoris, quantitatis, conſiſtentiæ & materiarum, vna cum illis expulſarum, ex ſubnectendis prognoſibus diſtinctius cognoſcetur.

III. *PROGNOSIS.*

1. *Generalis.*

De vomitu.

1) Vomitus perquam eſt vtilis, qui bilem pituitæ quam maxime permixtam habet, ac neque admodum craſſus, neque multus. *Hippocrat. in lib. prænot. f. m. 8.*

2) Sex hibernis menſibus vomitus ciendus, quia tempus hoc plus pituitæ gignit quam æſtiuum, & morbi circa caput & illam regionem, quæ ſupra ſeptum transuerſum eſt, facile excitantur. *Idem lib. de ſalut. vict. rat. f. m. 4.*

3) Vomitio maxime innoxia, quæ pituita & bile permixta eſt, dum ne admodum copioſa ſit. At ſinceriores vomitiones deteriores ſunt. *Viridis* quoque vomitus, & *niger* & *liuidus* vitioſus eſt. Quod ſi omnes colores idem vomat, exitiale. Celerrimum autem exitium indicat *liuidus* & *mali odoris.* Mortem quoque adfert *ruber* vomitus, isque præcipue, ſi cum maiore conatu & dolore contingat. *Coac. 556.*

4) Qui

4) Qui vomituri ſunt, iis antea os crebra ſaliuatione impletur. *Coac. 566.*

5) Qui vomere non poteſt, eum ad vomitus cogere abſurdum. *Galenus de loc. adf. lib. I. cap. IV.*

6) Vomitiones in ſanis, grauatum plerumque cibis ventriculum indicant. *Id. lib. III. de nat. facult. cap. IV.*

7) Stomachum & ventriculum per vomitum; inteſtina vero per inferiores excretiones expurgare oportet. *Id. lib. II. de arte curat. cap. II. Comm. I. in Hipp. de humorib. ſ. 12.* Hæc diſcrete ad modum accipienda ſunt.

8) Ex moderatis nauſeis vomitus ſtatim incidens, bonum; verum ſi poſt conturbationem plurimam & frequentem nihil vomatur, vel prorſus paucum; prauum ſignum eſt. *Id. Comm. III. in prædict. Hipp. ſ. 64.*

9) Pueri ſæpius vomunt, ſæpiusque deiiciunt, quam ætate florentes. *Id. lib. III. de ſymptomat. cauſſis cap. III.*

10) Si cui ſine febre cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, tenebricoſa vertigo & os amarulentum fuerit; hæc neceſſariam eſſe purgationem per ſuperiora indicant. *Aphoriſ. IV. 17.* Hæc indicatio non eſt vniuerſalis, ſed multum expoſcit diſcretionem.

11) Eorum, quæ vomitu reiiciuntur, mutationes, ad deteriora vergentes, vti in omni ſuperuacaneorum genere, damnandæ ſunt. Etſi enim ea propelli bonum ſit: varias tamen corporis adfectiones & naturæ perturbationem magnam ſignificant. *Hipp. lib. II. Epid. ſ. m. 91.* Et *lib. I. prorrhet. 60.* Vomitiones variæ malo ſunt, præſertim ſi continenter & aſſidue prodeunt.

12) Vomitus longas alui deiectiones ſupprimit. *Celſus lib. II. cap. VIII.*

13) Longo alui profluuio detento, ſpontanea accedens vomitio alui profluuium ſoluit. *Aph. VI. 15.*

14) Vomitiones ſinceræ & cum angore ſeu incontinenti corporis iactatione, damnandæ ſunt. *Prorrh. I. 62. Coac. 39.*

De aluinis deiectionibus.

15) *Quotidiana* ſufficiensque alui deiectio, aut pro temperamentorum diuerſitate *alternis diebus* contingens, ſanitati, quemadmodum aliæ inutilium excretiones, egregie velificantur.

16) Ventrem medicamentis celeriter moueri, alias vero *mollia* & *figurata* exercernere, optimum. *Prorrh. II. f. 70.*

17) Alui excrementum in ſtatu *naturali*, reſpectu conſiſtentiæ & coloris variat victus; in *præternaturali* humorum conſtitutio & morbi indoles.

18) Quo craſſior eſt victus & otioſior vitæ ratio, eo impeditius ſuccedit aluus, præſertim ſi potus diluentis ſufficiens quantitas non adſumatur. Victu autem molli vtentibus, tametſi otioſis, aliter euenit. Vnde *Hippocrates lib. II. prorrh. f. m. 68.* Frequentem cibum ſumentibus, ac multum defatigatis, mollem in tranſitu deiectionem ſiccam eſſe oportet, ciborumque ingeſtorum copiam pro defatigationis ratione reſpondere. Sumta autem æquali ciborum copia, his quidem, qui minimum defatigantur, *plurimæ*; his vero, qui plurimum defatigantur, *paucæ* prodeunt; ſi ſani ſint & recta victus ratione vtantur.

19) Diuturna fæcum retentio non vno nomine mala. Nam

(1) malam inducit conſuetudinem, in dies ſegnius aluum deponendi.

(2) occaſionem præbet, vt ſub tali commoratione portio tenuior, fæcibus admixta, a viis tenuioribus reſorbeatur, & maſſam humorum de nouo inquinet. Quo forte reſpexit *Fienus*, qui ſuppreſſam in ſanis aluum ſemper malam eſſe pronunciauit; ſiue vt ſignum, ſiue vt cauſſa conſideretur.

20) Sontica impedimenta, quæ alui deiectiones remorantur, efficaciter ad vomitus diſponunt ſtercoraceos; quod patet in *ileo*.

21) Quanto intentius natura aliis excretionibus operatur, tanto

tanto ſegnius expellit aluinam colluuiem. Hinc in moliminibus hæmorrhagicis, & ſudoris expreſſionem reſpicientibus, aluus aliquamdiu feriatur.

22) Quemadmodum bilis tempeſtiua & proportionata effuſio aluinam excretionem promouet: ita motus vegetus, ſeu negotioſa viuendi ratio, illius expulſionem accelerat; promtius tamen in agilioribus, quam tardis temperamentis.

23) Ciborum portio indigeſta, vna cum fæcibus reiecta, vel debilem digeſtionis vigorem, vel, quod plerumque fit, dyſpepta adſumta fuiſſe indicat; veluti notum eſt de lentibus, lardo, cucumere condito, vuis paſſis, nucleis & corticibus pomorum, pirorum, prunorum & ſimilium.

24) *Fœtor* fæcum in ſanis multum ab adſumtis dependet. Victus enim ſimplex & frugalis minus fœtentes reddit, varius autem & delicatus, vbi multa pinguibus ſulphureis particulis prædita ingeruntur, magis fœtidas efficit.

25) Alui recrementum glutinoſum, ſincerum aut album in *vitio* eſt. *Vitioſum* quoque, quod abunde fermentatum eſt, & aliquantulum pituitoſum. *Prauum* etiam, cum ex his, quæ denſata feruntur, quod ſubſidet, aliquantulum liueſcit, purulentum & bilioſum eſt. *Coac. 604.*

26) Alui recrementum *optimum* eſt molle, conſtans, aliquatenus fuluum, nec admodum graueolens, eoque tempore, quo per ſecundam valetudinem deiici ſolet, excretum, copia vero ingeſtis reſpondens. Craſſum autem fieri oportet, in iudicationem eunte morbo. Vtile quoque, quod lumbricos teretes ad iudicationem exire cogit. *Coac. 601.*

27) *Tenues* ex aluo, ſine mordacitatis ſenſu, prodeuntes deiectiones, ei, qui ſibi bene conſtat, malum portendunt; velut nonnumquam iocinoroſo contingit. *Prorrh. I. 78.*

28) Quæ prodeunt, copia minime æſtimanda ſunt, ſed vt, qualia expedit, prodeant & æger facile ferat. *Aph. I. 23. 25.*

29) Qui ſanguinem vomitione refundunt, ſi quidem citra febrem

febrem contingat, ſalutare; cum febre vero malum. *Aphoriſ. VII. 37.* Bene vero *Galenus in Comm. ad hunc locum* ſubdit: iſta haudquaquam eſſe vera.

2. *Specialis*

1) In *febribus*

De vomitu.

(1) Quæ parua copia adparent, velut ſtillæ ſanguinis, vrinæ, *vomitiones* & *deiectiones*, malum quidem penitus denunciant; peſſimum vero, ſi exiguis interuallis ſeſe conſequantur. *Coac. 600.*

(2) Tempore cruditatis, ſeu in febris principio, neque ſudores, *vomitus, alui excrementa,* tumores poſt aures, neque profluuia ſanguinis, tametſi adpareant, ægritudines vmquam critice finiunt. *Galenus lib. I. de criſib. cap. VIII.* Hinc *Hippocrates Coac. 68.* Febrium initio ſi atra bilis ſurſum aut deorſum prodeat, lethale.

(3) Si quis in febre, non lethali, dixerit caput dolere, aut tenebricoſum quiddam ante oculos obuerſari, ſi etiam oris ventriculi morſus acceſſerit; biliosa vomitio aderit. *Hippocrat. lib. prænot. ſ. m. 13.*

(4) Quos febris detinet cum faciei rubore, & capitis vehemente dolore, in iis, ſi venæ pulſent, ſanguinis fluxus plerumque exſpectandus eſt. Quos vero ſtomachi faſtidia vexant, cum oris ventriculi morſu & crebra ſputatione, iis vomitio adfutura eſt. Quibus autem ructus adſunt, flatus, ventris ſonitus cum inflatione, iis aluus exturbatur. *Coac. 142.*

(5) Crebræ in phreniticis ſputationes cum perfrictione, *nigrorum* vomitionem prænunciant. *Coac. 102.*

(6) Vomitus *faſtidioſus* commune ſymptoma eſt phreneticis cum quibusdam febribus malignis, veluti & vox clangoſa. Fit autem huiusmodi vomitus ex humore tum bilioſo, tum mordente: vox vero clangoſa propter ſiccitatem inſtrumentorum, voci ſeruientium. *Gal. Comm.*

Comm. I. in prædict. Hipp. f. 47. Hæc prognoſis interdum fallit.

(7) In vomitu eum, qui ſiti prematur, ſitis expertem eſſe, malum. *Coac. 562.*

(8) Vomitiones quoque *variæ* malo ſunt, præſertim ſi continenter & continue prodeant. *Prorrh. I. 60.*

(9) Vomitus *virulenti* & *æruginoſi* cum capitis dolore, ſurditate & agrypnia, promtam inſaniam ſignificant. *Prorrh. I. 10.* Phreneticis præcipue pernicioſi. *Hipp. lib. I. epid. f. 22.*

(10) Vbi iam pernicies imminet, parui tremores & *æruginoſa* vomitio, & in quibus inter potandum ſtrepitus percipitur, quique præ ſiccitate murmur quoddam ſentiunt, & qui ob ſpiritum tuſſiculoſum ægre deuorant, in grauibus malis perfrigerati, pernicioſe habere iudicandi ſunt. *Coac. 62.*

(11) Ex lumborum dolore ad os ventriculi recurſationes, cum febre, horrore, multorum tenuium & aquoſorum vomitu, delirio, vocis defectione, eæ in *nigrorum* vomitionem deſinunt. *Prorrh. I. 83.*

(12) Vomitus *nigri*, inſtar rob ſambuci, vti in acutis peſſimi ominis: ita in plerisque febribus inflammatoriis inſtantis mortis ſunt prænuncii. *Conſp. med. p. 542.*

(13) Vomitus in febre *quotidiana* pituitoſi ſunt, & quæcumque per ventrem excernuntur, cruda, aquoſa, pituitoſa. *Galenus de art. curat. lib. I. cap. VII.*

(14) *Tertianam* ex ſudoribus & *vomitibus* finiri, bonum. *Idem lib. II. de criſ. cap. III.*

(15) Vomitus in his, in quibus *tertiana notha* perdurauit, vtilis eſt, vt multos ſciam, ſolis vomitibus ſtatim prorſus fuiſſe curatos. *Galenus de art. cur. lib. I. cap. X.*

De aluinis deiectionibus.

(16) Aluus *expedita* vti in febribus acutis varia moleſta in-

 tercipit

tercipit ſymptomata: ita *fluxa* nimis non tantum ominoſa, ſed directe pernicioſa deprehenditur. Quia excretiones alias præuertit & febrium decurſum turbat; quod in exanthematicis maxime manifeſtum fit. Interim dantur caſus, vbi copioſæ diarrhœæ in malignis exanthematicis non nocent.

(17) Aluus in febre ea tuta eſt, quæ quotidie coacta, eaque conuenientia his, quæ adſumuntur reddit. *Celſus lib. II. cap. VIII.*

(18) *Liquidum* alui recrementum breuibus interuallis cumulatum, malo eſt. Partim namque vitium & agrypniam, partim vero exſolutionem pariet. *Coac. 609. Perliquidum* autem & aliquantum friabile cum totius corporis perfrictione cum febre vitioſum eſt. Rigores præterea veſicam & aluum corripiunt. *Valde* vero *aquoſa* deiectio in præcipitibus malis non deſinens, malo eſt, atque eo magis, ſi ſitis vacuitatem fecerit. *Ib. 610. & Prorrh. I. 116.*

(19 Quibus cum febre, lateris dolore accedente, aluus *aquoſa*, multa *bile permixta* transmittens alleuiationem adfert, deinde vero cibos auerſantur & ſudoribus diffluunt, cum bene colorata facie ac humeſcente aluo, & dolor aliquis oris ventriculi ſuccedit; ii diutius morbum trahentes, more pulmonum vitiis laborantium, intereunt. *Coac. 67.*

(20) Exacte *candicans* alui recrementum in febre nullam bonam iudicationem denunciat. *Coac. 615.*

(21) In phrenitide *albicans* deiectio ac torpor, malum. His ſuccedens rigor peſſimus. *Coac. 91. Prorrh. I. 13.*

(22) In febribus ardentibus cum aliqua ſummi corporis perfrictione ac egeſtionibus *aquæ ſimilibus* & crebris, oculorum peruerſio malum ſignificat, tum vero præcipue, ſi *catocho* deprehenſi detineantur. *Prorrh. I. 81. Coac. 134.*

(23) *Diarrhœæ* quamquam exanthematum retroceſſionem & ſu-

& funeſtum exitum non raro accelerent: in petechizantibus tamen mitioris obſeruantur effectus. Non quidem ſoluunt morbum, ſed minoris ſunt periculi, quam alui adſtrictiones. *Conſp. med. p. 595.* Non minus diarrhoeæ, ad decimum vſque quartum diem copioſæ, in *purpura alba* aliquando innoxiæ obſeruantur.

(24) Vbi aluus *humeſcit*, æger laſſitudine, dolore capitis, ſiti, vigiliis torquetur, obſcure loquitur, & admodum eſt impotens, in his caſibus vehementem emotionem mentis exſpectare oportet. *Prorrh. I. 38.*

(25) Quibus per febres ſanguinis copia vndecumque profluxerit, iis, cum reficiuntur, alui *humidiores* euadunt. *Aph. IV. 27.*

(26) Vbi aluus *intercepta* eſt, & arcte concluſa, paruaque & nigra, caprarum ſtercoribus ſimilia, non niſi coacta emittit: hoc caſu ſanguis e naribus erumpens periculo eſt. *Prorrh. I. 41. Coac. 603.* Hæc prognoſis benignam poſtulat interpretationem.

(27) Alui *durities* cum dolore in febre *phricode* & cibi faſtidio, niſi paulo humectata aluo purgationem faciat, ad ſuppurationem tendet. *Coac. 303.*

(28) Alui *obſtipatio* a medicamentis, parum circumſpecte adplicatis, inducta, in febribus ſemper noxia.

(29) Aluus effuſa circa criſin, malum denunciat. *Coac. 521.*

(30) Aluus in febribus eo tempore *adſtricta*, quo natura alias excretiones promouet, nullum portendit periculum, niſi pertinacia excedat. Hinc in *principio* variolarum aluus liberior minus periculoſa; quemadmodum medio ſuppurationis tempore aliquot purulentæ deiectiones, quæ ſe inuicem cito non conſequuntur, aut nimis copioſæ ſunt, non adeo reformidandæ. *Conſp. med. p. 628.*

(31) In biliofis febribus, præcipue in earum *ſtatu*, aluus adſtricta periculum maius portendit, quam nimia eius ſolutio *Conſp. med. p. 511. Hippocrates quidem in Prorrh.*

I.90. Coac.129 & 299. tradit, aluum in febre *ardente* affatim prorumpentem mortis periculum adferre, ſed hoc de febre cauſodea, ſeu lethifera a ſe dicta, intelligendum videtur. Ceterum hic quoque iuuabit repetiiſſe monitum eius *in libro prognoſtic. in fine:* vbi de ſignis diſerte adfirmat, quod in *Libya, Delo & Scythia vera eſſe comprobentur.* Nihil ergo mirum, ſi nonnulla apud nos fallant.

(32) Repentina in febribus, præuia fluxilitate alui ſuppreſſio, noxia. Febris enim turbationem, aliquando & internam inflammationem præmonſtrat.

(33) In inflammationibus internis alui adſtrictio mala; peior autem eius ſuppreſſio.

(34) In febre purpurea vti aluus *obſtructa* morbum difficiliorem reddit: ita *irritata* non minus nocet. *Conſp. med. p. 616.*

(35) Vomitus cum alui deiectionibus in acutis continuantes, ſiniſtri euentus omen præbent.

(36) Alui recrementa, quæ in *ſpumoſa* & ſincera deſinunt, omnibus quidem ingraueſcentis mali ſignificationem præbent; conuulſione vero tentatis vel maxime. In huiusmodi caſibus ad aures tubercula oriri ſolent. At quæ *præliquida* & rurſus conſiſtentia, ſincera, ſtercoracea, morbi longitudinem denunciant. *Prærubrum* vero in febre, delirium. *Coac. 613. Prorrh. I. 2. 50. 93. Coac. 602.*

(37) Sopore, laſſitudine ac ſurditate tentatos aluus erumpens & ad criſin *rubra* demittens, iuuat. *Coac. 182.*

(38) In acutis quæ poſt paucam ſanguinis eruptionem, aut nigrorum per aluum refuſionem, ſurditas obuenit, malum denunciat. In his *ſanguinis* egeſtio perniciem adfert, ſurditatem tamen diſcutit. *Prorrh. I. 129.*

(39) Tormina omnia mala ſunt, ſi cum febre inuadant, aut *variis alui recrementis*, aut iecoris inflammatione, aut

aut præcordiorum, aut ventris, aut aliis doloribus cru-cient, aut cibos cohibeant, aut ſitim inferant. Celer-rime is perit, quem maxima pars horum malorum oc-cupat. *Prorrh. II. ſ. 48.*

(40) *Aluus varia* peſtifera eſt, quæ ſtrigmentum, ſangui-nem, bilem, viride aliquid, modo diuerſis tempori-bus, modo ſimul & in miſtura quadam, diſcreta tamen repræſentat. *Celſus lib. II. cap. VI. p. m. 60.*

(41) Frequentes deſidendi labores rigorem adferunt. Et quibus alui excrementum vitioſum eſt, id maxime mo-leſtiam exhibet, ſi quarto die initium fecerit. *Coac. 620.*

(42) In febre cum ſudoribus vocis ex capitis dolore defe-ctiones, & ſi per ſe reſoluuntur ægri, ac *præter volun-tatem* alui excrementa demittunt, malumque remittere videtur, diuturniorem morbum metuere oportet. In his nouus rigor non damnandus eſt. *Prorrh. I, 94.*

(43) Sanguinem effundentibus *glutinoſum* alui recremen-tum, maculis nigris diſtinctum, malignitatem denotat, præcipue in exalbidis. *Coac. 614.*

(44) In febribus, aluo a *flatibus* diſtenta, flatus non erum-pere malum. *Coac. 44.*

(45) Qui per febres intermittentes, inæqualiter incaleſcen-tes, aluum habent *flatibus* diſtentam, pauca transmit-tentem, iis poſt criſin, lumborum dolore ſuborto, alui prorumpunt. Qui autem ad manus contactum exar-deſcunt, torpore, ſiti ac incontinente corporis iacta-ne vexantur, in aluo intercepta grauati exſoluuntur. *Coac. 158.*

(46) Angina laborantibus, absque vlla ſignificatione gra-cileſcentibus faucibus, dolor intenſus ad pectus, aut ad aluum progreſſus, *purulentas* deiectiones facit. Alio-quin tale quid ſolutionem præ ſe fert. *Coac. 375.*

(47) Febres *leipyricæ* non niſi per *choleram*, effuſa bile, ſol-uuntur. *Coac. 120.*

(48) Tenue alui excrementum & *ſpumans*, in quo, quod ſubſidet, aqueum eſt & ex pallido *vireſcens*, malo eſt; malum quoque *purulentum*. *Nigrum* etiam *cruentum* malum cum febre atque alias. Vitioſum quoque *varium* abunde decoloratum. *Friabilis* quoque *mollis alui* feceſſus in febre vitio eſt. Vitioſus quoque *ſiccus*, qui facile diſſoluitur, neque cohæret; idque præcipue, ſi aluum humectet. Lethalis vero, ſi nigra antea prodierint. *Coac. 608.*

(49) A ſanguinis eruptione *nigrorum* per aluum egeſtio, malo eſt. Quin & *prærubræ* & *æruginoſæ* deiectiones damno ſunt. Quibus eiusmodi ſanguinis eruptiones quarto die contingunt, tandem ſopore & conuulſione conflictati moriuntur, prægreſſis *nigris* deiectionibus & ventre in tumorem ſublato. *Coac. 330. 333. Prorrh. I. 140.*

(50) Alui excrementum *nigrum*, velut ſanguinis, & cum febre & ſine febre, malo eſt. Mala item quæcumque *varia*, & quæ bile abunde ſunt ſaturata. *Coac. 612. Aph. IV. 21.*

(51) Quibus cum alui perturbatione ſub tempus criſeos morbus ingraueſcit, iis *nigra* per aluum prodeunt. *Coac. 637.*

(52) Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, peruigilio torquentur, *nigra* & *compacta* ex aluo demittunt, interdum ſanguinem naribus profundunt. *Coac. 110.*

(53) Quibus *nigra* per aluum ſecedunt, ii tenuibus & frigidis ſudoribus diffluunt. *Coac. 618.*

(54) Aluus *clauſa* in hectica febre adauget æſtum, *fluxa* vero vires proſternit, & ſubiecta in dies reddit debiliora.

(55) *Ramentoſæ* deiectiones peſſimæ. Indicant enim membranam inteſtinorum interiorem ab acri humore eroſam et diſcerptam.

(56) In plurimis *graueolentibus* deiectionibus cum febre acuta, præcordiorum contenſione, ex longo interuallo oborta ad aures tubercula mortem adferunt. *Coac. 201.*

(57) In

(57) In malignis copioſa bilis deiectio morbum portendit valde difficilem & grauibus ſtipatum ſymptomatibus.

(58) Morbo laterali aut pulmonum inflammatione conflictato, ſuccedens alui profluuium malum. *Aph. VI. 16.*

(59) Quibus per iuuentutem alui ſunt humidæ,iis ſeneſcentibus exſiccantur & in verſam vicem. *Aph. II. 20.*

(60) Tabe detento ſuccedens alui profluuium pernicioſum. *Aph. V. 14.*

2) *In aliis morbis.*

De vomitu.

(1) *Pituitoſi* per ſupernas partes, *bilioſi* per infernas purgandi ſunt, præſertim quibus atra bilis euacuanda. *Galenus Comm. I. in lib. Hipp. de hum.*

(2) Quibus ſtomachus eſt adflictus, eos vomitu laceſſere pernicioſum. *Idem de meth. med. lib. XIII. cap. XI.*

(3) In iis, quorum pudenda laborant, vomitus in diuerſa reuellens auxilium eſt. *ibid.*

(4) Vomitiones exiguæ, bilioſæ, malo ſunt, tum potiſſimum, ſi peruigilio conflictentur ægri. *Prorrh. I. 79.*

(5) Qui *nigra* vomitione refundunt, cibos auerſantur, deſipiunt, ad pubem non nihil dolent, cum adſpectu feroci & clauſis oculis, eos medicamentis purgare non tutum eſt. Neque ſubtumidos aut tenebricoſa vertigine vexatos, aut eos, qui vel leuiter moti animo deficiunt, aut cibos auerſantur & decolores ſunt, vti nec eos, qui in febre exſoluti aut fracti decumbunt, ſi ſopore tententur, purgatione adgredi tutum. *Prorrh. I. 71.*

(6) Auxiliatur iſchiadicis vtique vomitus magis, quam euacuationes infernæ per ventrem, vt qui reuellat humores deorſum repentes. *Galenus de compoſ. pharm. ſec. loc. lib. X. cap. II.* et *libro de euporiſtis f. 262.* Sed hæc *Galeno* relinquenda ſunt.

(7) Vomitu vtendum, cum magua glutinoſorum humorum copia in ventriculo continetur. *Gal. Comm. I. in Hipp. de hum.*

(8) Qui-

(8) Quibus lethalia medicamenta deuoraſſe contigit, ii confeſtim vomant, epoto prius hydrelæo et plurimo et frequenter. *Idem lib. de euporiſtis f. 263.*

(9) Tabeſcentes per ſuperiora purgare ob pectus anguſtum non conuenit. *Idem Comm. IV. ad aph. 8.*

(10) Quibus vehementisſimi dolores in ſublimioribus inteſtinorum partibus eueniunt, & qui vomitionibus grauiter cruciantur, adeo vt ſub fine ſtercus euomant, eorum vix vmquam aliquis euadere potuit ſanus. *Galenus lib. VI. de loc. adf. cap. II.*

(11) Sanguis in ventriculo collectus eumdem ad vomendum cogit. *Id. lib. III. de ſymptom. cauſſ. cap. II.*

(12) Capitis fracturas cum ad meninges vſque perueniunt, bilioſus vomitus, interdum etiam dolores capitis, ſubuerſio ſtomachi & morſio comitantur. *Id. lib. III. de loc. adf. cap. VII.* & *Hippocrates Aphor. VI. 50.* quibus perſectum eſt cerebrum, iis febrem & bilis vomitionem ſuccedere neceſſe eſt.

(13) Bilis vomitus, vulneri ſuccedens, malum denunciat, præcipue in capitis vulneribus. *Coac. 507.*

(14) Dolente *colo*, nauſea & vomitus multo vrgent grauiores & aſſidui magis, euomuntque ægri pituitoſa quædam atque corrupta, hac in re nephriticos longe ſuperantes; ac retinent etiam magis excrementa, vt ne flatum quidem neque etiam ructum excernere poſſint. Sæpe numero etiam veluti circuire videtur dolor atque ampliorem locum occupare: nonnumquam vero in diuerſis regionibus vehementior fit. *Nephritici* vero dolores eodem in loco ſtabiles iugiter infeſtant. *Galenus lib. VI. de loc. adf. cap. II. f. 36.*

(15) Si aluo diu ſuppreſſæ ſuperueniat vomitus, cum dolore hypochondrii, eſt ſignum *ilei.*

(16) Lientericis vomitio bilioſa circa initia, pernicioſum. *Coac. 463.*

(17) Te-

(17) Tenuioris inteſtini morbo laborantibus vomitio & ſurditas malo ſunt. *Coac. 470.*

(18) Vomitus parui & frequenter repetentes, bilioſi, ſinceri, mali ſunt in copioſiori ventris ſubductione & intenſo lumborum dolore. *Coac. 560.*

(19) Qui capite dolent cum leni aliqua ſurditate, manuum tremore, ceruicis dolore, nigras reddentes vrinas & denſas, ii ſi *nigra* vomitione refuderint, pernicioſe habere ſuſpicandi ſunt. *Coac. 176.*

(20) Lumborum dolores, ad os ventriculi recurſantes, cum febre & horrore, ſi tenuia & aquoſa reiecerint, delirauerint, voce defecti ſint, ii poſt nigrorum vomitionem moriuntur. *Coac. 316.*

(21) Mulieribus contingit poſt menſtrua retenta ſanguinis euacuatio per ſedem, interdum vero per vomitum. *Galenus lib. V. de loc. adf. cap. VII.*

De aluinis deiectionibus.

(22) Ex alui *ſuppreſſione* ſublata præcordia malum denunciant, præcipue in his, qui ex longo interuallo contabeſcunt & quibus alui humectantur. *Coac. 301.*

(23) Aluus ex præcordiorum doloribus aliquantum viſcida paulatim transmittens, ſtercoracea *pauca* effundit, ac fortaſſis ſanguinem profundit. *Coac. 293.*

(24) Alui *adſtrictio* in quibusuis deliriis chronicis malum magis intendit & intolerabilius reddit.

(25) Aluus per plures dies pertinacius *ſuppreſſa* iliacam inducere ſolet paſſionem.

(26) Alui *adſtrictio* hypochondriacis familiaris, malum, cum quo colluctantur, ſemper reddit difficilius, in primis ſi ad vitium vſque pertinax ſtimulantibus quoque minus obedierit. His ſi aluum habere laxam contingit fere a victu duro ad molliorem fecerunt tranſitum.

(27) Alui *adſtrictio* aut moleſta eius *ſuppreſſio* quo diutius in hæmorrhoidariis, hyſtericis, cachecticis adfligit, eo

 peius

peius euenit capiti; pectus inſuper anguſtatur, adpetitus læditur, & ipſa inteſtina flatulentia ac moleſtiis colicis infeſtari ſolent, cum notabili tranſpirationis & diureſeos retardatione.

(28) Aluus *adſtricta*, pathemata rheumatico-ſpaſtico-catarrhalia ſemper reddit grauiora, quia aliarum ſecretionum & excretionum cohibitioni, aut imperfectæ adminiſtrationi occaſionem præbet, & ſub impuritatum coaceruatione quaſuis naturæ functiones admodum turbat.

(29) Aluus *clauſa* vti infantum morbos ſemper acerbiores efficit: ita in atrophicis ſingulares excitat moleſtias, & dolores in abdomine adauget.

(30) Intempeſtiue *ſuppreſſa* dyſenteria abſceſſum in coſtis aut viſceribus aut articulis inducit. Ac forteململbilioſa quidem in articulis; ſanguinea vero in coſtis & viſceribus abſceſſum facit. *Coac. 462.*

(31) Leucophlegmatia laborantibus alui *profluuium* prodeſt. *Coac. 482.*

(32) Hypochondriacis æque ac hecticis *diarrhϾ* raro proſunt. In illis enim ſæpe inteſtinorum ſcirrhoſitates arguunt, in his vero mali exacerbationem. In vtriſque virium inſignem poſt ſe labefactionem relinquunt.

(33) *Diarrhœa* periodica in ſanis, aut ſymptomatica in ægris improuide ſuppreſſa, peſſima habet conſectaria: in his enim internas inflammationes, in aliis apoplexiam prouocat.

(34) *Prærubrum* in alui proluuie excrementum vitio eſt. Admodum vitioſum ex *viridi palleſcens*, aut *albicans*, aut *ſpumans*, aut aquoſum. Item malum quod *exiguum*, *glutinoſum*, *læue* & ex *viridi ſubpallidum*. Peſſima quoque deiectio liquida in ſopore & torpore detentis. Lethale porro multum ſanguinem grumoſum ex aluo effluere, itemque candidum & liquidum excrementum cum alui tumore. *Coac. 611.*

(35) Qui

(35) Qui cum hypochondriorum, id eſt oris ventriculi, iecoris ac earum, quæ ſunt circa vmbilicum, partium doloribus conflictantur, ii liberantur *cruenta* alui deiectione; ſecus autem moriuntur. *Coac. 295.* Obſeruat tamen *Foëſius,* neceſſum non eſſe, vt dictarum partium dolores cruenta egeſtione liberentur; immo temere enunciatum credit, mortem adfuturam, ſi aluus talia non egerat. *Conf. Coac. 294. cum not. Foëſii.*

(36) Aluus *perturbata,* cum frequenti deſidendi labore, maxillas intendit, rubores etiam faciei ſoluit. *Coac. 616.*

(37) Inteſtinorum difficultate laborantibus aliquantulum rubræ, limoſæ & copioſæ deiectiones, ſi prærubræ fiant, inſaniæ ſuſpicionem adferunt. *Coac. 465.*

(38) *Dyſenteria,* non diu durans, lienoſis vtilis eſt, longa autem, mala. Vbi enim deſinit, ac hydrops ſeu lienteria ſuccedunt, mortem adfert. *Coac. 466.*

(39) Longis inteſtinorum læuitatibus laborantes, vna cum ſæuiſſimis vlceribus, inteſtinorum cruciatu & dolore, iis ſolutis intumeſcunt. His inſuper exortus rigor malum. *Coac. 468. 467.*

(40) Lienterica pathemata cum dyſpnœa & pectoris vellicatione ad tabem tendunt. *Coac. 469.*

(41) Cum ſpirandi difficultate areſcentes, in tabe cruda multa educentes, exitialiter habent. *Coac. 445.*

(42) Lienteriæ continentes ſeu aſſiduæ & diuturnæ, noctu diuque adfligentes, cum ſtrepitu & ſine eo exturbatæ, ſi illud, quod excernitur, valde crudum eſt, aut nigrum & læue & mali odoris, eæ omnes malæ ſunt. *Prorrh. II. ſ. 85.*

(43) Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, hæ oborta ſurditate ceſſant. Et quibus adeſt ſurditas, his exortis bilioſis deiectionibus finitur. *Aphoriſ. IV. 28. Coac. 210. 627.* Vnde *Galenus lib. II. cap. VIII. Nihil plus aduerſus ſurditatem, quam bilioſa aluus prodeſt.* Hæc diſcreto ſenſu accipienda & explicanda ſunt.

(44) In alui fluxionibus deiectionum mutationes, niſi ad prauas commutentur, iuuant. *Aph. II. 14.*

(45) Diarrhœæ, quæ ſine febre ſunt, paruo tempore durare & mitiores eſſe ſolent. *Prorrh. II. f. 86.*

(46) Frequentes deſidendi labores, pauca, aliquantulum flaua & glutinoſa excernentes, cum paucis alui recrementis, præcordiorum & lateris dolore, morbum regium denunciant. *Prorrh. I. 146.*

(47) Alui ſolutio, quæ præter rationem accidit, cum voce tremula; in his diutius perſeuerans perturbatio perniciem intentat. *Coac. 258. 634.*

(48) Cute corporis liueſcente *albicantium* excrementorum deiectio icterum flauum indicat.

(49) Aluo ſtercora *nigra* demittente, ſi ſopor adpareat, tubercula ad aures excitat. *Prorrh. I. 166.*

(50) Exitialis eſt deiectio *pinguis* & *nigra* & *liuida* cum odoris grauitate, itemque biliofa, ſimile quiddam lentium aut cicerum lomento continens, aut veluti bene florulentos grumos ſanguinis & infantium egeſtionem odore referens, ac varia diuque perſeuerans. Talis etiam fuerit cruenta, ſtrigmentoſa, bilioſa, nigra, viridis, tam ſimul, quam per vices excreta. Exitialis pariter, quæcumque prodeundo ſenſum ægri fallit. *Coac. 631.*

(51) *Pruritus* omnibus nigrorum ſeceſſum denunciant & grumos vomitione refuſos. Tremulæ etiam affectiones, cum morſu ac capitis dolore, *nigras* deiectiones prædicunt. Tales vero præcedit vomitus, & vbi vomuerint, talia multa præterea reuelluntur. *Coac. 636.*

(52) Aeſtuoſæ deiectiones, & cum contentione procedentes, male adfectam aluum prænunciant. *Coac 643.*

(53) In bilioſis perturbata aluus, pauca crebro reddens, & cum paucis mucoſis diſtentionem facientia, oborto circa tenue inteſtinum dolore, nec facile prodeunte vrina, ex his caſibus in hydropem tendit. *Coac. 644.*

(54) In

(54) In alui recrementis, quæ cum torminibus deiiciuntur, ſedimentum limoſum, ſubliuidum, malo eſt. *Prorrh. I. 156.*

(55) Quibus prodeunte egeſtione alui bilioſa ad pectus ſeu os ventriculi morſus ac amaritudo ſentitur, ii male habere iudicantur. *Coac. 43.*

(56) Quibus in vehemente pulſatione ſtercus derepente deiicitur, lethale. *Coac. 368.*

(57) Si morbo iam inueterato ſtercus & vrina ægro inſcio prodeunt, non longo poſt interuallo perit. *Prorrh. II. ſ. 82.*

(58) Quibus faciei incendium & intenſus rubor ſoluitur, & *graueolens* eſt alui egeſtio, redundans & ſubrubra, in his inſaniæ metus eſt. *Coac. 624.*

(59) Deiectio, *cadauer redolens*, in inteſtinorum difficultate, tabe, aut viſcerum inflammatione necroſin ſeu corruptionem ibidem cœpiſſe arguit.

(60) *Spumans* & bile obductum alui excrementum malo eſt, iis præcipue, quos antea lumborum dolor aut deſipientia vexauerit. *Coac. 606. 607. Aphoriſ. VII. 30.*

(61) Flatum ſine crepitus ſono emitti, inter optima ſigna eſt. Præſtat tamen cum ſtrepitu prodire quam illic reuolui. *Coac. 495.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Priſcorum temporum Medicos ſtudioſos fuiſſe fæcum aluinarum obſeruatores, ex tot prognoſibus, ab illis adnotatis, conſtat. De *Hippocrate* imprimis in aprico eſt, eum plus attendiſſe excrementorum colores, quam pulſuum variationes. Vnde de his paucæ, de illis vero numeroſiores proſtant obſeruationes.

2. De ſigno ex fæcibus prognoſtico non vna eademque omnibus eſt ſententia. Aliqui enim ſollicite; alii negligenter recrementa obſeruare ſolent, prætexentes:

1) Multum fidi inde elici non poſſe, eo quod aluus vniuerſi corporis ſentina ſit communis, quo natura ſæpe humores varios quaſi fortuito amandet. Hinc qualem in morbo aliquo præſentem ſtatum eſſe, tuto ſatis ex hoc ſigno non adparere.

2) Cum præterea non omne, quod ex noxiis recrementis redundat, plene eliminetur, ſed pars remaneat, pars inſuper de nouo generetur, etiam hoc nomine minus attendendum iudicant.

3. Sed *media hic quoque via* incedendum putamus. Nam ſignum, ex aluinis deiectionibus deſumtum, neutiquam deterioris conditionis eſt, ac reliqua. Indicant enim ſtatum humorum per conſiſtentiam, colorem & graueolentiam, ſine ambiguitate, qualis *in præſenti* exſiſtit; at vrina id non ſemper præſtat, quemadmodum nec pulſus. Illa ſiquidem præſens in malignis periculum ſæpe numero celat, niſi per contradictionem aliquis ſignum inde formare & ex ſana vrina præſentiſſimam perniciem perſpicere poſſit. Ita & pulſus iam antiquitus res habita eſt fallaciſſima. Ex alui ergo excretionibus, aliis ſimul in ſubſidium vocatis, interdum certi quid prænunciare non plane fuerit temerarium.

4. Ceterum opportune hic pauca quædam ſubiungenda erunt de *vermibus*, tamquam de re prorſus peregrina, & nihil ad humanum corpus pertinente. Nam ſi tempore morbi periculoſi, vermes e corpore egrediuntur, tum reliqua ſigna, quæ mala ſunt, magis confirmant, & quod mors proxime immineat, manifeſto prædicunt.

5. Vermes ergo exire bonum; melius ſi omnes aufugerent. Sed malum in ſe, non modo quod hactenus exſtiterint & putredinem in corpore reconditam hærere ſignificent, ſed quod dira ſymptomata adhuc metuenda ſint. Tandem quia omnes numquam exeunt, ex omni parte bonum ſignum dici nequit.

6. Vermes, ſiue aſcarides, ſiue lumbrici fuerint, iuſto tempore, vna cum alui fæcibus reiecti, bonum indicium tam ra-

tione facti, quam ratione temporis ſpeciatim ſuppeditant. Opportunum vero tempus adnotat *Hippocrates libro progno-ſtic.f.m. 20.* his verbis: *morbo ad criſin tendente, deiectionem craſſiorem reddi oportet; ſubfulua vero, nec admodum grauuo-lens eſto. Lumbricos etiam ſub iudicationem exire commodum.* Ac melius ſane eſt, ſi motu *critico* eiiciantur, quam ſi *pro-prio* ſecuritatem quaſi adfectent, auerſantes humorum mali-gnitatem & lethalem corruptionem.

7. Differunt porro Semeiologorum ſententiæ, quas circa ver-mium exitum formant. Pluribus enim probatur, ſi vermes exeant *viui;* alii contra præferunt, ſi reiiciantur *mortui.*

1) In morbis acutis benignioribus, & chronicis, ſi prode-ant *viui;* magis ob defectum nutrimenti, quam malam humorum conſtitutionem, id feciſſe creduntur.

2) ſi vero in malignis aut aliis periculoſis pathematibus mor-tui expellantur, eos ab humorum malignitate enecatas eſſe coniiciunt, & ſic peſſimum præſagium habent.

8. Exitus verminoſæ colluuiei ſi in morbi initium & augmen-tum incidat, ſymptomatice eum contingere manifeſtum eſt, & duplici nomine malum portendit: partim quod fugiant, aut ante fugam enecati ſint, partim quod præmature ſub acti-bus confuſis & præcipitanter adminiſtratis expulſi ſint.

9. Præterea vermes cum *viui,* ſine excrementis, prorepant, peſſimum omen ſubminiſtrant.

10. Vermes per os aut nares exeuntes, putredinem iam in ven-triculo aut pulmone, iam vero in cerebri cauitatibus eſſe ad-nunciant.

11. Si vermibus in corpore præſentibus, nulli plane reiiciun-tur, malum eſt. Indicat enim eos ſecure ſtabulari ac nihil moleſtiarum perſentiſcere.

12. Si vero ex verminoſis ſubiectis in ſtatu morbido, iſtiusmodi animalcula debito tempore & modo expelluntur, bonum eſt. Et quo plures, eo ſalutarius.

TABVLA X.

DE ABSCESSIBVS.

I. D*EFINITIO.*

Abſceſſus græce αποςημα eſt ſtaſis ſanguinea arctiori ſpatio circumſcripta & in nodum collecta, quæ ordinarie in parte quadam poroſa & copioſo ſanguinis acceſſui patente oritur, vt per hunc abſterſiua, transpulſio a natura commode inſtitui, agiliores ſulphureæ particulæ ſubtrahi ac languidæ in pus conuerti poſſint.

II. *DIFFERENTIA.*

1. De abſcesſibus dum Semeiologia præcipit, illos tantummodo reſpicit, qui iudicationis *per expulſionem* vices ſupplent, & criſin *per translationem* conſtituunt. Et hanc ob cauſſam non agit
   1) de abſcesſibus, qui in morbis diuturnis fiunt, multo minus de illis, qui in ſubiectis ſanis paſſim emergunt; vtpote de quibus *chirurgiæ* inſtitutiones plenius diſſerunt.
   2) Neque *prognoſes*, vti in præcedentibus tabulis, trifariam diuiſas, adponere licebit, quoniam de abſcesſibus acutarum *criticis* potisſimum hic tractandum erit.
2. Ceterum variæ occurrunt abſceſſuum differentiæ, prout ipſi reſpectus auctorum arbitrarii diuerſi eſſe ſolent. Commode autem ponuntur abſceſſus
   1) *Critici* ſeu tales, qui per conuenientia ſigna prænunciati, iuſto demum tempore, v.g. die VII. XIIII. XXI. aut ſubinde XXXX. eruperunt. Et hi ſunt
   (1) vel *ſalutares*, qui nimirum bene morbum indicant, nec quidquam incommodi poſt ſe relinquunt.

(2) vel

(2) vel *minus ſalutares*, qui morbum quidem iudicant, ſed

a) a *recidiuis* reualeſcentes immunes non præſtant; quod fere contingit, vbi iuſto minores fuerint, adeoque non omnem materiam febrilem in vnum nondum collectam euacuent.

b) ob diuturnitatem & malam indolem *ſinus* & *fiſtulas* profundius ſerpentes & conſolidationi refragantes inducunt.

2) *Symptomatici*, qui tempore cruditatis ſeu in morbi principio prorumpunt & morbum non leuant, nedum iudicant ſeu ſoluunt.

3. Ratione *temporis eruptionis*, fiunt alii

1) *Ante* morbum; de quibus *Hippocrates in libro de humoribus f. m. 16.* Si quæ pars ante morbum laborauerit; ibi morbi ſedes erit, velut iis contigit, qui in Perintho tuſſi & angina laborarunt. Tuſſes enim non ſecus ac febres abſceſſus excitant. *Aph. IV. 33.*

2) *In* morbo; *Idem loc. cit.* In febribus ad articulos & ad maxillas præcipue abſceſſus contingunt, in vicinia dolorum cuiusque, ad ſuperiorem partem magis, & in totum. Si tardior fuerit morbus & deorſum feratur, infra etiam ad pedes contingent abſceſſus. Maxime pedes calidi infra futurum abſceſſum, frigidi vero ſupra denunciant.

3) Dum ægroti *reualeſcunt.* Iis, qui ex morbis conualeſcunt, ſi ſtatim in manibus & pedibus dolores contingunt, in his abſceſſus oriuntur. *Ibid. Aph. IV. 32.*

4. Ratione *locorum* & corporis regionum alii dicuntur *ſuperiores*, alii *inferiores*. Quod vt rectius intelligatur, repetendum hic erit, priſcos artis antiſtites *diaphragma* & *iecur* medium in corpore ſtatuiſſe terminum, vnde

1) *ſuperiores* partes dixerunt: pulmonem, cor, collum, caput.

2) *inferiores* autem reliquas omnes ſiue externæ fuerint, ſiue internæ. *Vid. Hippocratis lib. VI. epid. Galeni Comm. in Hipp.*

 de

de humorib. f. m. 23. Atque ex his clare patebit, quinam ex abſceſsibus ſuperiorum & inferiorum nomine intelligendi ſint.

5. Quibusdam placet abſceſſus ſecundum *morborum ſpecies* diſtinguere: & hi docent, quod

1) *Generatim* in morbis

(1) *Cerebri*, abſceſſus fiant *poſt aures.*

(2) *Thoracis*, ſub axillis.

(3) *Hepatis* & inferioris ventris, in inferioribus.

2) *Speciatim*

(1) In febribus *peſtilentialibus* in *inguine* aut ſub *axillis.*

(2) In *lue venerea* itidem, in inguinibus.

(3) In morbis *lienis*, in *crure ſiniſtro.*

(4) In *hepate* adfecto, in *crure dextro.*

(5) In *angina*, in *pulmone.* Sed his diſtinctionibus ſuperſedere poſſunt illi, qui *num. præced.* obſeruauerint.

6. Abſceſſus tandem in febribus diſtingui antiquitus ſolebant in abſceſsionem *per effluxum* & in aliam per *decubitum.*

1) *Abſceſſio* per *effluxum*, ſeu αποςασις κατ' εκκρισιν, denotat abſceſſum, in parte quadam ignobiliori & morbo *conueniente* manantem, ex quo notabilis materiæ febrilis noxiæ, purulentæ atque coctæ quantitas effluit, & qui morbum, nobiliores antea partes infeſtantem, tollit ſeu perfecte iudicat.

2) *Abſceſſio* per *decubitum*, ſeu αποςασις κατ' αποθεσιν, abſceſſum ſignificat, in quacumque alia parte *irregulariter* emergentem, & tardius ſuppurantem. Ceterum obſeruandum, quod abſceſsio *per decubitum* ſubinde etiam alium morbum chronicum febri ſuccedentem deſignet, veluti *Galenus* inculcat ſcribendo: *Hippocrates non ſolum videtur abſceſſus adpellare, qui per effluxionem fiunt, ſed etiam cum alius morbus in alium tranſit. Vid. eius Comm. in Hipp. de humorib. f. m. 20. Conſ. conſpect. chirurg. tab. de abſceſſu.*

III. *PRO-*

III. *PROGNOSIS.*

1. In *Febribus.*

1) In quouis abſceſſu tria ſpectanda ſunt: *locus* in quem decumbit; particula ex *qua*; *cauſſa* propter quam fiat. *Hippocrat. lib. VI. epid. Gal. in Comm. ad. h. l. f. 129.*

2) In his, qui nondum annum XXXV. attigerunt, ordinarie pro criſi magis exſpectanda eſt ſanguinis eruptio, in *ſenioribus* vero *ſuppuratio Hipp. lib. prognoſt. f. 12.*

3) In febribus *continuis*, vltra vicesimum diem detinentibus, nec alio modo iudicatis, exſpectandi ſunt abſceſſus præcipue ad partes inferiores, in illis, qui annis XXX. minores ſunt: at quæ febres *intermiſerint* & errabundum in modum prehenderint, eæ magis firmantur in quartanas, in ſenibus, adpropinquante inprimis autumno. *Hipp. lib. prog. f. 13. Galenus lib. III. de criſ. cap. XI. Coac. 143. & Aph. IV. 44.* Quibus adſunt febres longæ, iis tubercula vel ad articulos dolores innaſcuntur.

4) Morbi a calidis humoribus orti, ſi ægri vires valentiores fuerint, iudicantur *excretione*; ſed ſi vires imbecilles ſint, & humores frigidi, nec per *excretionem*, nec per *abſceſſum* iudicari ſolent. *Galenus in Comm. ad præſ. Hipp. f. 39. lib. I. de arte curat. cap. XV. f. 97.*

5) Sciendum eſt: abſceſſus hieme magis contingere, & tardius deſinere, & minus intro reuerti. *Hipp. prognoſtic. f. 13.*

6) Si abſceſſum fore ſperaueris, humorum conſidera inclinationem, ad quam videlicet fiat partem: atque ita vbi ſingulorum capitis ſymptomatum vires adnotaueris, parotidas fore tum magis tum minus ſperabis. *Galenus Comm. III. ad Hipp. prædict. f. 69.*

7) Vbi natura abſceſſum molita fuerit, oportet vrinas eſſe neque incoctas, neque prorſus concoctas. Quæ vero varie albæ & graueolentes fuerint, raro abſceſſum habent ſequentem; aut ſi aliquando contingat, malum habebunt. *Galenus fol. cit.*

8) Vlcera & tubercula, debito tempore ſuborta, febrem iudicant; ſi vero non adfuerint, iudicationem ipſam tollunt. Et quibus aliquid intus relinquitur, iis certisſimæ & celerrimæ morbi reuerſiones fiunt. *Hipp. lib. VI. epid. ſect. III. n. 26.*

9) Conſiderandum, in quibus ſperamus abſceſſus circa aures futuros, num ex capite doleant, aut ſuperiorum partium tenues ſudores oboriantur, aut nouus inſuper rigor, ac deinde num aluus affatim prorumpat, aut aliquo ſopore detineantur. Videndum quoque, num vrinæ ſint dilutæ, cum ſublimibus quibusdam albidis innatantibus, & quæ varie exalbeſcunt ac graueolent, parotides excitent. *Prorrh. I. 163.*

10) Si diebus iudicatoriis neque eryſipelas, quod partem antea corripuit, diſpareat, neque *tuberculum* ad exteriorem ſedem ſe vertat, neque pus per tuſſim reiiciat facileque ac ſine dolore habere videatur æger, mortem indicat aut ruboris reuerſionem. At ſecurius eſt *tumorem* & ruborem ad externa conuerti. Quod ſi ad pulmonem ſe vertat, dementiam excitat, & ex his non nulli ſuppurati euadunt. *Hipp. lib. prognoſtic. f. 12.*

11) Quod in pus vertitur, id morbi reuerſionem non facit. Ipſa namque maturatio ſimul & iudicationis & excretionis rationem habet. *Hipp. lib. VI. epid. ſect. III. n. 7.*

12) Quæ in ætate conſiſtente morbi reuerſiones contingunt, plurimos interficiunt; *iuniores* vero prius, quam auris ſuppuret, intereunt. Aliquando ſi pus album ex aure fluxerit, *iuniorem* ſuperfuturum ſpes eſt, ſi aliud inſuper bonum ſignum ſuperuenerit. *Id. lib. prog. f. 12.*

13) Ex ſuppuratis, quos pulmonum morbi concitarunt, fere *ſeniores* moriuntur: at ex ceteris ſuppurationibus, *iuniores* potius intereunt. *Id. & Coac. 431.*

14) Quibus purum pus eſt & album, & minime fœtidum, ii ſeruantur; at quibus ſubcruentum & cœnoſum, moriuntur. *Prognoſtic. f. 11.*

15) Abs-

15) Abſceſſuum vitio fit, vt partium color naturalis mutetur, & vel nigricans, vel liueſcens euadat. *Galenus de ſympt. cauſſ. cap. V.*

16) Optimi ſunt abſceſſus, qui fiunt ſputo mutationem ſubeunte. *Hipp. Prog. ſ. 10.*

17) Si febris detinet, neque dolor conquieſcit, neque ſputum ex ratione procedit, neque bilioſæ ſunt alui egeſtiones, neque bene ſolutæ ac ſinceræ, neque vrina admodum multa, & copioſum habens ſedimentum, ſuffragantur vero ad ſalutem reliqua omnia ſigna ſalutaria; in his huiusmodi abſceſſus fore exſpectato. *Ibid.*

18) Quibus circa præcordia aliquid inflammationis ſubeſt, illis oriuntur abſceſſus in locis inferioribus; quibus autem præcordia mollia & doloris expertia perſeuerant, illis in ſuperioribus. *Ibid.*

19) Si tumor & dolor ſuboriatur, ſputo flauo in pus verſo & foras prodeunte, æger hoc modo ſecurisſime ſuperſtes futurus eſt, & abſceſſus cito citra dolorem conquieſcet. At ſi neque ſputum recte excernatur, neque vrina bonum ſubſidentiam habeat, periculum eſt, ne articulo claudicet æger aut ei multum exhibeatur negotii. *Ibid.* & *Coac. 396.*

20) Si abſceſſus diſpareant ac intro recurrant, febre detinente & ſputo non prodeunte; grauis morbi, delirii ac mortis, ægro imminet periculum. *Ibid.*

21) In vehementibus ac periculo proximis pulmonum inflammationibus abſceſſus ad crura omnes ſane vtiles. *Ibid.*

22) Si tuſſicula infantes prehenderit, cum ventris perturbatione & febre aſſidua, in bimeſtri, poſt iudicationem *tumores* fore ad articulos indicat.

23) Tumores in infantibus ſi e ſuperioribus partibus in *inferioribus articulis* conſtiterint, probari debent. Si vero in ſuperioribus; morbum non tollunt, niſi pus collegerint. At ſuppurationes in humeris in tantula ætate brachia tenuiora & iuſto breuiora efficere ſolent. *Hipp. lib. VI. epid. ſect. I. n. 15.*

24) A morbo quoque liberabit vlcuſculorum in inferiores partes eruptio, dum rotunda non ſint, & alte non inſederint. Huiusmodi namque pueris maxime pernicioſa ſunt. *Ibid.*

25) Quibus iudicationis tempore exorta ad aures tubercula non ſuppurauerint, iis euaneſcentibus morbi reuerſio contingit, factaque morbi reuerſione rurſus attolluntur & permanent, non ſecus ac febrium reuerſiones eodem circuitu. In his ad articulos aliquid abſcedere poſſe ſperandum eſt. *lib. cit. ſect. IV. n. 1.*

26) Abſcesſionum, quæ in ventriculum fiunt, ea *optima* eſt, quæ in ſinum eius internum abiit, in quem etiam plerumque ſe aperiunt: *mala* vero, quæ ſub peritonæum. Pari modo in iis, quæ circa cerebrum exſiſtunt, *bona* eſt, quæ in priores eius ventriculos abſcedit: *mala*, quæ ſub inuolucra eius: item quæ in poſticum eius ventrem recipit. Qui vero circa coſtas abſceſſus colliguntur, illi in thoracis capacitates erumpunt, ac muſculorum quidem abſceſſus ſub cutem; viſcerum vero in arterias & venas, quas in ſe continent, vel in membranam, qua operiuntur, quæ ipſis pro cute eſt. *Galenus de inæq. temp. cap. III.*

27) Quod ſi morbo ad ſeptum transuerſum irruente reliqua ſigna minime praua ſe oſtenderint, hoc ſuppuratum fore magna ſpes eſt. *Hipp. lib. prognoſt. f. 11.*

28) Abſceſſus, qui *per effluxum* fiunt, meliores ſunt; illi vero *per decubitum* cenſentur minus commodi: boni etiam ſunt, qui longius a loco adfecto in ignobilioribus partibus erumpunt; peiores, qui contrario modo fiunt. *Galenus in Comm. II. de hum. f. 20.*

29) Quando magna eſt crudorum humorum copia, tunc fieri ſolent abſceſſus; qui ſi exigui ſint, nihil plane iuuant, ſi magni; eos ferre natura non poteſt. *Ib. Conf. Comm. III. in Hipp. præſag. f. 39.*

30) Abſceſſus in partibus ſuperioribus vtplurimum difficilio-

res

res ſunt, maiusque ab illis, quam ab inferioribus, pendet periculum. *Idem in Comm. II. in lib. Hipp. de hum.*

31) Abſceſſus diſcuti omnium eſt optimum; bonum tamen etiam & plerumque ſecurius eſt ſuppurari. *Fienus.*

32) Abſceſſus indurari pernicioſum; omnium vero peſſimum in gangrænam abire. *Idem.*

33) Abſceſſuum retroceſſio periculoſa. Si enim retrocedunt in eamdem partem, recidiuam excitant; ſi in aliam, varios morbos facere poſſunt. *Idem.* Sed quid monendum ſit, leges *tab. chirurg. de abſceſſu.*

34) Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi intra dies quadraginta, ex quo ruptio facta eſt, repurgentur, liberantur, alioquin in tabem tranſeunt. *Aph. V. 15.*

35) In aſthmaticis, qui regio morbo & febre acuta laborant, cum hypochondriorum duritie & tumore, ſi corporis ſumma perfrigerentur, *magnorum* circa aures *abſceſſuum* exortum forte exſpectare oportet. *Prorrh. I. 164.*

36) Quos febris detinet, ſi tremor absque iudicatione conquieſcit, iis temporis ſucceſſu abſceſſus purulenti cum dolore ad articulos decumbunt & veſica dolet. *Coac. 141.*

37) Graues aurium abſceſſus, qui citra iudicationem ſenſim conquieſcunt, & diſſipantur, damno ſunt. *Prorrh. I. 170.*

38) In angore & peruigilio vexatis ad aures abſceſſus maxime obueniunt. *Prorrh. I. 157. Coac. 563.*

39) In anxietate laborantibus cum alui turbulenta ſuppreſſione celeriter, veluti culicum puncturæ, in cutem erumpunt, & ad oculos lacrymoſus abſceſſus procedit. *Coac. 564.*

40) Quibus circa initia aluus turbatur, vrinæ autem paucæ ſunt; temporis progreſſu aluus quidem reſiccatur, vrina vero tenuis abundat, his abſceſſus ad articulos fiunt. *Coac. 619.*

2. In *aliis morbis.*

1) Intempeſtiue ſuppreſſa dyſenteria abſceſſum in coſtis, aut viſce-

viſceribus, aut articulis inducit. Ac forteননbilioſa quidem in articulis, ſanguinea vero in coſtis ac viſceribus abſceſſum facit. *Coac.462. Prorrh. I.167.*

2) Tuſſiculæ, quæ cum crebris oris ſputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt. *Coac.204.*

3) In tenuioris inteſtini ilei morbis graueolentibus cum febre acuta & ex longo interuallo tumeſcentibus præcordiis, qui ad aures oboriuntur abſceſſus, mortem adferunt. *Prorrh. I.158.*

4) Ex ſurditate tumores ad aures contingere conſentaneum eſt, præſertim vero ſi implaciditas, aut inquieta corporis iactatio ſuccedat. Ac inter hos, in iis, qui ſopore detinentur, iſta magis ſperare oportet. *Prorrh. I.159. Coac.209.*

5) In paraplecticis abſceſſus, qui ad aures contingunt, malo ſunt. *Coac.202. Prorrh.I.160.*

6) Quæ conuulſionis in morem adfligunt cum alto ſtupore, abſceſſus ad aures excitant. *Prorrh. 161.169.*

7) Conuulſio cum tremore, corporis iactatione & catocho, paruorum abſceſſuum circa aures ſpem faciunt. *Prorrh. I.162. Coac.353.*

8) Qui ſopore detinentur cum inquietudine, hypochondriorum dolore & pauca vomitione, in iis tubercula ad aures ſperato. Sed & antea, quæ circa faciem contingere ſolent, in conſiderationem adhibere conuenit. *Prorrh. I.165. Coac. 289.*

9) Aluo ſtercora nigra demittente, ſi ſopor adpareat, tubercula ad aures excitat. *Prorrh. I.166.*

10) In capitis dolore ſopor & ſurditas aliquem ad aures abſceſſum effundunt. *Ib.168.*

11) Quos *nyctalopas* nuncupamus, hos iuuant quidem ſuperuenientes abſceſſus ad infernas partes tendentes, qui tamen der iuuentutem non admodum contingunt. *Prorrh. II. fol. 91.*

12) A capitis dolore liberat pus e naribus effluens, aut ſputa

craſſa

craſſa & inodora. Liberat quoque & vlcerum eruptio, interdum vero ſomnus ac alui fluxus. *Coac. 172.*

13) In plurimis graueolentibus deiectionibus cum febre acuta, præcordiorum contenſione, tubercula ex longo interuallo ab aures oborta, mortem adferunt. *Coac. 201.*

De tumoribus.

14) Quibus in febre ardente tumores cum ſomnolentia & torpore obueniunt, eos lateris dolor accedens cum leui partis alicuius ſideratione necat. *Coac. 60.*

15) Manuum ac pedum tumores in morbis cum rubore, perniciem denunciant. *Coac. 63.*

16) Temerarii ventris tumores in morbis longis conuulſiones adferunt. *Coac. 86.*

17) Parui in longis morbis aurium tumores, ſi ſubinde ſanguis e naribus profluat, & tenebricoſa vertigo excitetur, exitio ſunt. *Coac. 105.*

18) In febribus longis, aut tubercula, aut ad articulos dolores proueniunt, quos neque tamen temere fieri exiſtimandum eſt. *Coac. 118.*

19) Durus in dextra præcordiorum parte tumor non lienis, ſed iecinoris adfecti nota eſt: quemadmodum ſi fuerit in ſiniſtra, non hepatis ſed ſplenis adfectum portendit. *Galenus lib. I. de loc. adf. cap. V.*

20) Si longiori tempore ſupprimantur menſtrua, nullamque Medicus vacuationem offerat, tumor interdum aliquis in iliis præter naturam exoritur. *Id. lib. VI. de loc. adf. cap. V.*

21) Ventris tumores minus abſceſſus faciunt, quam qui hypochondria occupant; minime vero omnium, qui ſub vmbilico ſunt, in ſuppurationem vertuntur. *Id. Comm. II. in Hipp. prædict. ſ. 26. Coac. 281.*

22) Quibus cum vulceribus tumores conſpiciuntur, ii fere neque conuelluntur, neque in furorem aguntur. At iis derepente euaneſcentibus, quibus quidem id a tergo incidit, *conuulſiones* & *tetani* fiunt. Quibus vero a fronte; furores; aut lateris dolores aut puris collectio, aut inteſti-

6. Circa hoc præterea negotium dubium ſupereſſe videtur, paucis expediendum. Nimirum *Hippocrates*, calidioris inſulæ incola, & vicinarum æque calidarum regionum genii tantum modo gnarus, reuera ſibi perſuaſit, aliisque perſuaſum voluit, omnis generis criſes *vbique* contingere, in terris ſcilicet calidis, temperatis ac frigidis, adeoque in omni climate.

7. Quia tamen iſta adſertio per experientiam in temperatis Germaniæ regionibus & frigidioribus aliis ſeptemtrionalibus numquam firmata eſt; hinc multum res facesſiuit negotii illis, qui Senis Coi auctoritatem quidem tueri, neque tamen, quod per raro aut numquam contingit, pro facto & comprobato habere volunt.

8. At res tamen facile expedienda erit, ſi prius demonſtratum fuerit, *Hippocratem* id voluiſſe, quod de ipſo adfirmatur. Dabimus primo eius verba; deinde indagandus erit ſenſus; ac tandem ſoluendum dubium.

9. Verba, quæ in diſceptationem veniunt, leguntur in *libro prognoſticor.* ſeu *prænotionum f. m. 14.* Quod ad proprias cuiusque rei notas & reliqua ſigna attinet, probe noſſe minimeque ignorare conuenit, quod quouis anno & quouis anni tempore, mala malum, & bona bonum denuncient. Quandoquidem & in Lybia, & in Delo & in Scythia prædicta ſigna vera eſſe comprobantur.

10. Verborum autem ſenſum verum eſſe illum, quem *Galenus in Comm. III. ad hunc loc. f.m.42.* adfert, nullum videtur eſſe dubium, quando ita commentatur: Hiſce nihil aliud *Hippocrates* docere voluit, quam vtrumque genus ſignorum, quæ bona, quæque mala ſunt, ſibi ipſis idem ſignificare, in *omni regione*, ſiue ea calida, ſiue frigida, ſiue temperata ſit. Nam Africam pro calida, Scythiam (ſeu Thraciam) pro frigida, & Delum pro temperata inter vtramque media regione exempli cauſſa commemorauit.

11. Dubium autem omne euaneſcet, ſi ex Geographia generali diſtinguere voluerimus

1) inter

1) inter regiones *intenſe* calidas, *temperate* calidas & reſpectu illarum, *frigidiuſcula.*

2) inter climata *remiſſe calida, frigido*-temperata & *nimis frigida.* De prioribus valet *Hippocratis* adſertum & *Galeni* exegeſis; de poſterioribus autem, ſub quibus Germaniæ partem borealem, Belgium, Britanniam, Hiberniam, Daniam, Liuoniam, Sueciam, Ruſſiam complectimur, in ſenſu non niſi valde reſtricto, &, quod aiunt, limitato, iſta Duumuirorum intelligenda ſunt hypomnemata.

12. De contentis tandem abſceſſuum ſingularibus generatim notare ſufficiet, quod interdum, præter pus, variæ res peregrinæ, ex humoribus non abſcedentes, in praxi occurrant e.g. fragmenta oſſium, ligni, vitri, aut ferri, aciculæ, claui, plumæ, fila, lapilli, carbones, nodi ex pilis, laciniæ lintei, panni, vngulæ quadrupedum & ſimilia. Et quoties talia ſe offerunt, toties non temeraria ſubnaſcitur ſuſpicio veneficii adplicati, cuius ope abſceſſus hiſce noxiis repletus eſt. Quam caute autem hic incedendum ſit, *in conſpectu practico* diximus. *Galenus*, quod notatu non indignum videtur, pares hiſtorias de monſtroſis abſceſſuum contentis refert, ſed ſine vllo admirationis indicio, aut veneficii prægreſſi ſuſpicione. Nam *lib. XIV. de meth. med. cap. XII.* ſcribit: in abſceſſibus corpora ſolida, vnguium, pilorum, oſſium, lapidum & pori (Toffſtein) fragmentorum ſimilia eſſe inuenta. Et *lib. II. de arte curatiua lib. VII.* multa, lapidibus, arenis, teſtis, lignis, carbonibus, limo, ſorditiei balnei, fæci, aliisque talibus ſimilia corpora in abſceſſibus contineri & *ſæpenumero* inueniri.

TAB.

TABVLA XI. DE SPVTO.

I. DEFINITIO.

Sputum eſt materia excrementitia, quæ partim a ſaliua, partim ab aliis humoribus, e cerebro, naribus, palato, faucibus, pulmone aut œſophago deriuandis, ortum ducit & per os reiicitur.

II. DIFFERENTIA.

1. Malunt aliqui huic in ſyſtemate ſemeiologico capiti inſcriptionem ponere de *ſaliua;* ſed rectius ab aliis inſcribitur *de ſputo.* Saliua enim, σιαλος, humor vtilis & ad chymificationem neceſſarius, qua talis, non in *Semeiologia*, ſed in *Phyſiologia* attenditur. *Conf. Conſp. phyſiol. tab. de ſecret. ſaliuæ.* At ſputum, πτυελον, eſt excrementum ex pituita, bile, ſanguine & non raro pure confuſum, nullique vſui adcommodatum, ſed eiectioni deſtinatum.

2. Qui ex Semeiologis rem curatius determinare ſatagunt, ſputum eſſe dicunt, quidquid ſine vomitione per os reiiciatur. Alii vero pro ſputo *proprie* habere volunt, quodcumque e pectore ſeu pulmone procedens per os excernatur. *Conf. Proſp. Alpinus de præſ. vit. & mort. ægr. lib. VII. Cap. XVI. Th. Fienus de Semeiot. part. II. Cap. VII.* Quod ſi audiamus *Galenum*, propriam ſputi ſignificationem adhuc ſtrictiorem eſſe comperiemus. Is vbi de morbi lateralis ſignis differit, ſubinde prorſus nihil exſpui obſeruat, euidenti cum indicio, morbum eſſe crudum; interdum vero aliquid educi, ſed *non bonum. Eſt autem*, pergit, *hoc duplex: vnum quidem, quod ſolum caret coctione;* alterum *vero, quod prauum exſiſtit. Ab his*

his vero omnibus id, quod coctum eſt, ſeparatur, quod etiam proprie ſputum adpellant. Neque enim quod ſanguineum eſt ac bilioſum atque ſpumoſum ita nominamus ſed potius quodam modo ſputamen vocamus. Vid. lib. I. de criſib. cap. V.

3. Praeterea ſputorum differentiæ variæ quidem conſtituuntur, ſed non omnes eiusdem ſunt ponderis. Nam quæ tamquam *generalior* conſtituitur ſputi diſtinctio, ſcilicet *naturalis* & *præternaturalis*, nullius videtur momenti. In ſtatu enim naturali illud, quod ordinarie per os excernitur, *ſaliua* audit; nonnumquam vero pituita quoque ſaliua permixta e faucibus & œſophago exſcreatur. Improprie ergo & minus accurate ſputum & ſaliua a non nullis, tamquam ſynonyma, promiſcue ponuntur vel verius confunduntur.

4. Diffitendum non eſt, quod etiam in ſtatu ſubinde præternaturali non tam ſputum, quam ſaliua ſe offerat contemplanda & vario reſpectu diiudicanda; quando v. g. ſcopo primas vias abſtergendi largius adfluit, vt hoc modo materiæ viſcidæ, inibi hærentes, diluantur, & eliminationi aptiores reddantur. Accidit hoc præcipue in febribus intermittentibus, in quibus copioſior limpidæ ſaliuæ adfluxus quamdam quaſi ſaliuationem ſiſtere videtur.

5. Sputi ceterum differentiæ commode innoteſcunt, ſi obſeruentur eius

1) *Conſiſtentia* tenuis, aquoſa, ſpumoſa, craſſa, viſcida, mucoſa, grumoſa.
2) *Miſtura*, vbi ſputa vel ſincera, ſeu, vti veteres aiunt, mera, meraca, i. e. vno tantum humore conſtantia, adparent, vel e pluribus mixta & confuſa ſunt.
3) *Color*, albus, flauus, rufus, liuidus, niger.
4) *Odor*, vel nullus, vel debilis, vel grauis.
5) *Sapor*, inſipidus, ſalſus, acris, amarus.
6) *Figura*, plana, rotunda, globoſa.
7) *Quantitas*, parua, mediocris, copioſa.
8) *Effectus*, dolorem ex morbo & tuſſim ſedans vel vero vtrumque augens.

9) *Modus* exſcreationis facilis aut laborioſus.

10) *Matureſcentia* ſeu tenuis ac crudi in coctum mutatio, vel ſub morbi initium contingens, vel circa ſtatum demum ſuccedens.

6. Quemadmodum tandem ſignorum quidam contemtores ſputis nullam ſignificandi efficaciam ineſſe credunt, quia plures ſub orthoſtadia ſputa flaua, tenacia, viſcida, nigricantia, graueolentia excernunt, & plena tamen ſanitate gaudent: ita ſuadent contra alii experti practici, vt ſputorum inſpectio numquam negligatur. *Fr. Hoffmannus* ante plures annos id inculcauit, ſcribendo: *Saliuæ inſpectio ac examinatio in omni fere morbo ante omnia a Medico fieri debet, non ſecus ac ſanguinis vel vrinæ. Vid. eius diſſ. de ſomnambulatione in corollariis. Halæ 1695.* et *Galenus lib. III. de criſib. cap. III. In morbis thoracis atque pulmonis præcipue ſputamina ſunt animaduertenda.*

III. *PROGNOSIS.*

1. *Generalis.*

1) Sputum videndum, num ex ore æger exſcreet, num vero tuſſi aut vomitione reiiciat. *Hipp. Epid. VI. ſect. VIII. n. 24.*

2) Si bilis abundat flaua, ſputum pallidum aut flauum; ſi atra bilis, nigrum; ſi pituita, ſpumoſum & candicans; ſi ſanguis, rubrum reiicitur. *Galenus lib. V. de loc. adf. cap. III.*

3) In laterum paſſionibus *nihil* exſpuere, ac tuſſim tantummodo ſiccam habere, idem valet, ac in vrinis extreme crudum ſeu aquoſum eſſe. *Id. lib. I. de criſibus cap. XVIII.*

4) Quæcumquè ſputa ſuperantis cauſſæ prauitatem oſtendunt, veluti nigra, extreme ſunt exitialia *lib. I. de criſib. cap. VII. & lib. II. de criſib. cap. X. nigra* ſputamina omnium pernicioſiſſima iudicat.

5) Sputum, quod neque liquidum aut aquoſum admodum fuerit, neque craſſum valde aut lentum, id facile efferri ſolet, maxime vbi validæ fuerint vires. Etenim ſine vehementi thoracis contractione tuſſire nemo poteſt. At ſine

ſine valida tuſſi craſſos lentosque humores efferri impoſſibile, *Galenus lib.IV. de loc. adf. cap. VIII.*

6) Sputum cum fuerit exquiſite ſimile illi, quod aduenit ſanis, integram ſanitatem ſignificat inſtrumentorum, quæ reſpirationi dicata ſunt. Si autem formam naturalem amiſerit, læſa eſſe eadem demonſtrat. *Galenus lib. I. de criſ. cap. VII.*

7) Partium pneumonicarum & circumiacentium thoracicarum dolores, qui neque per ſputorum purgationes, neque venæſectionem, aut medicamenta purgantia & victus rationem ſedantur, eos ad ſuppurationem tendere ſciendum eſt. *Hipp. Prognoſtic. f. 8.*

8) Omnia ſputa, quæ dolorem non ſedant, mala ſunt; pesſima etiam nigra. *Ibid.* & *Coac. 391.*

9) Cui de ſanguinis ſputo periculum imminet, neceſſario tum exercitia, tum omnes ſupercalefactiones euitandæ ſunt. *Galenus de Venæſ. aduerſus Eraſiſt. cap. IX.*

10) Sputum concoctum, ſed pro morbi ratione paucum, inutile. *Alpinus.*

11) Sputum ſanguinis tuſſiendo excretum, craſſum & grumoſum, non eſt ſufficiens ſignum ad oſtendendum, quod e pulmone veniat. *Fienus.*

12) Sputum aquæ ſuperincidens, & facile diuiſum, pus eſſe ſignificat, cohærens vero, pituitam. Sed *Aretæus* ſolo adſpectu ſputa examinanda commendat, nec multum veteribus tribuit, qui aqua vel igne ſputamina explorant.

2. *Specialis.*

1) *In febribus.*

(1) In febribus frequentior eſſe ſolet ſputi defectus & ariditas, quam copia & oris ſuffuſio: ille æſtum & ſitim auget; hæc autem vtrumque tolerabilius reddit.

(2) In omnibus pulmonis & laterum doloribus ſputum *celeriter* promteque exſpui conuenit, ſputoque flauum valde permixtum adparere. *Hipp. prognoſtic. f. 8.*

(3) Sputum in morbo laterali vbi matureſcere & exſpui *tertio* die cœperit, celeriores ſolutiones facit; quod ſi tardius, tardiores. *Coac. 393. Et Galenus lib. I. de criſibus cap. V.* Si ſputum *ſtatim* adpareat, incipientem morbum facit breuiorem, ſi vero poſterius, longiorem. *Ib. cap. VII.*

(4) In omnibus, qui pulmonem adfligunt, morbis, bonum eſt, facile morbum ſuſtinere, dolore defungi, ſputum *promte* exſpuere, facile ſpirare, ſiti eſſe vacuum, reliquum corpus æqualiter incaleſcere ac molle eſſe. Adhæc ſomnos, ſudores, vrinarum eductionem laudabiliter fieri. Quibus contraria, mala ſunt. Quandocumque bona hæc omina ſputo aderunt, poterit ſecunda valetudo contingere: Quod ſi quædam adfuerint, quædam etiam abſuerint, non vltra decimum quartum diem vita producetur. At vero ſi contraria ſigna acceſſerint, celerius mors contingit. *Coac. 393.*

(5) Sputi cruditas ad ſeptimum vſque diem perſeuerare non debet, ſed potiſſimum intra quatuor primos dies mutari & concoqui: ſi minus, ſaltem ante ſeptimum: ſi enim quale ab initio fuit tale etiam perſeueret, non dubium eſt, quin morbum diuturniorem oſtendat, & longo poſt tempore concoctionem fore indicet. Sed cum in tanto ſpatio multa accidere contraria ſoleant; vel ægri errore, vel eorum, qui ei miniſtrant, vel ab externis etiam rebus, quæ præter opinionem eueniunt, vel aliquando Medici culpa; certe periculum eſt, ne ægri vires diſſoluantur ante, quam coctio ſucceſſerit. *Galenus in Comm. II. ad Hipp. prog. f. 32.*

(6) Cum exquiſite cocta adpareant ſputa, & multa, & ſine difficultate educta fuerint, tunc morbi *ſtatus* declaratur. *Galenus lib. I. de criſib. cap. XVIII.*

(7) Pleuritides ſiccæ & ἄπτυστοι, (ſputi expertes) grauiſſimæ ſunt. *Coac. 381.*

(8) In pleuriticis & peripneumonicis nihil exſpuere, periculo-

riculoſum eſt, in primis ſi nec poſt principium morbi ſputum coctum adpareat. *Alpinus.*

(9) In morbis thoracis inflammatoriis ſputa nonnihil ſanguinea excernere, bonum eſt: at valde ſanguinea, malum. Sed valde perniciofum eſt, ſi flaua bilis exſpuatur die ſeptimo, quia tunc iam adparere deberet ſputum coctum. *Fienus.*

(10) Crebræ ſputationes in phrenetitis cum perfrictione, non longe poſt nigrorum vomitum adfuturum nunciant. *Coac. 102. Prorrh. I. 6. 31.*

(11) In pleuritide adfectis dolores & aluum emolliri, ſputa colorari, nullos in pectore ſtrepitus fieri, vrinam recte procedere, vtile eſt. Quibus autem contraria eueniunt & ſputa dulceſcunt, moleſtia creatur. *Coac. 386. 390.*

(12) Quibus in pleuritide plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus oculusque aurugine ſuffuſus & caligine obductus eſt, in illis mors exſpectanda. *Coac. 388.*

(13) Qui ex pleuritide ſuppurantur, in quadraginta diebus poſt ruptionem pus ſputione reiiciunt. *Coac. 389.* Hæc benigna indigent interpretatione.

(14) Febricitanti cum ſudore ſputa defluentia leuia ſunt & minime maligna. In quibus videndum eſt, num alui madeſcant, quod equidem reor. Animatuertendum quoque eſt, num his ad articulos aliquid abſceſſuum ſperes. *Prorrh. I. 122.*

(15) In febribus acutis exſcreationes liuidæ, ſanguineæ, graueolentes & bilioſæ ſi ſubſiſtunt, omnes malæ; ſi vero bene ſuccedunt, bonæ, tum per alui excretiones tum per vrinas. At ſi quid eorum, quæ non iuuant, per hæc loca excernatur, malum. *Coac. 242. Aph. IV. 47. VII. 71.*

(16) In angina laborantibus ſubarida ſputa gracileſcenti-

bus faucibus malum prænunciant. *Coac.369.* Iidem niſi celeriter cocta exſpuant, perniciofe habent. *Coac.371.*

(17) Sputa ex angina, viſcida, craſſa, exalbida, vi educta, malum denunciant, omniſque eiusmodi maturatio mala eſt. In his multa deorſum purgatio, leui ſiderationis modo, mortem adfert. *Coac. 377.*

(18) Sputa ex angina ſubarida, crebra, per tuſſim & cum lateris dolore educta, perniciem minantur. Atque ea, quæ inter potandum per tuſſim reiiciuntur, quæque difficulter deglutiuntur, malum portendunt. *Coac. 378.*

(19) Quibus in pleuritide circa initia ſunt ſpuitiones in totum purulentæ, ii tertio aut quinto die moriuntur; quos ſi ſuperent, nec longe melius habuerint, ſeptimo, aut nono, aut vndecimo ſuppurati fiunt. *Coac.379.*

(20) Quibus cum bilioſo purulentum ſputum aut ſeorſim, aut ſimul permixtum educitur, ii vt plurimum decimo quarto die intereunt, niſi bonum aliquod ſignum contingat. Alioquin certe pro ratione mors exſpectanda eſt; in his præcipue, quibus ſeptimo die ſputum huiusmodi procedere cœpit. *Coac. 392.*

(21) Lateris dolor cum bilioſo ſputo præter rationem euaneſcens, ægros in vehementem & furioſam mentis motionem agit. *Coac. 418.*

(22) Sputum calidum & amarum in febribus bilioſis, æſtus augmentum & morbi exacerbationem nunciat.

(23) Sputum glutinoſum, paucum, male olens, exſpuere ſolent, qui febribus hecticis & lentis obnoxii ſunt; valde autem fœtidum ſi reiiciant, magna corruptio portenditur.

(24) Sputum in malignis febribus fœtidum, malum.

(25) Sputum amarore moleſtum in intermittentibus, humores bile abundantes indicat & difficilem inſuper morbi decurſum minatur.

(26) Spu-

(26) Sputum in acutis valde fœtidum aphtharum non raro prodit adflictionem.

(27) Vti ſputa calida extraordinarium humorum orgaſmum innuunt: ita frigida, motuum vitalium ominoſam arguunt tarditatem & propenſionem ad ceſſandum.

(28) Sputa *rotunda* delirium portendunt; qualia viſa ſunt ei, qui in Plinthio decumbebat & die quinto abſolutus eſt, poſtquam ei ſanguis e ſiniſtra nare profluxerat. *Hipp. lib. VI. epid. ſect. VI. 21.*

(29) In febre diſtractio velut a vomitu in exſcreationem deſinens, malum portendit. *Coac. 55.* Sed non ſemper.

(30) Quæcumque mammarum dolore ex febribus vexantur, eas ſanguinis concreti ſputio non fæculenta dolore liberat. *Coac. 553.*

2) *In aliis morbis.*

(1) Numquid magis pituitoſus ſit vel bilioſus humor, ex ſputaminum forma cognoſces. Nam & ſpumoſa & flaua & rufa & rubra & pallida & nigra exſpuunt.

(2) Ex iis, quæ quidem ſpumoſa ſunt, fluxum maxime pituitoſum oſtendunt; flaua autem bilioſum impermiſtum; quæ vero rufa ſunt, amaram quidem & iſta bilem referunt, ſed non paucam ſeroſam ſuperfluitatem cum bile commiſceri ſignificant, & multo copioſiorem, quando pallida quis exſpuerit.

(3) Sic & nigra melancholicum fluxum oſtendunt; ſicuti quæ magis rubida ſunt, plurimum quidem ſanguinis, minimum autem amaræ bilis in iis contineri ſignificant. Atque inter omnia ſputamina hæc ſunt mitiora; nigra omnium pernicioſiſſima. *Galenus lib. II. de criſibus cap. X.*

(4) Si citra febrim humor quiſpiam ſeroſus aut pituitoſus, in thoracis ſpatium ſubito defluens, ſpirandi difficultatem excitauerit, laborans tenue ac exiguum ſputum ab initio cum vehementi tuſſi reiicit; at vbi concoctum

coctum eſt, plus atque craſſius & cum mitiore tuſſi exſpuet. *Id. de loc. adf. lib. IV. cap. VIII.*

(5) Alba ſputa in morbis pituitoſis vtilia ſunt, in bilioſis vero & inutilia & mali indicii. *Alpinus.*

(6) Sputum album purulentum, malum. Indicat enim internæ partis exulcerationem & futuram tabem.

(7) Album pituitoſum inſipidum monſtrat catarrhum, aut frigidam pulmonis intemperiem; idem vero ſi ſalſum fuerit, exulcerationem inducere poteſt. *Fienus.*

(8) Sputum flauum, ſincerum, pernicioſum. Teſtatur enim morbum fieri a plurima bile, qui humor peſſimus eſt.

(9) Extra caſum inflammationis ſanguinem ſpuere, ſemper malum.

(10) Hypochondriacorum crebra ſputatio matutina ſæpe tolli poteſt modica portione ientaculi. Quæ vero præter id tempus obtinet, ſublato ipſo malo, ſimul perit. *Conf. Io. Mich. Starckloff diſſ. de ſputatione hypochondriacor. Halæ 1730.*

(11) Sputi paucitas in tabidis ſiticuloſitatem auget atque intenſiorem æſtum vrgere indicat.

(12) Tabidis, qui ſputo leuari volunt, conuenit ſputum tuſſi facile reiicere, album eſſe & æquale, vnius coloris, ſine pituita. *Prorrh. II. ſ. 72.*

(13) Tamdiu viuunt tabidi extenuati, quamdiu per tuſſim expurgare pulmonem poſſunt. At vbi pus intus remanet, ob reſpirationis vias obſtructas, facile ſuffocantur. Hinc *Hippoc. Aph. VII. 16. ex puris ſputo* φθισις *&* ρυσις, *tabes & fluxus, vbi vero ſputum ſiſtitur, moriuntur.*

(14) Sputorum retentiones in tabeſcentibus mentem ad delira verba commouent. *Coac. 437.*

(15) Quibus ſalſa ſputa cum tuſſi ſubſiſtunt, iis corpus velut eſfloreſcentibus puſtulis rubeſcit, ante obitum vero exaſperatur. *Coac. 243.*

(16) Pal-

(16) Pallidis gracilibus & crebra oris ſaliuatione laborantibus, ſudores in ſomnis boni ſunt. *Coac. 271.*

(17) Qui pus intro collecturi ſunt, iis primum quidem ſalſuginoſum; deinde vero ſputum dulcius exſpuitur. *Coac. 403.*

(18) Quibus tubercula in pulmone oriuntur, ii pus intra dies quadraginta, ex quo fit ruptio, exſpuunt, quos ſi ſuperent, vt plurimum tabidi fiunt. *Coac. 404.*

(19) Quo largius ſudor fluit, aut diarrhœa continuat, eo parcior quantitas ſputi animaduertitur; quod & ſub diureſi ſolito copioſiori contingit.

(20) Purulentos moderatius habentes ſi ſputa graueolentia conſequantur, recidiua interimit. *Coac. 406.*

(21) Sputum fœtidum, præter pulmonis corruptionem, non raro veneream inquinationem, digeſtionis vitium, ſtomocacen, cacochymicum ſtatum, ſcabiem, aut vlcera repreſſa arguit.

(22) Qui in morbo laterali ſputa reiiciunt purulenta, aliquantum bilioſa, aut purulenta, aliquantum cruenta iis temporis progreſſu imminet periculum. Perniciem quoque denunciant ſputa nigra, fuliginoſa, aut quæ nigri vini colorem referunt. *Coac. 407.*

(23) Quicumque ſpumantem ſanginem ſpuitione reiiciunt, cum præcordiorum dextrorum dolore, iis ex iecinore prodit, & plerumque pereunt. *Coac. 408. 450.* Quam vera hæc ſit adſertio, anatomes gnarus facile diiudicabit; etiamſi deeſſet experientia, quæ ſpumantem ſanguinem ex pulmone excerni ſatis comprobat.

(24) Sputa viſcida, ſalſuginoſa cum raucitate, malo ſunt. Quod ſi adhæc aliquid etiam in pectore ſublatum ſit, malum ſignificat. In his extenuatis ceruicis dolores perniciem denotant. *Coac. 413.*

(25) Sanguinem ſpuitione reiicientibus ſine febre eſſe conducit, ac tuſſi & dolore leuiter conflictari, ſputumque

 ad

ad dies quatuordecim tenuari. Intenſe autem febricitare, tuſſire, aut dolere ſanguinemque recentem ſemper ſpuere, minime conducibile. *Coac.* 427.

(26) Hepaticis ſputum multum cruentum, ſiue intus ſubputridum, ſiue ſincere bilioſum fuerit, ſtatim perniciem denotat. *Coac.* 446.

(27) Lumborum, capitis ac oris ventriculi dolor cum forti exſcreatione conuulſionis ſuſpicionem facit. *Prorrh. I.* 106.

(28) Tabidi, quorum ſputum, igni impoſitum, grauem nidorem redolet, & capilli e capite defluunt, ii moriuntur. *Coac.* 434.

(29) Si mulier ſuppreſſione menſium laborans circa illud tempus, quo fluere illi deberent, ſanguinem ſpuat, eumque copioſum, & antea lumborum dolore laborauerit; ſignum eſt, quod ab vtero ſanguis adſcendat, præcipue ſi poſt eius excretionem dolor lumborum mitigetur. *Fienus.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Vtra criſium rarior ſit, illa ne per menſes aut hæmorrhoides, an hæc per ſputamina, merito ambigi poſſet. Eſt tamen vero ſimillimum, ſputationem criticam, quæ morbum vere ſoluat, omnium eſſe rariſſimam. Et licet in caſibus clinicis, ab *Hippocrate* adnotatis, ſputorum, certo febris die excretorum, fiat mentio: aliam tamen ſimul ſubſecutam criſin vbique obſeruare licet. e. g. *libro III. epid. æg. VIII. f. m. 191. Anaxion Abderita,* ad Threicias portas decumbens *octauo* die tuſſes patiebatur ſiccas; *vndecimo* prodibant ſputa liquidiora; *decimo ſeptimo* cœpit pauca & concocta exſpuere & adleuatus eſt; *vigeſimo* autem *ſeptimo* plurima concocta reiecit; ſed *trigeſimo quarto* copioſo ſudore iudicatione abſolutus & febre liberatus eſt.

2. Quantum periculi ſputum ſalſum & acre minari ſoleat, ex ſuppeditatis manifeſtum eſt prognoſibus. Quam infida autem ex ſputo minus ſalſo & acri formari poſſit prædictio, ipſa loqui-

loquitur experientia. Ita olim vix non deceptus eſt *Galenus* in viro, qui humorem, liquidæ bili ſimilem, medii inter flauum & pallidum coloris & *nulla acredine* infectum exſpuit, ſed temporis progreſſu maiorem reddidit copiam; purulenta inſuper exſcreans, ſuborta febricula, tabeſcere cœpit, intra quatuor vero menſes, cum pure parum cruoris reiiciens, aucta febri, conſumtus eſt. Idem euenit alteri cuidam, de quo *vid. Galenus libro IV. de locis adfectis cap. VIII. f. m. 27.* Vnde ſputum flauum & inſipidum, ſeu ſalſuginis expers, nihilominus eſſe poteſt tam noxium, quam manifeſto ſalſum & acre.

3. Præterea de ſputo *nigricante* obſeruandum, quod noſtro tempore tale ſæpius exſpuatur a ſanis, neque tamen periculum portendat tantum, quantum olim minatum eſt calidarum regionum incolis, in quibus de humoribus, atra bile pernicioſe infectis, &, vt formula erat, *aſſatis*, ominoſum præbuit teſtimonium. *Nigrum* adhuc dum malum eſt; ſed nigricans, cineritium, ſimul lentum & craſſum, mane inprimis excernere ſolent tabacophili, quorum fauces ſubinde camino ſimiliores ſunt, quam canali aëris & ciborum tranſitui dicato.

4. Ita de ſanguinis pariter ſputo non temere pronunciandum, illud pulmonem male adfectum indicare & pernicioſam phthiſin imminentem portendere; cum interdum ex capite ſtillans ſanguis affatim per os exſpui poſſit, pulmone prorſus illæſo. Exemplum vberioris eiusmodi ſputi ſanguinei præbet ipſe *Alpinus,* qui aliquando critice copioſum ſanguinem, in febre quartana, tuſſi reiecit & inde febre liberatus eſt. *Vid. huius auctoris de præſ. vit. & mort. lib. VII. cap. XVIII.*

5. De ſputo *fœtido* non minus circumſpecte præſagiendum eſt, quia cauſſæ ſubinde ſubſunt leuiores, quam pulmonis corruptio; quibus ſublatis graueolentia ſponte aufertur. Ne igitur metum irritum incutiamus conſulentibus, curatius inquirendum erit in reliqua momenta, quæ ad prædicendum conferre aliquid valent, ne vmquam ex ſolo ſputi fœtore pulmonis exulcerationem & tabem prænunciemus.

6. Tandem diſquiri ſolet, quodnam ſit perniciofius, ſi ſanguinis ſpuitioni ſuccedat ſputum puris; vel ſi puris reiectionem ſequatur ſputum ſanguinis? De priori, quod malum ſit, nihil dubitatur. *Hippocrates Aph. VII. 15.* id adfirmat: *Ex ſanguinis ſputo*, dicens, *puris ſputum malum eſt.* De poſteriori itidem facile conſtare poterit, illud ipſum priori non eſſe tolerabilius neque ſalutarius. Si enim puris ſpuitionem iterum excipit ſputum ſanguinis; nouam omnino vaſculorum ſanguiferorum diſruptionem indicat, ſiue ab acri materia erodente productam, ſiue ab auctioribus humorum congeſtionibus, verſus pectus directis, concitatam. Vndecumque ergo prouenerit, vbique ſane vlcerationis in parte tenera augmentum & funeſti exitus certum præbet indicium.



TAB.

TABVLA XII.

DE
SENSVVM ET MOTVS VOLVNTARII ALTERATIONIBVS.

I. DEFINITIO.

Senſuum & motus voluntarii alterationes in Semeiologia denotant actionum rationalium & animalium modo extraordinarium vigorem, modo hebetationem; plerumque autem turbationem, cum inſueta, inepta & periculoſa adplicatione coniunctam, ſæpe etiam ceſſationem inuoluentem.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quinam ſenſus ſint interni, qui externi, & quam potentiam quisque ſigillatim denotet, id in *Conſp. Phyſiol. tab. XXVII.* plenius ediſſeruimus. In Semeiologia iam non attendimus, quid ſint, ſed quot modis alterari poſſint, & quid ipſæ alterationes portendere ſoleant.
2. Accidunt vero alterationes
   1) *Senſuum internorum*
      (1) in *phantaſia* ſeu *imaginatione*, quæ ſecundum veteres
         a) Vel *vitiatur*, qui ſtatus proprie *inſania* dicitur.
         b) vel *deficit*, aut valde imbecilla eſt, velut in *comate* & *lethargo*.
         c) vel *reſoluitur*, vt in *catalepſi*, ſeu, vti alii malunt, in *caro*.
      (2) in *ratiocinatione*, quæ
         a) Quando *minuitur*, *fatuitas* adpellatur; vnde *fatuus* habetur is, qui licet res intelligat, inepte tamen iudicat.

 b) Quan-

b) Quando *reſoluta* eſt, *amentia* vocari ſolet, cuius leuior gradus habetur *mentis inconſtantia* ſeu motio, quæ quid proprie ſit, facile perſpicietur, ſi prius dictum fuerit, quid mentis ſignificet *conſtantia.* Mente vero conſtare dicuntur ii, qui actiones voluntarias firmiter ac ſine læſione exercent, & in illis obeundis decorum ſeruant, ſine ſenſuum internorum vacillatione. *Galenus* breuiter: qui ſingula rationi conſentanea ſine interruptione loquuntur aguntque, iis mens conſtat.

c) Quando *vitiata* eſt, *delirium*, ſeu *amentia continua* dici ſueuit. Delirium vero vel cum febre, vel ſine febre eſſe ſolet; & poſterius vel in decumbentibus, vel orthoſtadia fruentibus.

α) *Delirium cum febre*, quod antiquitus ordinarie *phrenitis* dicta fuit, ſæpius quidem in febribus obſeruatur, raro tamen phrenitis eſt. Quocumque autem modo delirium in febribus ſe habeat, *triplex* ſolet conſtitui:

1. Μανιώδης, *tumultuoſum*, in quo ægri calcitrant, excandeſcunt, mordicus impetunt & obuios quosque pro hoſtibus habent.
2. Θηριώδης, ferinum, furioſum, vbi ad immania quæque patranda progreſſus fit.
3. Ασαφώδης, obſcurum, in quo ſimulata vbique taciturnitate & quiete, ægroti nihilo minus grauiter delirant; de quo in *obſeruationibus* plenius.

β) *Delirium ſine febre*; cuius ſpecies ſunt

1. *Melancholia*, in qua æger non quidem vere mente motus eſt, attamen variis præfigurationibus, ſiue iucundis, ſiue anxiis, ſiue grandia portendentibus, ad vitalium vſque actionum vitium inhærent, de reliquo autem intra modeſtiæ limites ſe continent.

2. *Ma-*

2. *Mania* eſt melancholia intenſior & irrequieta, varios inuoluens actus, qui exſecutioni conceptuum & præfigurationum deſtinantur.

3. *Orgomania* eſt delirium tranſiens, e nimia animi excandeſcentia ſeu furore enatum. Vnde iam pridem dictum eſt; *Ira furor breuis.*

4. *Orcheſtromania* ſeu inſana ſaltandi libido, qua de re *vid. Conſp. pathol. tab. de morbis animi.*

5. *Erotomania* ſeu inſania ex amore libidinoſo. *Conf. Iuſt. Veſti diſſ. de ægro melancholia amatoria variisque grauibus ſymptomatibus laborante. Erford. 1705.*

6. *Lycanthropomania* ſeu delirium hominis, qui ſe in lupum conuerſum eſſe credit.

7. *Dæmonomania* ſeu inſania ex obſidente malo ſpiritu proueniens.

(3) in *memoria*, quæ

a) *Læſa* vel debilitata audit, quando mox elabitur, quod impreſſum eſt, ſed reminiſcentiæ tandem beneficio iterum ſuccurrit.

b) *Deperdita*, quæ *obliuio* nuncupatur, & reminiſcentiæ defectum ſeu ceſſationem ſimul inuoluit; idque vel ſine læſione rationis, vel cum eius vitio.

(4) in *actiuitate nimia* & *ſomni defectu*, qui varios iterum habet gradus. e. g.

a) *Dyſypnia*, quando difficulter admodum ſomnus obtingit.

b) *Brachypnia*, cum quis nec profunde, nec diu dormit, cuius oppoſitum dicitur *Macrypnia.*

c) *Micrypnia*, cum minimus quoque ſtrepitus ſomnum turbat & peruigilium inducit.

d) *Agrypnia*, ſeu omnimodus ſomni defectus. De ſomni exceſſibus *cathypnia* ſcilicet, *comate*, *lethargo*, *caro*, *typhomania*, itemque de *ſomnambulatione* actum eſt in *Conſp. Pathologiæ.*

e) *In-*

e) *Inſomnia*, quæ phantaſiæ ſub ſomno operantis effectus ſunt, & contingunt

α) in *ſtatu naturali*, vbi

1. vel *ſanitatem* firmam adeſſe indicant,
2. vel *morbum* imminentem produnt.

β) in *ſtatu præternaturali*, in quo

1. vel *reualeſcentiam* præmonſtrant,
2. vel *difficilem decurſum*, aut morbi funeſtum exitum præſagiunt. Reliquæ inſomniorum, naturalium, diuinorum, a malo genio inductorum, ſpecies, quas *Oneirocritici* diſtinguendas iubent, & *Oneiromantæ* cum cura obſeruant, Semeiologi ſcopum prorſus non tangunt; vnde neque recenſeri merentur.

2) *Senſuum externorum:*

(1) in *viſu*, cuius obſeruari ſolet

a) *Senſibilitas* in morbis extraordinaria, quæ ob nimiam organorum opticorum intenſionem contingit; vnde in febribus plerumque impatientes ſunt luminis.

b) *Hebetatio* ſeu *obſcuratio*. Quod enim ad reliqua læſi viſus vitia attinet, quæ imperfectionem, interceptionem, aut abolitionem ſub ſe comprehendunt, locum in Semeiologia non inueniunt; a Pathologis autem & Chirurgis traduntur curatius.

(2) in *auditu*, vbi occurrunt

a) Δυσηκοια ſeu auditio *deprauata*, quando intra aures ſemper aliquem ſonum percipere ſibi videntur ægri, pulſantem, ſtrepentem, tinnientem, ſuſurrantem.

b) Βαρυηκοια, auditio *imminuta*, ſurdaſtris familiaris, qui non audiunt, niſi ad aurem aliquis clare loquatur aut inclamet.

c) Ανηκοια, auditio *abolita*, aut ad tempus intercepta.

(3) in

(3) in *olfactu.* Hic itidem varie alterari ac lædi ſolet. Modi ſeu ſpecies læſionum ſunt:

a) Δυσοσμια, quando longe alium percipiunt odorem, quam quidem ſubiecta odorifera reuera ſpargunt.

b) Βαρoσμια ſeu olfaciendi *difficultas*, in qua non niſi proxime naribus admota, & penetrantem odorem ſpirantia, olfactu percipi poſſunt.

c) Ανοσμια ſeu olfactoriæ potentiæ deſtitutio, *abolitio. Vid. Anton. van der Linden melet. med. Hippoc. lib. III. §. CV.*

(4) in *guſtu.* Eius deprauationes trifariam ſe manifeſtant. Vel enim

a) *obtuſus* eſt ſapor, vt valde ſapida tantummodo discernere poſſit.

b) *deprauatus*, vt quoduis guſtatum amarum vel ſalſum ſaporem habere videatur.

c) *plane deficiens*, vbi ſubiecta quæuis ſapidiſſima nihil quaſi ſapiunt, ac ſi reuera ſilicis inſtar eſſent inſipida.

(5) in *tactu*, cuius notetur

a) *Imminutio*, ſeu *ſtupor*, quando in parte quadam obſcure nimis exercetur: qui tamen cum *torpore* minime, quod vulgo fit, confundendus eſt. Hic enim motum imminutum; ille vero ſenſum deficientem inuoluit.

b) *Deprauatio*, quæ potiſſimum ſe exſerit

α) in *Doloribus*, quorum plures occurrunt, vt ſunt: acer, acerbus, acutus, qui ſinguli dicuntur *moleſti.* Aeſtuoſus, anxius, conuulſiuus, coquens, corroſiuus, crucians, dirus, diuturnus, extremus, fixus, forans vulgo *terebrans*, formicans, fuſus, grauans, grauis ſeu toleratu difficilis, igneus, lacerans, lenis, lentus, vterque dicitur *leuis*, magnus, mediocris, mortifer, multus, nimius, ob-

 tuſus,

tuſus, oſſifragus, palpitans, paruus, pertinax, profundus, pruriginoſus, pulſans, pungens, rabidus, rarus, ſtrangulans, ſtupidus, ſuauis, qualem ſentiunt ſcalpentes ſcabiem, ſubitus, tendens, titillans, torminoſus, torpidus, trahens, vagus, vehemens, verminoſus, vlcerans alias *mordax*, vrens. *Conf. Galeni lib. II. de loc. adf. cap. VII.*

ϐ) in *vocis læſione*, quæ

imminuta eſt, v. g.

in *hemiphonia*, vbi vox adeo ſubmiſſa, vt ægerrime poſſit intelligi.

in *microphonia*, vbi dicta non niſi auribus, loquentis ori admotis, percipiuntur.

deprauata

in *baryphonia*, in qua vox ſolito grauior eſt.

in *oxyphonia*, vbi acutior obſeruatur.

in *dyſphonia*, in qua clangentium inſtar interciſa & inæqualis obſeruatur, e graui deſinens in acutam.

abolita, cuius ſpecies ſunt

1) *Alalia*, ſeu vocis defectus a *priori*, idiopathicus, mutis natis familiaris.

2) *Aphonia* ſeu *Anaudia*, quæ vocis ceſſationem ſymptomaticam arguit. *Conf. Tab. de mot. ton. alterationibus.*

γ) in *loquelæ* vitio, quod ſe potisſimum manifeſtat

1. *Silentio*, ſeu obſtinato non loquendi ſtudio.

2. *Garrulitate*, ſeu continuo inepta quæque effutiendi exercitio.

3. *Thraſymythia*, ſeu temerario ac præter conſuetudinem feroci reſpondendi habitu.

c) *Abolitio*, vti in *catalepſi* & αναισθησια.

III. *PRO-*

III. *PROGNOSIS*

1. *Generalis.*

De ſenſibus internis.

1) Mente conſtare & bene habere ad ea, quæ offeruntur, quouis in morbo bonum; contrarium vero malum. *Aph. II. 33.*

2) Mentis conſtantia, licet ex bonis ſignis ſit, nullo tamen modo vnice ſalutem prædicere valet; quia multi febrientium occurrunt, qui ſine vlla mentis vacillatione ſpiritum efflant.

3) At in inflammationibus diaphragmatis, ſpinalis medullæ, cerebri aliarumque partium neruoſorum, cum cerebro per neruorum diſtributiones communicantium, mente conſtare, non vltimum recuperandæ ſalutis eſt indicium. *Alpinus.*

4) Qui in morbo loquuntur vel faciunt, quæ rationi minus ſunt conſentanea aut inſueta, ii mente non conſtare credendi ſunt. Vnde iam *Hippocrates in Coac. prænot. 47.* Præter conſuetudinem aliquid facere, aut aliquid propenſius curare, & magno ſtudio eniti, prius non conſuetum, aut contrarium, prauum & delirio proximum.

5) Quæ ſenſim fiunt feroces mentis emotiones, in melancholicas euadunt. Quod ſi ex menſtruorum ſuppreſſione accidant, in ferinas tendunt, quales ſæpe contingunt. Videndum igitur, num feminæ huiusmodi conuulſionibus ſint obnoxiæ. Immo animaduertendum, num vocis defectiones cum *caro* conuulſionem minentur, veluti cerdonis filiæ erumpentibus menſibus euenire cœpit. *Prorrh. I. 123. Coac. 85. Prorrh. I. 26.*

6) In homine moderato ferox & audax reſponſio & vox acuta, malum portendunt. *Prorrh. I. 44. Coac. 55.*

7) In rigore familiares non agnoſcere, & eorum, quæ geſta ſunt, *obliuiſci*, malum indicat. *Prorrh. I. 64. Coac. 6.*

8) Senſus *interni* eo vehementius a motuum vitalium exacer-

bationibus turbantur, quo ſenſibiliora eſſe ſolent ſubiecta: quod in motibus orgaſticis, congeſtoriis & ipſo ebrietatis vitio ſatis manifeſtum fit.

9) Quæuis *mutatio* in phantaſia, iudicio, memoria, moribus, corporis geſtibus, voce ac ſermone, hominem ægrotum vel iam manifeſto delirantem, vel delirio proximum indicant.

10) *Obliuio* in morbis αλογα, ſeu præter rationem contingens, delirium portendit, & hominem alium a ſe ipſo factum oſtendit. Exemplum præbent illi, qui matulam, quam mingendi cauſſa popoſcerunt, manu quidem tenent, ſed lotio non emiſſo adſtantibus tradunt.

11) *Senſibilitas* ſub morbis multum difformis, inſolita, maior vel minor impatientia, taciturnitas, tranquillitas, delira mens circa vnicam tantum rem verſans & errans, ſæpe minantur periculum. *Rud. Wilh. Crauſe in theſ. ſemeioticis Ienæ 1711.*

12) *Deliria*, niſi critica fuerint, in morbis periculoſa ſunt. Si enim conſiderentur vt *ſignum*, cerebrum male adfectum, vel alias partes, quibus cum cerebro conſenſus eſt, læſas indicant. Si vt *cauſſa*, ægros immorigeros reddit, vt tam monita, quam adſumenda ſpernant, & per ominoſas regiminis anomalias morbum magis periculoſum reddant. *Fienus.*

13) *Deliria*, quæ cum magno motu & corporis agitatione coniuncta ſunt, & venæſectionem, cucurbitulas, clyſteres, cataplaſmata & alia topica prohibent, eo ſunt nocentiora, quo maior inde corporis delaſſatio, virium iactura & humorum orgaſmus conſequuntur. *Idem.*

14) *Deliria* aut meliora ſunt, aut deteriora; & hoc quidem pro ratione temporis, morbi, virium, coctionis, cruditatis aliorumque ſymptomatum. *Idem.*

15) *Deliria*, quæ cum riſu fiunt, tutiora ſunt: at quæ ſtudio adhibito exercentur, periculoſiora. *Aph. VI. 53.*

16) *Delirium* cum ſilentio, quando deliria ferocia & turbulenta

lenta excipit, vires valde attritas & iam deperditas arguit. *Fienus.* Aliquando *lethargum* complicatum indicant, aut *aphoniam.*

17) *Deſipientiæ* omnes præ debilitate contingentes, teſte *Galeno*, ſunt exitioſæ. *Alpinus.*

18) *Delirium*, quod cum notabili obliuione, ignauia ac ſtupiditate euenit, adparens exitii eſt præſagium. *Idem.*

19) *Fatuitas* & obliuio, etiam in homine non ægrotante, timendæ ſunt, quia morbum grauiorem prænunciant. *Idem.*

20) *Delirium* vtut maius malum ſit: per ſe tamen ſolum certum exitii non præbet ſignum.

21) *Delirium* leue, cum aliis bonis ſignis, nihil timendum. Neque illud periculoſum, quod per acceſſiones tantum euenit.

22) Si quod *delirium* breue omnique ferocitate carens fuerit, benignioris naturæ æſtimandum eſt.

23) *Delirio* durante nihil, aut ore hiante dormire, malum. *Aph. II. 2.*

24) Profundi *ſomni*, neque turbulenti, iudicii firmitatem denunciant. Turbulenti vero non ſine corporis offenſione inſtabiles ſunt & infirmi. *Coac. 151.*

25) *Somni*, quales eueniunt ſopore oppreſſis, item totius corporis perfrictiones, perniciem oſtentant. *Coac. 181.* Sopor profundus & altus omnino damnandus. *Coac. 178.*

26) Quorum vel memoria vel intellectus periit, *ſomnos* obſeruare oportet, vtrum vehementer, an modice ſomnolenti ſint, aut omnino non ſomnolenti, ſed quantum ad ſomnum pertinet, ſecundum naturam ſeſe habeant. *Galenus lib. III. de loc. adf. cap. V.*

27) *Somnus* & *vigilia* vtraque, ſi modum excedant, malum denunciant. *Aph. II. 3.*

28) Quod ad ſomni rationem attinet, quemadmodum a natura nobis conſuetum eſt, interdiu quidem vigilandum, noctu vero dormiendum. Quod ſi iſtud immutatum fue-

rit, deterius exiſtimandum. At minimum offenditur *æger*, ſi prima luce dormiat ad tertiam diei partem; qui vero poſtea ſomnus contingit, deterior eſt. *Hippocrates Prognoſtic. ſ. 6.*

29) Peſſimum, ſi ægrotans neque noctu neque interdiu dormiat. Nam aut ob dolorem inſania adeſt, aut delirii adfuturi hæc nota erit. *Ibidem.*

30) *Somnus* in morbo laborem faciens, lethalis; quod ſi autem iuuet, minime. *Aph. II. 1.*

31) Vbi *ſomnus* delirium ſedauerit, bonum. Malum autem a ſomno non mitigari. *Aph. II. 2.*

32) *Somnus* profundus cum pulſus debilitate, malus. *Auicenna.*

33) Quibus bibendi de noctu adpetentia eſt, iis admodum ſitientibus, ſi obdormiuerint, conducit ſomnus. *Aph. V. 27.*

34) Qui *ſopore* detinentur cum incontinente corporis iactatione, præcordiorum dolore & praua vomitione, ii tubercula ad aures habent. Sed & antea circa faciem tumores adparent cum ſopore. *Coac. 183. 185.*

35) Labores, otia, *ſomnos*, *vigilias* in conſiderationem adhibere oportet. Quin etiam quæ in ſomno fiunt & *inſomnia* videnda ſunt. *Epid. VI. ſect. VIII. n. 26. 27.*

36) Ex *inſomniis* mortem vel ſanitatem diuinare licet; quod plurima & inter illa etiam illuſtrium perſonarum exempla probant. *R. W. Crauſe theſ. ſemeiot. 80.*

37) Qui de his, quæ per ſomnos contingunt, recte coniectauerit, is ea per omnia magnam vim habere comperiet. *Hippocrates in libro de inſomniis.*

38) Quæ *inſomnia* de diurnis actionibus mens humana veſperi ſub noctem in ſomnis offert, & eodem modo reddit, quo per diem in re iuſta, geſta, aut conſulta ſunt, ea bona & ſanitatem portendere exiſtimanda ſunt; propterea quod animus neque plenitudine vlla, neque alia re quauis extrinſecus irruente ſuperatus, in diurnis conſiliis perſeuerat. *Ibidem.*

29) *In-*

39) *Inſomnia*, quæ diurnis actionibus aduerſantur, neque de his inter ſe conuenit, cum id contigerit, perturbationem in corpore denunciant. Et vehemens quidem, malum vehemens, leuis vero debilius indicat.

40) Quodcumque ex ſideribus cæli purum fulgidumque per *inſomnium* adparet, ſanitatem denunciat, quoniam ex æthere in hominem venit; tale vero, quale ingreſſum eſt, animus etiam cernit. Quod autem nigrum, impurum, minimeque perſpicuum fuerit, morbum portendit, non ob plenitudinem, aut euacuationem, ſed ex eo, quod extrinſecus inductum eſt. *Hipp. de inſomniis ſ. 47.*

41) Quidquid *purum* ſeu *candicans* a Deo ſumere ſibi quis videtur, id bonum eſt ſanitatis augurium. *Ibidem.*

42) Si quis clementi cælo, molli pluuia complui & neque vehementer, neque cum graui tempeſtate demiſſa madefieri videatur, bonum eſt. Purum enim ſpiritum ex aëre ingreſſum ſignificat. At ſi his contraria contingant, vt quis vehementer complui aqua impura ac cum tempeſtate ac procella videatur, morbum portendit. *Ibidem.*

43) Hæc pariter ſanitatem portendunt, ea, quæ in terra fiunt, acute cernere & audire, firmiter item iter facere, ſecure ac ſine metu currere, terram planam & bene cultam videre, arbores item pullulantes, fructibus onuſtas & ſatiuas. Flumina etiam curſu ſolito labentia, & aqua limpida neque copioſiori neque pauciori, quam conueniat, fonteſque & puteos eodem modo. Hæc omnia viſa ſanitatem homini denunciant. *Ibidem.*

44) Terra aſpera per inſomnium viſa, carnem minime puram indicat. *Ibidem.*

45) Si ab arboribus folia decidant, ab humidis & frigidis offenſionem denotat. Si vero frondoſæ fuerint, ſed fructu careant arbores, a calidis & ſiccis. *Ibidem.*

46) Flumina non pro more exſiſtentia, ſanguinis ambitum, denotant; & plus iuſto quidem fluentia, exſuperantiam, minus vero, defectum. *Ibidem.*

47) Ma-

47) Mare perturbatum, ventris morbum ſignificat. *lib. cit. f. 48.*

48) Terra aut domus ſi moueri videatur, ſano imbecillitatem, ægro vero ſanitatem præſentisque ſtatus immutationem portendit. *Ibidem.*

49) Terra ab aquæ aut maris diluuio inundari ſi videatur, morbum ob multam humiditatem, in corpore exſiſtentem, denunciat. *Ibidem.*

50) Sed neque nigram, neque exuſtam terram videre, bonum cenſetur, contra vero, ne vehemens & lethalis morbus conſequatur, periculum eſt. Siccitas enim in carne exſuperantiam ſignificat.

51) *Veſte alba & calcimento pulcherrimo* indutum eſſe, bonum. Quidquid horum iuſto maius fuerit, minime bonum, ſed neque quodcumque tandem minus fuerit. *Nigra* vero morboſiora & periculo proxima. *Ibidem.*

52) *Noua* vidiſſe, transmutationem ſignificat. Mortuos nitidos & candidatos videre & purum aliquid ab ipſis ſumere, bonum. Si vero atratos & ſordidatos aut ex ædibus aliquid exportantes videat, morbum indicat. *Ibidem.*

53) Quæcumque ex conſuetis per quietem quis ſibi cernere videtur, ea animi deſiderium ſignificant.

54) Fluuiorum tranſitus, hoſtes armati, monſtra difformia, morbum aut furorem præſagiunt. *Ib. f. 49.*

55) Si homines vix ſe ipſos mouere & onera quædam gerere in ſomnis ſuſpicentur; tum grauante humorum copia vexantur. *Galenus de dig. ex inſomn.*

56) Quæ ægroti in ſomnis aut perſpiciunt, aut facere ſe exiſtimant, ea ſæpenumero aut deficere aut redundare humores, aut eorum qualitates nobis indicare videntur. *Ibidem.*

57) Si quis per inſomnium videat incendium, hunc flaua bilis vexat: ſi imbres; abundare frigidum humorem argumento eſt. Vt ſi niuem, ſi glaciem, ſi grandinem; frigidam pituitam. Si quis vero in fœtido loco eſſe videatur,

De ſenſibus externis.

58) Senſus alicuius læſio, ſine manifeſto organi ſenſorii vitio contingens, vtique ominoſum.

59) *Oculi* hebeſcentes & obtuſi improbandi ſunt; quin & fixi ac caligine obducti malum portendunt. *Prorrh. I. 46. Coac. 225.*

60) In his, qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labium aut oculus, aut naſus peruertitur, mors denunciatur. *Coac. 72.*

61) Caligine obducti *oculi*, aut eorum album rubeſcens, aut liueſcens, aut nigris venis refertum, nihil boni præ ſe fert. *Coac. 218.*

62) *Surditas* cum vrinis prærubris non ſubſidentibus & enæoremate, mentis emotionem minantur. *Prorrh. I. 32. Coac. 198.*

63) Aurium ſonitus, cum viſus hebetudine & ad nares grauitatis ſenſu, mentis exceſſum ac ſanguinis ex naribus profluuium præſagiunt. *Coac. 194. 195.*

64) *Olfactus* læſus, extra ſtatum morbidum, membranæ mucoſæ vel nimiam ariditatem, vel moleſtam emollitionem, aut etiam muci tenacius adhærentis copiam arguit.

65) *Guſtum* ſaliuæ defectus hebetiorem reddit; aliquando & feruidorum frequens guſtatio, aut calidorum nimis ingeſtio vitiare ſolet.

66) Qui capitis doloribus & aurium tinnitibus, citra febrem, aut tenebricoſa vertigine, & vocis tarditate manuumque ſtupore tentantur, in iis aut apoplexiam, aut epilepſiam, aut etiam obliuionem metuere conuenit. *Coac. 161.*

De doloribus.

67) Dolores, qui ſine febre inuadunt, non quidem interficiunt, ſed plurimum diuturni ſunt, multasque mutationes ac recurſus habent. Atque horum genera primumquidem in capitis doloribus ſpectantur, quorum quidam leues ſunt, quidam etiam longe grauiores. *Prorrh. II. ſ. 89.*

68) Quibus dolores capitis & frontis contingunt, tum ex ingentibus ventis, tum ex frigore poſt vehementem æſtum, eos coryzæ potiſſimum liberant. *Ibidem.*

69) Qui dolores ſine cauſſa & diuturni & totum caput occupantes, iam graciles & viribus exhauſtos adfligunt, in his attendendum morbum priore longe eſſe grauiorem. Quod ſi in ceruicem & dorſum, relicto capite, dolor deſcendit, rurſusque in caput recurrit, adhuc grauior exiſtimandus eſt. Omnium vero maxime terret, ſi ex capite ad ceruicem & dorſum peruenit. *Ibidem.*

70) Quando duo dolores diuerſa loca occupant, vehementior alterum obſcurat. *Aphoriſ. II. 46.*

71) Quibus bene valentibus *capitis* dolores repente obtingunt, ſtatimque voce deficiunt & ſtertunt, intra dies ſeptem pereunt, niſi febris eos prehenderit. *Aph. VI. 51.*

72) Quibus, absque febre & coloris fœditate, frequens adeſt *verticis* & *temporum* dolor, ſi plane nullus alius adfuerit faciei abſceſſus, aut vocis grauitas, aut dentium dolor; iis ſanguinis e naribus eruptionem fore ſpes eſt. *Prorrh. II. ſ. 91.*

73) Dolores ſenſim ingraueſcentes, ſi ad *iugulum* & ſuperiores partes tranſeant, perniciem minantur. *Coac. 70.*

74) In grauibus & acutis *capitis* doloribus, cum torpore & grauitatis ſenſu, procliues ſunt conuulſiones. *Coac. 171.* Capitis dolor, cum ſopore & grauitatis ſenſu, quodam modo conuulſiones accerſit. *Coac. 174.*

75) Qui *capite* dolent, cum leni aliqua ſurditate, manuum tremore, ceruicis dolore, nigricantes reddentes vrinas & denſas, ii ſi nigra vomitione refuderint, pernicioſe habere ſuſpicandi ſunt. *Coac. 176.*

76) *Ceruicis* dolor, *oculi* prærubri, ſanguinis eruptionem prænunciant. *Prorrh. I. 137.*

77) *Ceruix* dura, cum dolore, & maxillarum connexio ac iugularium venarum palpitatio vehemens, cum tendinum diſtenſione, perniciem minantur. *Coac. 261.* Obſeruat hic *Foëſius* :

Foëſius: ſymptomata plethorica hic deſcribi & perniciei vocabulo conuulſionem ſubaudiri.

78) *Faucium* gracilium præfocantes dolores, vbi ex capitis doloribus ortum duxerint, conuulſiones adferunt *Coac. 262.*

79) *Fauces* leuiter exaſperatæ, & *aluus* inanibus exſurrectionibus fatigata, *frontis dolores* in ægris palpantibus & more inueſtigantium ſenſim contrectantibus aut dolore adfectis, ſi quæ ex his increſcunt, moleſtiam exhibent. *Coac. 267.*

80) Vehementes *faucium* dolores aurium tubercula & conuulſiones excitant, itemque ceruicis ac colli dolores. *Coac. 268.*

81) *Humerorum* dolores, qui ad manus tendunt, torporesque & dolores exhibent, abſceſſus certe ad aures non conſequuntur, ſed atræ bilis vomitione ſanantur. *Prorrh. II. ſ. 92.*

82) Dolor in *pectore* fixus, cum torpore, malum exhibet. Hi ſi ſuborta febre exæſtuent, celeriter mortem oppetunt. *Prorrh. I. 70.*

83) *Præcordia* ſine vllo doloris ſenſu æqualiter mollia eſſe oportet. At inflammatione tentata, aut inæqualiter adfecta, aut dolore vexata, non contemnendæ ægritudinis notas præ ſe ferunt. *Coac. 279.*

84) Quos derepente ſine febre *præcordiorum*, aut *oris ventriculi* dolor, aut *crurum*, & inferiorum partium adfligit aluusque intumeſcit, venæſectio, aut alui fluxus ſolutionem adfert. Iis febricitare noxium eſt. Nam & longæ & vehementes febres ſubnaſcuntur, ac tuſſes, ſpirandi difficultas atque ſingultus fiunt. Atque his in ſolutionem ſpectantibus vehemens coxarum dolor, aut crurum, aut purulenta ſputatio, aut oculorum orbitas ſuccedit. *Coac. 294.*

85) *Oris ventriculi* dolor, ſeniori crebro adueniens, repentinam mortem denunciat. *Coac. 286.* Hic dolor niſi vehementiſſimus fuerit, tametſi ſæpius recurrat, nec mortem, nec repentinum exitium adferre poſſe videtur.

86) Quæ ægritudines ex *dorſi* dolore initia ducunt, difficiles ſunt. *Coac. 309.*

87) Si *lumborum* dolor diu detinet, cum æſtu implacido, tenui ſudore circa caput & thoracem oborto, pernicies denunciatur. *Prorrh. I. 42.*

88) Si dolor *inteſtina* torquens & genuum grauitas & lumborum dolor, citra febrem, adfuerint, medicamento catharctico opus eſſe ſignificat. *Aph. IV. 20.*

89) Quibus pars aliqua corporis dolet, neque fere dolorem ſentiunt, iis mens ægrotat. *Aph. II. 6.*

90) Quæ perniciem minantur, ea, ſi absque vlla ſignificatione adleuiant, mortis periculum denunciant. *Prorrh. I. 52.*

De motu voluntario.

91) Aegrum facile conuerti oportet, & cum ſe attollit, leuem eſſe. Quod ſi grauis videatur cum reliquo corpore, tum manibus & pedibus maiori periculo eſt. *Hipp. lib. prognoſtic. f. 6. Coac. 493.*

92) Is habetur optimus decubitus, qui beneualentium eſt ſimilis. *Prog. f. 4. Coac. 497.*

93) Supinum vero iacere, manibus, ceruice, & cruribus porrectis, minus bonum. Quod ſi pronus ad pedes de lecto delabatur, magis formidandum. Vbi vero pedes nudos neque ad modum calidos habere comperietur, & manus, ceruicem, & crura inæqualiter diſperſa & nuda, malum. Anxietatem enim indicat. *Ibidem.*

94) Lethale quoque hiante ore aſſiduo dormire, & vbi ſupinus iacet, cruribus valde contortis & implexis. At in ventrem iacere, ei, qui per bonam valetudinem ita dormire minime conſueuit, delirium aut partium circa ventrem dolorem indicat. *Ibidem.*

95) Turbulentæ & valde confidentes e ſomno exſurrectiones conuulſiones minantur, præſertim ſi cum ſudore contingant. *Prorrh. I. 112. Coac. 83.*

96) Cor-

96) Corporis *iactationes*, cum perfrictione, peſſimæ. *Coac. 2.* Quin & corporis æſtuatione & *iactatione* conflictati, citra vomitum ingraueſcentes, male habent. *Prorrh. I. 76.*

97) *Dentium ſtridor*, quibus per ſanitatem minime eſt conſuetus, periculum denunciat. Suffocatio in his valde praua. *Prorrh. I. 48.*

98) *Sermonis* quoque & *ſilentii* habenda eſt ratio, & dicere oportet, quæ velit æger, videndumque, quibus vtatur ſermonibus, ſint ne magni, an multi, an veri, aut ficti. *Epid. VI. ſect. VIII. n. 20.*

99) Vox *acuta* & *ſtridula* malo eſt. *Prorrh. I. 47.*

100) Vbi poſt vomitum anxioſum vox *ſtridula* eſt, & oculi ſqualidi & puluere obſiti, inſania portenditur, non ſecus ac Hermagoræ coniugi accidit, quæ vehementi inſania correpta, voce defecta interiit. *Prorrh. I. 17.*

2. *Specialis.*

1) *In febribus.*

De ſenſibus internis.

(1) In phreniticis initio moderatum eſſe, ſedatum & facilem, crebro vero *permutari*, malum. Quin & ſputatio frequens mala eſt. *Prorrh. I. 12. Coac. 92.*

(2) Crebræ in phreniticis *permutationes* conuulſionem denunciant ac prauæ ſunt. *Coac. 101.*

(3) Deliria *critica*, niſi vehementiſſima fuerint & iuſto diutius durauerint, metuenda non ſunt.

(4) Quibus in morbis ſubita fit mentis perculſio, cum inquieta corporis iactatione, iis ſanguinis eruptionem fore ſpes eſt. *Coac. 184.*

(5) Deſipientiæ, quæ iam admodum fractis viribus ſuccedunt, peſſimæ ſunt. *Prorrh. I. 8. Coac. 100.*

(6) Deſipientiæ cum voce ſtridula & linguæ conuulſione tremula, voces quoque ipſæ tremulæ, mentis vehementem alienationem ſignificant. *Prorrh. I. 19. Coac. 99.*

(7) Dementiæ, in quibus tremuli fiunt ægri, obſcure aut vix quidem deſipere videntur, aut aliquid, inueſtigantium more, ſenſim contrectant & palpant, miro quodammodo phrenitidem prænunciant, non ſecus ac Didymarcho Coo contingit. *Prorrh. I. 34. Coac. 67. 93. 94.*

(8) In febribus vehementes mentis emotiones cum taciturnitate, in eo, qui voce defectus non eſt, perniciem minantur. *Coac. 65.*

(9) Deſipientiæ cum ſopore conuulſiones minantur. *Coac. 84.*

(10) Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, peruigiles ſunt, ſanguinem e naribus ſtillant, & ſexto die noctu alleuantur, poſtridie vero laborantes tenui ſudore correpti & in ſomnum delati delirant; iis larga ſanguinis e naribus profuſio morbum ſoluit. Cuius rei indicium eſt diluta vrina. *Coac. 87.*

(11) Qui cum his, quæ ſupra dicta ſunt, furioſa & vehementi mentis emotione tenentur, ii ſi tremuli euadunt; maligne habent. *Coac. 88.*

(12) Deſipientia cum difficultate ſpirandi & ſudore lethalis eſt. Quin etiam cum difficultate ſpirandi & ſingultu mortem adfert. *Coac. 89.*

(13) Vehementer & acute mente emotis, ſi febris iterum repetat, phrenitici euadunt. *Coac. 95.*

(14) Deſipientiæ, quæ circa neceſſaria fiunt, peſſimæ, & quæ ex his ingraueſcunt, exitium portendunt. *Coac. 98.*

(15) Vehementes inſaniæ, cum vocis defectione, perniciem intentant. *Coac. 245.*

(16) Vehementes mentis emotiones ſilentes, ſine quiete, oculis quoquo verſum intuentes, ſpiritum efflantes, perniciem minantur, & diuturnas faciunt partium reſolutiones. Quin etiam vehementer inſaniunt hoc modo adfecti. Quibus autem cum ventris perturbatione huiusmodi adfectus ingraueſcunt, iis nigra per aluum ad iudicationem prodeunt. *Coac. 486.*

(17) De-

(17) Delirium, cui critica leuansque ſuccedit eccriſis, periculo vacat.

(18) Phrenitide ingraueſcente tria euenire ſolent: *ſilentium* in ecſtaſi ſeu mentis emotione, *tremor* in vehementiſſima phrenitide, & *conuulſio* imminente morte. *Alpinus.*

(19) *Obliuio* in morbis acutis periculoſa, quia vel emortuam facultatem, vel calidam cerebri intemperiem in frigidam conuerſam eſſe indicat. *Fienus.* De periculo non eſt dubium; ætiologia autem nihili valet.

(20) Obliuio ex delirio, periculo cedit obliuioni veræ. Paſſim enim loquuntur febrientes mente emoti, ac ſi præteritorum plane non eſſent memores. At paulo poſt aliud delirantes, optimam ſe antegeſtorum habere memoriam oſtendunt. *Alpinus. Fienus.*

(21) Obliuio ſub criſeos tempus eueniens minime periculoſa.

(22) Obliuio & delirium leue in paroxyſmis intermittentium & exacerbationibus hecticis malum præbent indicium. In illis quippe decurſum difficilem; in his adpropinquantem præmonſtrare ſolent mortem.

(23) Obliuio in acutis ſæpe lethargum; aliquando apoplexiam portendit.

(24) Qui agrypnia vexantur cum ſubita corporis iactatione & inquietudine, iis ſanguinem e naribus erupturum ſperare oportet, idque præſentim, ſi quid antea effluxit. *Coac. III. Porrh. I. 136.*

(25) *Dormire* ægrotos in delirio ſemper bonum, præcipue ſi quiete dormiant; aliquando enim in ſomno morbi contingit ſolutio. *Alpinus.*

(26) Sub morbi augmentum ſomnus perniciem nunciat. In declinatione vero confert.

(27) Somnus in paroxyſmorum principiis nociuus. *Fienus.*

(28) Somnus in febrientibus pueris criticus non eſt damnandus.

(29) In

(29) In acutis parum dormitur; ſed agrypnia continua delirii eſſe ſolet prodromus.

(30) Si *inſomnia* delirantibus conſpicua adparent, bonum ad iudicandam ſalutem eſt indicium. Et *Hippocrates in Prognoſib. Coac. 90. Quæ in phreniticis manifeſta adparent inſomnia, probanda ſunt.*

(31) Inſomnia conſpicua, non turbulenta, præ reliquis meliora. At conſpicua & turbulenta, in quibus ægri expaueſcunt, exſiliunt, periculoſa. *Alpinus.*

(32) In morbis magnis & valde acutis inſomnia ſub comate ſoporoſo contingentia, mala ſunt, inprimis ſi terrefactos reddiderint ægros.

(33) Inſomnia, quæ, ſecundum prognoſes *generales*, morbos præſagiunt, eadem ſi in febribus contingunt, plerumque funeſtum exitum; aliquando perdifficilem morbi decurſum; non raro inflammationes, ſphacelationes, importunas hæmorrhagias & conuulſiones prænunciant.

(34) Qui intermittentibus correpti inſomnia vident turbulenta, cum terrore & angore, iis imminet febris decurſus diuturnitate grauis, & ob varia ſymptomata moleſtus.

(35) Conferta & hecticos delaſſantia inſomnia ſtatus exacerbationem & vltima fata imminere arguunt.

De ſenſibus externis.

(36) Cerebro ac animali facultate læſis, ſenſus vel omnes, vel plures, vel aliquis ſaltem, a vitio immunis eſſe non poteſt. *Alpinus.*

(37) Tametſi ſenſus omnes recte valeant: neceſſario tamen non ſequitur, ſalutem in acutis inde tuto poſſe prædici; cum & ſub ſenſuum aliquo vigore ſæpe moriantur febrientes.

(38) Senſuum externorum in acutis malignis conſtantia, cum aliis bonis indiciis, bona ſperare iubet.

(39) At

(39) A ſenſuum læſionibus in acutis plerumque euidentisſima deſumi poſſunt mortis ſigna. *Fienus.*

(40) Aegrotos non recte ac ſecundum conſuetudinem videre, ſemper malum, peius autem, ſi id contingat in febribus. *Alpinus.*

(41) Viſus ſub criſeos tempus læſus, ſponte iterum poſt iudicationem emendari ſolet. Alias notabilis eius obſcuratio in acutis ſemper ominoſa eſt. *Hippocr. Prorrh. I. 84. in acutis oculi obſeratio & perfractio malo eſt.*

(42) In malo acuto rectus oculorum obtutus (das ſtarr ſehen) ac motus pernicitas, ſomnus turbulentus, peruigilium, interdumque ſanguinis e naribus ſtillationes nihil boni denunciant. *Coac. 227.*

(43) Qui febribus ardentibus aliisque conflictantur, cum ceruicis dolore & temporum grauitate, ſi tenebricoſa *caligo* oculis obuerſatur, præcordiorumque contentio ſine doloris ſenſu adfuerit, iis ſanguis e naribus profunditur. *Hipp. lib. I. epid. ſ. 22.*

(44) Surditas, niſi critica fuerit, in acutis ſemper mala. *Alpinus.* Sed apud nos plures dantur obſeruationes in contrarium.

(45) In præcipitibus & turbulentis morbis obueniens ſurditas malo eſt. Quin & in longis morbis malum portendit, ac in his ad coxendices labores conuehit. *Coac. 190.*

(46) In acutis, quæ, poſt paucam ſanguinis eruptionem, aut nigrorum per aluum refuſionem, ſurditas obuenit, malum denunciat. *Prorrh. I. 129. Coac. 331.*

(47) In febre ardente laborantibus, ſi *aurium ſonitus* cum viſus hebetudine & ad nares grauitate accedant, niſi ſanguis ex naribus profluat, furioſa & vehemens mentis emotio metuenda eſt. *Coac. 131. 194.*

(48) Quæ caput concutiunt & aurium ſonitus excitant, ſanguinem e naribus profundunt, aut mulieri menſtrua

deturbant, idque præſertim ſi ad ſpinam ardor conſequatur. Fortaſſe & dyſenteria exſpectanda eſt. *Coac.167.*

(49) In febribus enata ſurditas aluum remoratur & ſiſtit. *Coac. 191. 210.*

(50) In acuta aures obtuſæ vehementem inſaniam portendunt. *Coac. 196.*

(51) Qui ſurditate cum capitis grauitate & præcordiorum contenſione vexantur, ſi oculorum acies perturbatur, hæmorrhagiam narium ſperare oportet. *Coac. 195.*

(52) Aures, quæ in acutis bombos ſeu murmur edunt ac tinniunt, mortem prænunciant. *Coac. 193.* Hodie rarius id obſeruare licet.

(53) Surditas illa maxime pernicioſa eſt, quæ tum ingruit, cum vires iam deficiunt. Exitium enim proxime adeſſe nunciat.

(54) Olfactus in acutis læſus non raro de ingenti æſtu, membranæ mucoſæ ariditate, & multa ad caput congeſtione & hæmorrhagico molimine teſtari ſolet.

(55) Quod ſi ægris omnia fœteant, & adſtantes idem non percipiant, indicium eſt, putreſcentem circa os ethmoides collectum eſſe humorem, qui hunc effectum edit, veluti ictericis omnia obiecta adparere ſolent flaua. *Fienus.*

(56) Guſtum lædi in febribus, nec infrequens, nec noxium eſt. Nam ſi vna cum adpetitu etiam guſtus conſtaret, per largam ciborum ingeſtionem multum peccaretur. Id quod naturæ ſcopo humorum conſumtionem intendentis e diametro eſſet contrarium. Vbi enim multum adſumeretur, cruditates non modo augerentur ſed & motuum febrilium ſequerentur iam turbationes, iam exacerbationes; quæ ſingula ſunt periculo plena.

(57) Amarities oris in febribus non ſemper adeſſe obſeruatur; vbi vero occurrit, magis bilioſarum cruditatum reſtagnationem circa ventriculum, quam totius maſſæ ſangui-

ſanguineæ bilioſam inquinationem indicant. *Stahlius in problem. pract. p. 8. n. 19.*

(58) Tactus in febribus deprauatus vtique ominoſus; in acutis enim ordinarie ſatis eſt exquiſitus.

(59) Qui in febribus ad tactum nullum ardoris ſenſum præ ſe ferunt, phrenitici fiunt, idque magis, ſi ſanguis fluxerit. *Coac. 228.*

(60) Si in morbi principio pars aliqua obſtupeſcat, periculum eſt, ne paralyſis ſuccedat, aut æger apoplexia moriatur. *Alpinus.*

(61) Anaiſtheſia vti ſemper mala; ita febribus interitum minitans eſt indicium.

De doloribus.

(62) Ex *capite* dolentes, catocho detenti ac delirantes cum alui interceptione & ferociente intuitu, floridi, in ſcapulas rigeſcunt ac opiſthotono prehenduntur. *Prorrhetic. I. 88.*

(63) Quibus per febrem *caput* dolet, & præ tenebris ante oculos adparentibus viſus hebetudo contingit, vibranteſque ſplendores obuerſari videntur, ii narium hæmorrhagias experientur. *Hipp. lib. prognoſtic. ſ. 13.* Qui capite grauati ad ſynciput dolorem ſentiunt, peruigilio torquentur, iis ſanguinis eruptionem fore ſpes eſt, præcipue ſi aliquis tenſionis ſenſus in ceruice adparet. *Prorrh. I. 136. Coac. 168.*

(64) In acuta *capitis* dolor & præcordia reuulſa, niſi ſanguis e naribus profluat, ad phrenitidem deueniunt. *Coac. 119.*

(65) In febre acuta continens *capitis* dolor, cum grauibus aliis ſignis, mortem minatur. *Coac. 160. Prognoſtic. ſ. 12.*

(66) In angina, absque vlla ſignificatione, redundantes in *caput* dolores, cum febre, periculum indicant. *Coac. 372.*

(67) *Ceruicis* dolor in omni febre malo eſt, in his vero

 peſſi-

peſſimus, in quibus vehementem inſaniam metuimus. *Prorrh. I. 73. Coac. 273.*

(68) *Auris* intenſus dolor, cum febre acuta ac ceteris aliquanto grauioribus ſignis, iuuenes quidem intra ſeptimum diem, aut celerius cum delirio necat, niſi puris copia ex aure aut ſanguis e naribus effluat, aut aliud quoddam laudabile ſignum exſtiterit. Aetate autem prouectiores tardius, aut minus tollit. Nam & in his aures ante ſuppurant & delirium minus infeſtat. Sed & in hac ætate multis morbus reuertitur ac proinde interficere ſolet. *Coac. 189.*

(69) Vbi *fauces* in morbis acutis graciles ſunt, paruæ ac *dolentes*, atque os hiarit, ſi gracile adpareat, nec facile contrahi poſſit, mentis emotionem metuere oportet, indeque ſuccedens phrenitis pernicioſa eſt. *Coac. 275.*

(70) *Venæ* ceruicis in febribus pulſatio & dolor, rem ad dyſenteriam deducit. *Coac. 124.*

(71) *Præcordiorum* dolores in febribus, ſi ſudore non ſoluantur, maligni ſunt. In his dolores ad coxendices cum ardente febre atque aluus affatim prorumpens, perniciem oſtentant. *Prorrh. I. 90.*

(72) Ex *præcordiorum* dolore obortæ febres malignæ ſunt. In his carus peſſimus. *Coac. 31.*

(73) *Præcordiorum* dolores in febre, ægro fari nequeunte, ſi abſque ſudore ſoluantur, malum indicant. His ad coxendices dolores decumbunt. *Coac. 297. 299.*

(74) Dolor in *pectore* fixus cum torpore, ſuborta febre, malum indicat, ii celeriter mortem oppetunt. *Coac. 315.*

(75) *Pectoris* dolor cum febre, & aluus perturbata cum torpore, nigras deiectiones præ ſe fert. *Coac. 274.*

(76) *Lateris* dolor, cum bilioſis ſputis, temere ac præter rationem euaneſcens, ægros in vehementem & furioſam mentis emotionem agit. *Prorrh. I. 97.*

(77) Ad *lateris* dolorem ſi ſtrangulatus moleſtia acceſſerit, ſuppurationem ſpondet. *Prorrh. I. 113.*

(78) *La-*

(78) *Lateris* dolore citra inflammationem adfecti, cum turbulentiis tenuibus moderatis in phrenitidem labuntur. *Coac. 411.*

(79) Quos ex *lateris* dolore cibi faſtidia comitantur, iis os ventriculi aliquantum dolet, & ſudoribus diffluunt. Vbi autem facies ruboribus velut effloreſcit, & aluus eſt liquidior, pus in pulmonibus collectum habent. *Coac. 423.*

(80) *Oris ventriculi* dolor ac præcordiorum pulſus, cum febre, in qua totus corporis habitus perfrigeratur, malum denunciant, idque præſertim, ſi cum tenuibus ſudoribus contingunt. *Coac. 283.*

(81) Ea *tormina* mala ſunt omnia, quæ cum febre inuadunt, aut variis alui recrementis, aut iecoris inflammatione, aut præcordiorum, aut ventris, aut quibuscumque doloribus cruciant, aut cibos cohibent, aut ſitim inferunt. Quem magna pars horum malorum occupat, is celerrime perit. *Prorrh. II. ſ. 84.*

(82) Dolores *circa umbilicum*, cum palpitatione, mentis quidem alienatæ ſignificationem quamdam præbent. Sub iudicationem vero his plurimus & creber flatus cum ſingulari contenſione prodit. Quin & ad *ſuram* dolores in his mentis alienationem indicant. *Prorrh. I. 36.*

(83) *Lumborum* dolores diuturni, qui ſenſim fiunt circa præcordia inuoluti, cum febre & ciborum faſtidio, ſi intenſum capitis dolorem aduehunt, non ſine conuulſionis ſpecie celeriter interficiunt. *Prorrh. I. 100. Caoc. 317.*

(84) Ex *lumborum* dolore ad os ventriculi recurſationes cum febre, horrore, multorum tenuium & aquoſorum vomitu, delirio, vocis defectione, eæ in nigrorum vomitionem deſinunt. *Prorrh. I. 83. Coac. 316.*

(85) *Lumborum* atque inferiorum partium dolores, quibus febris etiam accedit, ſi relictis inferioribus ſeptum transuerſum adpetant, tum præſertim exitio ſunt, cum periculoſum ſignum acceſſerit. Quod ſi reliquorum

ſignorum nullum oſtenderit periculum, futuræ ſuppurationis metus eſt. *Coac.108. Progn.ſ.11.*

(86) *Lumborum* diuturni dolores, qui cum febre, ad tertianæ naturam propius accedente, ingraueſcunt, ſanguinis grumoſi ſeceſſuri ſpem faciunt. *Coac.305.123.*

(87) *Lumborum* dolor, absque cauſſa manifeſta inuadens, morbi malignitatem indicat. *Coac.322.*

(88) *Lumborum* dolor, cum æſtu implacido & anxio, malum ſignificat. *Coac.323.*

(89) In angina, abſque vlla ſignificatione, delati ad *crura* dolores, cum febre, pernicioſi. *Coac.373.*

(90) In febribus ex *glandularum tumoribus* dolores morbi diuturnitatem ſignificant. *Coac.75.*

(91) Ex vehementibus doloribus obortæ febres diuturnæ ſunt. *Coac.73.*

(92) In angina quæcumque conſpicuum dolorem non produnt, periculi plena ſunt. Quin etiam diuturni ſunt, qui ad crura progrediuntur dolores. *Coac.376.*

(93) Quæcumque *mammarum* dolore ex febribus vexantur, eas ſanguinis concreti ſpuitio, non fæculenta, dolore liberat. *Coac.553.*

(94) In febribus acutis conuulſiones & circa *viſcera* dolores vehementes, malum. *Aph.IV.65.*

(95) *Euaneſcens,* ſine ratione, lateris dolor, delirium portendit. *Alpinus.*

De motu voluntario.

(96) Aegrum *reſidere* velle in ipſo morbi impetu, prauum quidem in omnibus morbis acutis, ſed pulmonum inflammatione laborantibus peſſimum. *Hipp. lib. prognoſt.ſ.4. Coac.497.*

(97) Corporis *iactationes* & incontinentiæ in febre, cum perfrictione & ſuperiorum partium tenui ſudore, phrenitim atque perniciem denunciant. *Prorrh.I.27.39.*

(98) Qui

(98) Qui ſopore, corporis *inquietudine* & præcordiorum dolore adfliguntur, cum frequenti & pauca ſputatione, iis tubercula ad aures exoriuntur, ac fortasſis ſopore tentati ad aliquam conuulſionem deueniunt. *Coac. 185. 183. 184. 289.*

(99) In acutis corporis motio, *iactatio* ac turbulentus ſomnus, nonnullis conuulſionem portendit. *Coac. 82.*

(100) In pueris febris acuta cum alui ſupresſione & peruigilio, *calces* velut *iactare* ac colorem mutare, ruborem contrahere, conuulſionem minatur. *Coac. 109.*

(101) De *manuum motione* ita cenſet *Hippocrates lib. prognoſt. f. m. 5.* In febribus acutis, aut pulmonum inflammationibus aut phrenitide, aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur & aliquid fruſtra venantur, & feſtucas colligunt, aut floccos e veſtibus euellunt & ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mortem portendi.

(102) Quibus *vox* in morbis *acuta* redditur, iis præcordia intro trahuntur & tenduntur. Vox autem acuta & ſtridula, malum. *Prorrh. I. 45. 47.*

2) *In aliis morbis.*

De ſenſibus internis.

(1) Mentis emotiones in chronicis malis ſemper ominoſæ; nec facile occurret delirii ſpecies, quam probare liceret, veluti de quibusdam deliriis criticis non ignotum eſt.

(2) Deliria ſæpe occurrunt inſanabilia, quia eorum cauſſæ non, niſi cadauere poſt mortem ſecto, manifeſtæ fiunt.

(3) Deliriorum quorumdam cauſſæ non quidem latent, ſed nihilominus tolli nequeunt. Quod in primis valet de *mania* ex vehementiori *philtro.*

(4) Deliriorum leuiſſima ſunt ea, quæ quibusdam obtingunt, qui congeſtionibus ad caput maximam partem ſeroſis

ſeroſis corripiuntur. Succedente enim coryza, mentis iterum redit conſtantia. Vnde vulgus: Er hat eine wunderliche Natur, wenn er ſoll den Schnuppen krigen, iſt er allezeit wie verwirret.

(5) Deliria in chronicis, illis quidem, quæ in febribus eueniunt, frequentia cedunt, pertinacia autem ſuperant.

(6) Deliria ex hæmorrhagiis non ſuccedentibus aut prorſus ſuppresſis, ſatis ſunt grauia, at recenti ſanguinis contingente largiori fluxu, ſanari ſolent.

(7) Delirium hypochondriacum tanto adfligit pertinacius, quanto magis ſanguinis ſpiſſitudo antehac inualuit. Tolli tamen poteſt per hæmorrhoidalem excretionem copioſam & ordinatam. *Aph. VI. 21.*

(8) Eadem eſt ratio melancholiæ atque maniæ hyſtericæ, quæ a menſium ſuppresſione orta eſt; his quippe ſufficienter effluentibus, mens fit conſtans & actiones inſaniæ expertes.

(9) Delirium tametſi temporarium fuerit: mali tamen, cui ſuperuenit, iam grauitatem, iam diuturnitatem præmonſtrat.

(10) Delirium largæ ſanguinis excretioni ſuccedens, peioris eſt indolis, quam quod a ſufflaminato eius fluxu ſuboritur. Hinc *Hippocrates Aph. VII. 9. Ex ſanguinis profluuio deliratio, aut etiam conuulſio, mala. Celſus lib. II. cap. VIII.* circa finem: *Si ſanguis profluxit, deinde ſecuta eſt dementia cum tetano, periculum mortis eſt.*

(11) Occurrunt quædam grauidarum exempla notatu non indigna, quæ mulieres leuiter delirantes ſiſtunt, magis tamen plerumque idiopathice, quam ſymptomatice. Singulis vero grauia in hoc ſtatu portenduntur accidentia, nimirum vel abortus periculum, vel dyſtociæ difficultates non facile ſuperandæ, ob adfectuum vehementiam & prædominium.

(12) Ex

(12) Ex *morbo regio* fatuitas aut ſtupiditas, malum. *Prorrh. I. 32. Coac. 198.*

(13) Quibus dum conuelluntur oculi fixi & immoti ſplendent, iis mens e ſede conſtantiæ deturbatur, & diutius morbum trahunt. *Prorrh. I. 124.*

(14) Ex ictu in capite accepto ſtupor aut deſipientia, malum. *Aph. VII. 14.*

(15) Neruorum violenta læſio fere inducit delirium.

(16) Delirium, poſt *opiati* adſumtionem eueniens, & pertinax & periculoſum eſt.

(17) Obliuio in diuturnis malis aliquando apoplexiam portendit. Ordinarie læſionum capitis eſſe ſolet conſectarium.

(18) Sopor & agrypnia in quouis morbo motuum vitalium inducunt alterationes & turbationes. Vnde ſiniſtrum ſemper præbent præſagium.

(19) Inſomnia, quam ſignificandi vim ſæpe habent in febribus, eamdem quoque exſerunt in aliis morbis, præſagiendo ſcilicet mutationes, difficultates, bonos & malos euentus.

De ſenſibus externis.

(20) Oculi hebeſcentes, obtuſi, concreti & caligantes, malum. *Coac. 225.*

(21) Oculorum hebetatio, cum animi defectione, promtam conuulſionem denunciat. *Coac. 226.* Interdum apoplexiam.

(22) Ex recurſatione doloris in lumbis, oculorum peruerſio, aut diſtorſio mala eſt. *Coac. 314.*

(23) Ex hæmorrhoidibus, aliquantum adparentibus, tenebricoſæ vertigines obortæ, paruam ac ſenſim factam partium reſolutionem indicant, ex qua liberat venæſectio. Et quidquid huius modi adparere ſolet, mali aliquid denunciat. *Coac. 346.*

(24) In vulneribus, quæ in ſupercilium, aut paulo altius inferuntur, viſus acies obtunditur, & quo vulnus recentius eſt, eo magis vident. Inueteraſcente autem aut tardante cicatrice, magis obtundi ſolet. *Coac.510.*

(25) Quibus concuſſum fuerit cerebrum, vel ex plaga doluerit, aut aliquo caſu, his illico vox deficit, neque vident, neque audiunt ac fere intereunt. *Coac.499.*

(26) Res geminas videre, humoris cryſtallini a ſua ſede remotionem notat. At muſcas ante oculos videre volitantes, delirium indicat, vel ſuffuſionem & cataractam minatur. *Fienus.*

(27) Procedente morbo ſurditas ac vrina ſubrubra cum nullo ſedimento, ſed cum ſublimamentis in medio innatantibus, mentis emotionem prænunciant. *Coac. 198.*

(28) Graui ſurditate tentati, dum aliquid illos prehendit tremuli, linguæ reſolutione ac torpore adfecti, male habere indicantur. *Coac. 197.*

(29) Surditas pus intro colligentibus ſuborta, ſanguinolentam deiectionem denunciat. His ſub mortem nigra egeruntur. *Coac. 420.*

(30) Surditas ex nigris vomitibus oborta, noxia non eſt. *Coac. 559.*

(31) Aurium tinnitus & ſuſurrus in plethoricis ſanguinem redundantem ad caput congeſtum indicat. In iunioribus ſæpe narium hæmorrhagiam imminere præmonſtrat.

(32) Quando ægri guſtus & olfactus ita deprauati ſunt, vt in morbo omnia ipſi fœtere atque amaricantia eſſe videantur; tum primarum viarum abundans ſaburra & nidoroſum crama inibi hærens indicatur.

(33) Tactus in chronicis nimium alteratur a doloribus, ſed omnium maxime deprauat eumdem paralyſis.

De doloribus.

(34) Quibus cum lippitudine *capitis* dolor accedit & longo tempore perſeuerat, cæcitatis metus impendet. *Coac.223.*

(35) Qui

(35) Qui *capitis* dolore vexantur, ac catocho cum dolore detinentur, oculos habent prærubros; in iis ſanguinis profluuium ſperandum eſt. *Coac. 166.*

(36) Dolor *capitis*, cum ſedis ac pudendorum dolore, torporem ac impotentiam adfert, vocemque exſoluit. Ex his ſomnolentia ac ſingultuoſi nono menſe euadunt, & voce libera reddita in integrum reſtituuntur. *Coac. 164.*

(37) Vterum gerentibus *capitis* dolores, cum ſopore & grauitate, malo ſunt. Quin & huiusmodi naturæ conuulſionibus forte ſunt obnoxiæ. *Prorrh. I. 103. Coac. 534. 517.*

(38) *Faucium* gracilium dolores ſuffocantes, conuulſionem minantur, tum præcipue, cum ex capite originem ducunt, quale quid Thraſynontis conſobrinæ accidit. *Prorrh. I. 104.* *Faucium* porro vehementes dolores, aurium tubercula & conuulſiones excitant, itemque *ceruicis* & *colli* dolores. *Coac. 268.* At vehementer ſine tumore dolentes cum labore & moleſtia, præceps minantur exitium. *Coac. 265.*

(39) Ingruentes ad *præcordia* dolores, praui ſunt, cum alias, tum ſi aluos profundant. Deteriores autem, ſi paruo tempore fiant. Quin & inde ſuborta ad aures tubercula aliæque ſuppurationes, malignitatem præ ſe ferunt. *Coac. 284.*

(40) Vterum gerentibus *præcordiorum* dolor malum denunciat, hic etiam alui euntes & rigore ſubinde corripi malum. *Ventris* dolor ſi limoſa expurget, leuius malum indicat. Quæ ex his faciles partus habent, eæ poſtea vehementer anguntur. *Coac. 523.*

(41) In *dorſi* ac *pectoris* dolore cruentæ mictionis ſuppresſio, laborioſum exitium adfert. *Coac. 272.*

(42) *Oris ventriculi* dolor cum præcordiorum contenſione, atque etiam *capitis* dolor, malignum quidpiam & ſuſpirioſam quamdam adfectionem indicant. In his certe animaduertendum eſt, num derepente moriantur,

velut in Dyſode euenit, cui vrinæ valde fermentatæ & prærubræ aderant. *Prorrh. I. 72.*

(43) *Oris ventriculi* dolores, cum inteſtinorum cruciatu, ventris animalia i. e. lumbricos deiiciunt. *Coac. 285.*

(44) *Oris ventriculi* dolor, ſeniori crebro adueniens, repentinam mortem denunciat. *Coac 286.* Huic adſerto rarius reſpondet experientia.

(45) Ex pulmonis ſuppuratione interdum circa *ventrem* ac *clauiculam* dolores, & cum corporis iactatione aliquantus ſtertor, copiam ſputi in pulmone indicant. *Coac. 18.*

(46) Dolores circa *vmbilicum*, cum palpitatione, mentis quidem alienatæ ſignificationem quamdam præbent. His ſub iudicationem conferta & crebra pituita cum dolore prodit. *Coac. 300.*

(47) Supra *vmbilicum* labor ac lumborum dolor, qui remediis non cedit, in hydropem ſiccum deſinit. *Coac. 304.*

(48) Quos derepente, absque febre, *præcordiorum* aut *oris ventriculi*, aut *crurum* & *inferiorum partium* dolor adfligit aluusque intumeſcit, venæſectio aut alui fluxus ſolutionem iis adfert. His febricitare noxium. Nam longæ & vehementes febres ſubnaſcuntur, ac tuſſes & ſpirandi difficultas atque ſingultus fiunt. *Coac. 294.*

(49) Qui præcordiorum doloribus, oris ventriculi, *iecoris* ac earum partium, quæ ſunt circa vmbilicum, conflictantur, ii cruenta alui deiectione liberantur, ſecus autem mortem oppetunt. *Coac. 295.*

(50) Quibus *hepar* dolet, cum oris ventriculi dolore, ſopore, rigore, ii aluo exturbata, cum corporis extenuatione, ciborum faſtidio, multis tenuibus ſudoribus diffluunt, & purulenta per aluum demittunt. *Coac. 448.*

(51) Quibus *iecur* derepente vehementer dolet, iis febris ſuccedens remedio eſt. *Coac. 449.*

(52) *Lumborum*, capitis ac oris ventriculi dolor, cum forti exſcreatione, conuulſionis ſuſpicionem excitant. *Prorrh. I. 106. Coac. 320.*

(53) Quibus *lumborum* dolor in caput & manus recurſat, & torpore adfecti oris ventriculi dolorem ſentiunt, tenuibus ac feroſis humoribus abundant, ii liberaliter ſanguinem profundunt. Sed aluus cum mentis perturbatione his effunditur. *Prorrh. I. 139. Coac. 308.*

(54) *Lumbis* dolentibus ſi oris ventriculi dolor acceſſerit, futuræ per hæmorrhoides vacuationis ſignum eſt, & eam forte præcesſiſſe indicat. *Prorrh. I. 130. Coac. 312.*

(55) *Lumborum* dolores ſanguinis profluuium excitant. *Coac. 306. 307.*

(56) In intenſo *lumborum* dolore & alui ſubductione largiore, ſumto veratro ſpumoſorum crebra vomitio prodeſt. *Coac. 310.*

(57) Qui *lumborum* dolore conflictantur, ii male habent. Animaduertendum, num his tremores fiant, & maculæ rubentes, quales in tibiis cum rigore euenire ſolent. *Coac. 318.*

(58) Qui *lumborum* & lateris dolore absque vlla occaſione tentantur, ii in morbum regium incidunt. *Coac. 325.*

(59) *Veſica* dura & grauiter dolens omnino mala eſt. Peſſima vero, ſi febris continua acceſſerit. Nam veſicæ dolores interimendi vim obtinent, & aluus his nihil admodum reddit. Eos autem metu liberat vrina procedens purulenta, in qua album & læue ſubſidet. Quod ſi neque hæc leuata fuerint, neque veſica mollior reddatur, intra primos circuitus laborantem moriturum exſpectandum eſt. Hoc vero pueris a decimo ad decimum quintum præcipue contingere ſolet. *Coac. 471.*

(60) *Veſica* intercepta, maxime cum *capitis* dolore, conuulſionem quamdam minatur. Quæ in his cum torporis ſenſu exſoluuntur, moleſtiam non perniciem adferunt. Forte aliquantulum deſipiunt. *Coac. 588.*

(61) *Renum* dolor repente obortus, cum vrinæ ſuppresſione, calculorum aut vrinæ craſſæ mictionem indicat. *Coac. 589.*

(62) *Cubiti* ceruicisque dolores conuulſionem minantur. *Prorrh. I. 114.*

(63) *Pruritum* ſentientia corpora in tabidis male habent, ſi ab alui ſuppreſſione ortum trahat. *Coac. 440.*

(64) *Pruritus* omnibus nigrorum ſeceſſum denunciat, & grumos vomitione refuſos. *Coac. 636.*

(65) Vterinæ ventris duritates cum dolore, celerem perniciem denunciant. *Coac. 528.*

(66) Si ſine cauſſa longus dolor capitis eſt, & in ceruices ac ſcapulas tranſit, rurſusque in caput reuertitur, aut a capite ad ceruices ſcapulasque peruenit, pernicioſus eſt. *Celſus lib. II. cap. VIII. p. 85.*

(67) Quos grauis morbus detinet, hi ſi dolores prorſus non ſentiant, vita non diu fruentur.

De motu voluntario.

(68) Omnis inquietudo, ſeu corporis incontinens iactatio, in morbo graui ſiniſtrum præbet omen.

(69) Inquietudo, cum leipothymia, pernicioſa eſt.

(70) Nimia ciborum ingeſtio, & moleſta ventriculi repletio, ferme ſemper inquieta reddi corpora, maxime vero morbo adfecta. In iunioribus ſæpe voracitas, non raro etiam vermes eumdem inquietudinis edunt effectum.

(71) Qui ſingulis ferme momentis ſitum corporis & artuum mutant, ii admodum periclitantur.

(72) Qui inquieti ex vno lecto in aliud tranferri cupiunt, paulo poſt e vita ſecedere ſolent, maxime ſi de peregrino domicilio, ſibi minus apto, quædam interloquantur.

(73) Vox acuta, eiulabunda ac oculorum hebetudo, conuulſionem minantur. His dolores ad inferiores partes demiſſi toleratu ſunt faciles. *Coac. 257.*

(74) Confractæ voces, poſt medicamenti purgantis potionem,

tionem, conſiderandæ, num prauæ ſint. Horum pleriſque tenues ſudores fluunt & alui humectantur, *Coac.* 251.

IV. *OBSERVATIONES.*

1. Paradoxum videri poſſet minus exercitatis, quod Pathologia ſenſuum non tantum externorum, ſed & *internorum* morbos ſcrutetur; Semeiologia vero vtrorumque alterationes obſeruet: cum ſenſationes ſint actiones animæ immaterialis, cuius ſubſtantia per morbos lædi nequeat. Verum vtrumque recte fieri a Medicis, probatione non indiget. Qua autem ratione id fiat, vt principium incorporeum ſimul adficiatur, & per corpus male adfectum in motibus ac intentionibus ſuis impediatur, & quaſi ſimul ægrotet, id ex veris Phyſiologiæ fundamentis addiſci poteſt; nec quidquam remanſurum eſt dubium, niſi quis erroneis traditionum commentis imbutus, ſemetipſum veri cognitione priuare velit. Interim non præteruidendum eſt hoc in medicina momentum, de anima cum corpore coægrotante, quia de vero motuum principio in corpore viuo egregie teſtatur.

2. De ſenſibus *externis* eorumque ad facile ſubeundas alterationes diſpoſitione, & vere ſæpius eueniente perturbatione, eo minus dubitari ſolet, quo manifeſtius per anatomica ſcrutinia de admiranda partium teneritudine & exquiſita totius ſtructuræ ſubtilitate iam pridem conſtitit.

3. Inſomnia nonnulla vim ſignificandi habere, & præternaturale aliquod accidens, ſiue propius imminens, ſiue paulo ſerius corpori euenturum, præmonſtrare, tot *veterum* obſeruationes ac inde enatæ prognoſes ſatis confirmant. Hinc iubet *Hippocrates lib. de humorib. ſ.* 15. *Inſomnia, qualia quis cernat, ſpectanda ſunt, & quæ in ſomnis faciat.* Diligentiam vero eorum acuit non modo futura prænoſcendi curioſitas, ſed bene quoque curandi intentio. Nam inſomniis cynoſuræ quaſi loco vſi ſunt, & veluti ex *Hippocratis libro de inſomniis* conſtat, conſtitutioni corporum indiuiduali congruas

gruas inde petierunt indicationes, quibus iam conſeruando & præſeruando, iam vero oppugnando & percurando officio ſuo ſatis facerent.

4. Quamuis antiquis, quid fiat ante morbos, quid accidat in illis, & quid denique eos conſequatur; diligenter adnotare, de illo autem, quo quidlibet contingat modo, minus ſollicitos eſſe, ſolemne exſtiterit: de inſomniis tamen quidpiam rimari non prorſus intermiſerunt. *Galenus* non inepte diſſerit: animus in ſomnis videtur intimas corporis partes ingredi, & ab externis, quæ ſenſum mouent, ſe abducere eamque adfectionem, quæ in corpore ineſt, perſentiſcere & eorum omnium, quorum deſiderio trahitur, vt iam præſentium, viſa concipere. Quæ ſi ita ſe habent, haud mirabile eſt, cum facultas animalis humorum copia grauante vexatur, ſi homines vix ſe ipſos mouere & onera quædam gerere in ſomnis ſuſpicentur: contra vero, cum adfectio corporis ſit leuis & excrementis vacans, ſi ſe aut volare, aut velociſſime currere in quiete perſpiciant, præſertim cum animi imagines ſemper ſint corporis adfectionibus adſimiles. *Vid. eius diſſ. de dignotione ex inſomniis claſſe opp. III. f. 162.*

5. Vtrum homo ſenſibus ſingulis recte valentibus mori poſſit? Auctores diſſentiunt; ſed hæc quæſtio nullius in praxi vſus eſt. Interim ſi *το recte valere* idem ſignificat, ac mediocriter vigere, wann die Krancken zur Noth, ihre innere und äuſſere Sinnen brauchen können; dubium non eſt, multos ſub ſenſuum internorum & externorum exercitio nouiſſima obire fata. Vnde vulgus dicit: Der Krancke hat Sinnen und Verſtand bis in den letzten Augenblick behalten.

6. De delirio *aſaphode*, ſeu *obſcuro* aliquid addendum, quemadmodum ſub *differentiis* iam monuimus. Fit nimirum quædam deſipientiæ non raro ſpecies, vt æger quietus iaceat, neque ſolum non tumultuoſe exclamet exſiliatque, vt antea, ſed neque prorſus loquatur, neque figuram decubitus permutet; ſæpiusque, qui ita adfecti ſunt, familiaribus

ribus præbent opinionem, quaſi mox ſint dormituri, ſi aliquod fiat ſilentium. Clauſis itaque feneſtris quieſcunt cuſtodes, tempusque in his interdum longum conterunt, arbitrati, ægrum, quod neque loquatur, neque moueatur, dormire, ipſo reuera non dormiente & manus quiete mouente, non ſecus, quam qui per leuem contrectationem aliquid vel tangere, vel inuenire volunt. Deinde, his ita ſe habentibus, quidam clauſis palpebris hæc agunt, & ſi quis accedens cum iis colloquatur, quidam neque prorſus oculos aperiunt; alii, poſteaquam aperuerunt, paulo poſt claudunt, aut immotos ſeruant. *Conf. Galeni Comm. I. in prædict. Hipp. f. m. 49.*

7. De motus voluntarii læſione, eiusque ætiologia ac ineuitabili neceſſitate, aliquid addere hic quidem non eſſet ατοπον; ſed cum diſtincte hac de re actum iam ſit in *tabula de febribus* & febrilium ſymptomatum ætiologiis, idem hic repetere non conuenit.

8. Licet in præſenti animus non ſit, docere, qua ratione e variis ſenſuum alterationibus conuenientes formari debeant indicationes therapeuticæ: hoc tamen in tranſitu monere non piget, quod vna ſubinde venæſectio in repentinis ad caput & pectus impetuoſe factis congeſtionibus, phantaſiam viſum, auditum, vocem & loquelam deprauantibus, mirificum quaſi auxilium præſtare ſoleat.

Eeee TAB.

TABVLA XIII.

DE

FACIE ALIISQVE PARTIBVS EXTERNIS.

I. **D***EFINITIO.*

Facies eſt capitis pars aduerſa ſeu anterior, quæ a frontis initio incipit, circa tempora in circulum ſe reflectit, & per incuruationem iſtam aures prætergrediens totam frontem, oculos, naſum, genus & os complectitur, atque in ipſo mento deſinit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. In facie generatim determinanda auctores quidem conueniunt, conſtituendo anticam capitis partem; ſed in termino, vt Philoſophi loquuntur, *a quo*, quidam viget diſſenſus, exigui licet momenti. Aliqui enim frontem excludunt, & illud ſolum, quod ſupercilia & mentum interiacet, pro facie agnoſcunt, pluribus interim contradicentibus.
2. Faciem dum *Medici* contemplantur, colorem atque tonum, in eius ſuperficie obuium potiſſimum obſeruant; *morum* autem *doctores*, dum faciem conſiderant, animi alterationum, per *vultum* ſignificatarum, habere ſolent rationem. Ex quibus facile perſpici poteſt, quid differentiæ ſubſit inter *faciem* & *vultum*: *illa* in primis ſiſtit partium capitis anticarum figuram, colorem atque ſitum generalem in ſtatu vel ſecundum, vel præter naturam; *hic* vero per arbitrarias earumdem partium contractiones, relaxationes, diſtorſiones, indicat pathema, quod animum vel grate, vel moleſte adficit. Hinc perſæpe quidem *vultus*, ſiue ægrum, ſiue ſanum

num exſtiterit corpus, mutari poteſt; non autem tam facile *facies*, niſi quidem in verecundis, qui in momenta quaſi rubore ſuffunduntur.

3. Facies humana varie conſiderari ſolet vel in ſtatu *naturali*, vel *præternaturali*. Vtrobique

1) Ratione *coloris* adparet vel
   (1) *florida*, & plus minus rubicunda.
   (2) *pallida*, aut plumbea.
   (3) *liuida*, aut ex liuido vel flauo nigreſcens.

2) Ratione *habitus* vel
   (1) *turgida* & plena
   (2) *contracta*, rugoſa, flaccida & marcore deprauata.

3) Ratione *diſpoſitionis animi*, ſeu adfectus dominantis, vel
   (1) *Serena*, tranquilla, manſueta, hilaris, læta.
   (2) *moroſa*, ſeria, tædii plena, penſitabunda.
   (3) *triſtis*, trepidans, iracunda, deſperans, furibunda.

4. Præterea facies *morboſa* ſuas iterum habet differentias. Alia enim ſtatum naturalem alteratum; alia vero maiorem perniciem arguit. Poſterior *κατ' ἐξοχὴν hippocratica* audit, eo, quod primum a Medicorum principe, *Hippocrate* Coo, diſtincte deſcripta ſit. Hæc itaque ſe offert

1) Sub *orthoſtadia*, vbi ordinarie anxii timoris, aut magni terroris index exſiſtit. Et quamuis ſub tali pathetica deformatione, *hippocraticæ* faciei quodam modo reſpondere obſeruetur: in eo tamen differt, quod oculos magis oſtendat viuidos atque exſertos, qui in cadaueroſa illa facie magis concaui ac ſplendore orbati adparere ſolent, cum pupilla depreſſa & turbida.

2) In ſtatu vere *morboſo*, in quo adpropinquantis mortis periculum præmonſtrat.

5. Quo autem modo ominoſam faciem ipſe deſcribat *Hippocrates*, paulo infra in *prognoſibus* occurret. Qualis autem conceptus de hippocratica facie formandus ſit, iam dicemus.

Eſt nimirum peſſimorum ſignorum, ad imminentis mortis prognoſin conſpirantium, concurſus, per omnes faciei partes quidem conſpicuus, ſed in oculorum ſeu viſus deprauatione & humoris *vitrei* ſubalbidi facti obſcuratione in primis ſe exſerens. *Vid. Stahlii diſſ. medico-ſemeiotica de facie morborum indice ſeu morborum æſtimatione ex facie. Halæ 1700.*

6. Quot rebus aliis inanimatis faciei notio attribui ſoleat, in illud inquirere non eſt Semeiologi, vtpote qui ſolum circa faciei humanæ alterationes occupatur, homonymiæ vero euoluendæ ſpartam philologis aliisque curioſis vltro relinquit.

7. Ad reliquas tandem, præter faciem, quod attinet partes, ex quarum alteratione prognoſes formare ſtudent Practici, fere eſſe ſolent cutis, capilli, caput ipſum, aures, lingua, dentes, fauces, collum, pectus, hypochondria, venter, artus, vngues. His accenſentur alia quoque momenta e. g. ætas, conformatio, partium calor & frigiditas, adpetitus, ſternutatio, tuſſis, febris.

III. *PROGNOSIS*

1. *Generalis.*

1) Vti macrocoſmi compendium homo exiſtimatur: ita paruus hic mundus proprium habet compendium in vultu, & imago corporis viui eſt facies. *Burrhus.*

2) In morbis in primis ægri facies ſic in conſiderationem adhibenda, ſitne bene valentium & ſui ipſius ſimilis? Ita enim optima exiſtimanda eſt; quo magis vero a priſtino ſtatu recedit, eo grauius periculum portendit. *Hippocrates lib. prognoſtic. ſ. 3.*

3) *Optima* ægri facies, quoties ſui ſimillima permanet: Quæ inter optimam deterrimamque interiecta ſit, tua intereſt, determinatis extremis, conſiderare. Quæ enim ad optimam propius accedit, melior eſt; quæ deterrimæ propinquior, peior cenſenda. *Galenus in Comm. I. in præſag. Hipp. ſ. 20. it. de arte curat. lib. I. cap. II.*

4) Non

4) Non refert, an facies ſit alba, vel rubra, vel liuida in morbo. Nam ſi eſt, ſicut in ſanitate eſſe ſolet, bona eſt. Hinc pallida melior eſt, quam rubra, & viciſſim. *Fienus.*

5) Ex facie eo certius præſagiunt illi, qui temperamentorum doctrinam perſpectam habent, quam alii, qui ſolum colores attendunt.

6) Facies florida præſentem indicare poteſt ſanitatem, minime vero eius conſtantiam ſeu diuturnitatem. Hinc *Hippocrates Aph. I. 3.* Bene habita athletarum *valetudo ad ſummum progreſſa*, vbi ad plenitudinis extremum peruenerit, *lubrica eſt*, cum non poſſit eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Quandoquidem vero non quieſcit, neque iam poteſt in melius progredi, reliquum eſt, vt in deterius labatur. Et *Celſus lib. II. cap. II. p. 51.* Si plenior aliquis & ſpecioſior & coloratior factus eſt, bona ſua habere debet ſuſpecta.

7) Non quælibet ſignorum in facie perturbatio temere ſtatim morbi, nedum magni & vehementis facit indicium: ſiquidem etiam ex repentinis animi pathematibus eximiæ prognaſci ſolent faciei perturbationes, quæ tam ſæpiſſime, vti cito factæ ſunt; ita celeriter quoque pereunt. *Stahlius.*

8) Quotiescumque facies notabiliores alterationis notas in ſe habet; toties directe certam illam prodit conſtitutionem, quæ huiusmodi alteratione ſe exſerit. *Idem.*

9) Faciei corruptela lethalis eſt, minus tamen, ſi ob peruigilium, aut inediam, aut alui perturbationem contingat. Nam quæ ex his cauſſis orta eſt corruptelæ ſpecies, vna die aut nocte in integrum reſtituitur. *Coac. 212.*

10) Quando facies præſagientem decipit, fit illud plerumque per colorem; reliqua enim ſigna, vt extenuatio, collapſus & oculorum deprauatio certiora eſſe ſolent indicia.

2. *Specialis.*

1) In *febribus.*

(1) Facies bene *colorata*, tetrica ac ſuperciliosa in morbo acuto malo eſt. *Coac. 213.*

(2) In magnis malis ſi facies bona fuerit, bonum; in paruis vero bonæ ſignificationi contraria denuncians, malum portendit. *Epid. VI. ſect. II. n. 26.*

(3) *Rubedo* maxillarum, ſi adeſt febris, tuſſis ac difficilis reſpiratio, proprium ac pathognomonicum peripneumoniæ ſignum eſt. *Fienus.*

(4) *Rubor* aſſiduus, in longis lentisque febribus, pulmonis ardorem & ad tabem viam oſtendit, ſi in primis tuſſicula adeſt: ſi vero non ſolum genæ, ſed et tota facies rubeat et flammea ſit, & accedat externa corporis caliditas, eſt ſignum febris. *Idem.*

(5) In omnibus acutis facies *flammea,* ſi non eſt alia manifeſta cauſſa ruboris, vt ira, pudor &c. eſt mala, quia febris & æſtus magnitudinem indicat & calorem ſurſum ferri; vnde vel dolores capitis vehementes, vel phrenitis, vel peripneumonia metuenda ſunt. *Idem.*

(6) Quibus faciei incendium & intenſus *rubor* ſoluitur, & graueolens eſt alui egeſtio redundans & ſubrubra, in his inſaniæ metus eſt. *Coac. 624.*

(7) Vbi liuores in febribus fiunt, prope adfore mors ſignificatur. *Coac. 66.*

(8) Facies *pallida*, contracta, extenuata in febrientibus imminentis paroxyſmi præbet indicium.

(9) Facies *moroſa* et *auſtera*, cum taciturnitate, mentis emotionem portendit, non raro obſcurum delirium iam adeſſe arguit.

(10) Facies *anxia*, et ſui admodum diſſimilis, difficilem decurſum, ſæpe vero exitium præmonſtrat.

(11) Facies ſub febris initium *flaccida* ac nimium *extenuata* funeſti exitus habetur prænuncius.

(12) Facies *triſtis*, *penſitabunda*, & vox debilis atque demiſſa, difficiles colluctationes, plerumque vero mortem metuendam præſagiunt.

(13) Facies *lethalis* ſeu adpropinquantis mortis prænuncia habe-

habetur; ſi ſit naſus acutus, oculi concaui, collapſa tempora, aures frigidæ & contractæ, imisque ſuis fibris inuerſæ, cutis circa frontem dura, intenta et reſiccata, & totius faciei color ex viridi palleſcens, aut etiam niger, aut liuidus, aut plumbeus. Hæc eſt famoſa illa *facies Hippocratica. Conf. Hipp. lib. prognoſt. ſ. 3. Coac. 212.*

(14) In acutis *nigræ maculæ,* in genis coortæ, lethales eſſe ſolent. *Foreſtus.*

(15) *Oculi* vt valuerint: ita & totum corpus. *Epid. VI. ſect. IV. n. 26.*

(16) Oculorum *rubedo* notat inſignem congeſtionem ad caput, et cephalalgias, præſertim ſi lucis minus patientes ſint, et frons rubore aliquo conſpicua. *Stahlius.* At *flauedo* in pleuriticis, aut plane *liuor,* mali ominis eſt. *Lommius.*

(17) Oculorum in acutis *rectus obtutus,* **das Starrſehen,** ac motus pernicitas, ſomnus turbulentus, peruigilium, interdumque e naribus ſanguinis ſtillationes, nihil boni denunciant. *Coac. 227.*

(18) Oculorum *claritas,* ac eorum album ex nigro aut liuido clarum fieri, ad criſin confert. Ac quo celerius clareſcunt, eo celeriorem indicationem; at tardius tardiorem ſignificant. *Coac. 217.*

(19) Qui ſurditate cum capitis grauitate ac præcordiorum contenſione vexantur, ſi oculorum *acies perturbatur,* in iis ſanguinis fluxum e naribus ſperare oportet. *Coac. 195.*

(20) Si oculi lucem refugiunt, aut illacrymant præter voluntatem, aut peruertuntur, aut alter ex iis minor fit, aut quæ in iis alba eſſe debent rubeſcunt, aut in iisdem venulæ liueſcunt, aut nigricant, aut lippientium oculorum ſordes circa eorum aciem adparent, aut etiam aſſidue mobiles, aut tumidi, aut vehementer caui, aut eorum adſpectus ſquallidus et minime lucidus, aut totius

tius faciei color immutatus; hæc omnia mala pernicioſaque æſtimanda ſunt. *Hipp. lib. prognoſt. ſ. 4.*

(21) Vitioſa in febribus eſt oculorum cauitas, & vehemens oculi foras expreſſio, aut ſplendoris eliſio, adeo vt pupilla extendi nequeat, et cilia retorta, ac fixi oculi ac continenter conniuentes, coloris commutatio, aut palpebras per ſomnum non committere, perniciem oſtentat. Quin & diſtortus oculus malo eſt. *Coac. 218.*

(22) In morbis acutis, vbi male habent ægri, vltro quidem profluens *lacryma*, bono eſt, inuitis vero malum denunciat. Quibus etiam *palpebræ* circumtenduntur, malum ſignificatur. Malum quoque, quod in oculis *inareſcit* tenuiſſimæ lanuginis, aut aquarum aſpergini ſimile. Oculorum denique *hebetatio* ac retuſio et ſqualor, quique intro corrugantur, qui concreti ſunt, ac ægre vertuntur et intro ſunt voluti, malum denunciant *Epid. VI. ſect. I. n. 16.*

(23) Quibus in febribus aut aliis morbis oculi ex voluntate *illacrymant*, nihil abſurdi accidit: at quibus præter voluntatem, abſurdius. *Aph. IV, 52.*

(24) Oculus *ferox* et *truculentus* delirium portendit, crebra quoque ac inordinata proiectio & perfractio mala eſt. *ibid. n. 19.*

(25) Oculi *exſerti*, adſpectus audax et facies flammea delirium portendunt.

(26) *Pupilla* depreſſa, obſcura, ſplendore orbata funeſta fata prænunciat.

(27) In febre acuta ſi *labrum*, aut ſupercilium, aut oculus, aut *naſus* peruertatur, ſi non videat, ſi non audiat, imbecillo iam corpore, quidquid ex his euenerit, in propinquo iam mors eſt. *Aph. IV, 49.*

(28) *Narium* rubores alui liquidæ & diffluentis ſunt indicia. *Coac. 215.* Sed incertum eſſe præſagium *Fœſius* iam monuit. *Galenus* nihilo minus hoſce rubores in ſignis inſtantis criſeos retulit.

(29) *Na-*

(29) *Narium* alas in acutis ſecundum reſpirationis motum moueri, oppido funeſtum. *Fienus.*

(30) *Narium* pruritus in acutis delirium prænunciat. *Idem.*

(31) *Naſus* acutus ſeu in faſtigium acuminatus cum reliqua faciei contractione, in febribus peſſimæ eſt prognoſeos. *Stahlius.*

(32) Exacte conſiderandi ſunt albeſcentes ſi febricitent, quorum etiam *labra* inſpicere oportet. *Epid. VI. Sect. VIII, 34.*

(33) Contractum *labrum* bilioſæ alui perruptionem denunciat. *Coac. 240.*

(34) Febres, in quibus exulcerantur *labra*, fere intermittunt, & tertianis perfrigerationes adſunt. *Epid. VI. Sect. VIII, 41.*

(35) *Labrorum* in febribus varia diſtorſio conuulſiones adfore arguit.

(36) *Labia* valde pallida ſemper mala, in acutis præcipue. In magno præterea æſtu interno cum multa ariditate, fiſſuris & veluti ſquamarum abſceſſione nigricantia, perniciem portendunt. *Stahlius.* Et *Hippocrates lib. prognoſt. ſ. 4.* *Labra* reſoluta, pendentia, frigida & *exalbida* eſſe, lethale.

(37) *Frons*, frigido ſudore diffluens, in acutis exitiale.

(38) *Mentum* acuminatum idem indicat, quod naſus acutus.

(39) *Aures* frigidæ, pellucidæ, contractæ, perniciem minantur. *Coac. 192.*

(40) In febribus ex prægreſſo dolore rubores ad *aures*, ignis ſacri ſpem faciunt. *Coac. 200. 380.*

(41) *Aurium* dolor acutus, cum febre & delirio, exitium portendit. *Coac. 189.*

(42) *Aurium* ſordes, hominibus dulces, lethales ſunt, amaræ autem minime. *Epid. VI. Sect. V, 18.*

(43) *Os* amarulentum, cum æſtu, bilioſorum abundantiam, in primis viis reſtitantem, prodit.

(44) *Ore hiante* aſſidue dormire, & vbi ſupinus iacet, cruribus valde contortis et implexis, lethale. *Hipp. progn. ſ. 4.*

(45) *Dentium colliſio* aut ſtridor, præter conſuetudinem a teneris contractam, inſaniam ac mortem denunciat. Quod ſi iam deliranti id accidat, prorſus exitiale eſt. Quin et *dentes reſiccari* perniciem denotat *Coac. 235.*

(46) Quibus per febres ad *dentes* glutinoſus humor obnaſcitur, iis vehementiores fiunt febres. *Aph. IV, 53.*

(47) Ex *gingiuis*, cum humecta aluo, ſanguis profluens, perniciem minatur. *Coac. 241.*

(48) *Lingua* ægrotantium ſolet plerumque indicare, quinam ſucci vitioſi in corpore abundent. Sunt enim, quibus dulcia eſſe amara & contra videantur. *Galenus in Comm. VIII. in Epid. Hipp. VI. f. 169. it. Comm. IV. in Hipp.. de rat. vict. in acut. f. 199.* Et *Hippocrates lib. VI. epid. Sect. V. n. 15. Lingua* humorum præſtantiam colore refert, & quale ſit ſerum indicat, ideoque per hanc ad humorum dignotionem peruenimus.

(49) *Lingua* eſt ſedes omnium ſymptomatum qualitatis alteratæ, excreti & actionis vitiatæ. *Vid. Prothus Caſulanus de lingua, qua maximum eſt morborum acutorum ſignum. Lib. I. cap. VII. Coloniæ Agrip. 1626.*

(50) Quoties aliquid de morbo indicare vis; toties inſpicienda erit *lingua*. *Id. lib. II. cap. IV.*

(51) *Pallidæ* linguæ ex bilis fiunt redundantia, bilioſum autem a pingui. *Rubicundæ* vero a ſanguine; *nigræ* ab atra bile; valde *reſiccatæ* ex ſuccenſa fuligine & vtero; *albæ* autem e pituita. *Hipp. Epid. VI. Sect. V, 13.*

(52) Lingua ex reſiccatione *denſa* & *aſpera*, phrenitidem portendit. *Prorrh. I. 3. Coac. 234.*

(53) Linguæ

(53) Linguæ *tremulæ* inſtabilem mentem & a ſede conſtantiæ deturbatam ſignificant. *Prorrh. I. 20.*

(54) Deſipientiæ, cum voce ſtridula & *linguæ conuulſione tremula*, voces quoque ipſæ tremulæ, mentis vehementem alienationem ſignificant. In his durities aut aſperitas perniciem minatur. *Prorrh. I. 19.*

(55) Lingua *tremula*, cum narium rubore & aluo humecta, ſi reliqua, quæ ſunt circa pulmonem, nullam iudicationis ſignificationem præ ſe ferant, malo eſt, ac celeres pernicioſas purgationes denunciat. *Coac. 231.*

(56) Linguæ *tremulæ* quibusdam aluum nonnumquam humectam reddunt. In his autem ſi *nigricent*, etiam mortem denunciant. *Coac. 232. 645.*

(57) In peripneumonia, ſi lingua tota *alba* fiat & aſpera, ambæ pulmonis partes inflammatione vexantur; quibus vero *dimidiata* lingua, qua parte id adparet, inflammatio adfligit. *Coac. 400.*

(58) Quibus in pleuritide lingua circa initia *bilioſa* eſt, hi intra ſeptimum iudicantur; quibus vero tertio aut quarto die, circa nonum. *Coac. 383.*

(59) Quod ſi *bulla*, aliquantulum liueſcens, in *lingua* adpareat initio, qualis excitatur ferro candente, in oleum intincto, difficilior fit ſolutio, & iudicatio quidem ad decimum quartum diem deducitur. Sanguinem autem vtplurimum exſpuunt. *Coac. 384.*

(60) Lingua circa initia quidem *horrida*, & in eodem colore perſeuerans, ſi procedente tempore *exaſperatur*, *liueſcit*, *finditur*, mortem denunciat. *Coac. 229.*

(61) Quod ſi lingua *admodum nigreſcat*, decimo quarto die criſin promittit. Periculi autem maxime plena eſt *nigra* et *ex virore palleſcens. Ib.*

(62) Linguæ *biſulcum*, velut alba ſaliua obductum, febris remiſſionem indicat. Eadem eſt ſignificatio, ſi hæc cir-

ca ſummam linguam contingant, minus tamen firma. *Coac. 230.*

(63) Linguæ *ſordes* et albedo febrem continuam ſignificant; nam ex eiusmodi febre redditur lingua ſordida. *Fienus.*

(64) Lingua, præter rationem *mollis* reddita, ac nauſeabunda, cum ſudore frigido ab aluo liquida, nigræ vomitionis ſignificationem adfert. *Coac. 232.*

(65) In acutis ſi adparuerint in lingua *puſtulæ,* ciceribus magnitudine æquales, in principio ſequentis diei mors ingruit. *Rhazes.*

(66) *Fauces,* vbi in acutis dolent, graciles ſunt, paruæ et ſuffocantur; atque vbi *os* hiauerit, nec promte adduci ac claudi poſſit, mentis emotionem portendi oportet. Ex his phrenitis pernicioſa eſt. *Prorrh. I, 11. Coac. 275.*

(67) *Fauces* exulceratæ, cum febre, aliquid graue portendunt. *Hipp. lib. prognoſt. ſ. 12.*

(68) *Fauces* leuiter exaſperatæ, & aluus ad inanes & irritas exſurrectiones obmurmurans, frontis dolores in ægris palpitantibus, & more inueſtigantium ſenſim contrectantibus, delaſſatis, & ex ſtragulis & veſtimentis dolentibus, & ſi quæ his increſcunt moleſtiam exhibent. Somnus in his multus conuulſionem minatur, frontisque dolores graues ac mictio moleſta ſunt. *Prorrh. I. 109. Coac. 267.*

(69) In acutis malis ſtrangulatus gracileſcentibus *faucibus* minatur perniciem. *Coac. 61.*

(70) Quibus ad *fauces* irritamenta ſunt, iis moderata aurium tubercula excitantur. *Coac. 264.*

(71) Vbi febricitanti *fauces* exulcerantur, ſi aliud quoque ex grauioribus ſignis adfuerit, periculum denunciandum eſt. *Coac. 276.*

(72) Si febrienti, nullo tumore exſiſtente, in *faucibus* derepente

pente ſuccedat ſuffocatio, nec niſi ægre deuorare queat, lethale. *Aph. VII, 60. Aph. IV, 35. Coac. 277.*

(73) Dolentes *fauces*, absque tumore, cum labore, moleſtia ac ſuffocatione, præceps minantur exitium. *Prorrh. I, 86. Coac. 265.*

(74) Angina grauiſſima eſt, & celerrime interimit, quæ neque in *faucibus* neque in ceruice quidquam conſpicuum facit, plurimum vero dolorem exhibet et reſpirationem difficilem, orthopnœam inducit. Hæc enim eodem etiam die & ſecundo & tertio & quarto ſtrangulat. At quæ in reliquis quidem ſimiliter dolorem exhibet, in *faucibus* vero tumorem ac rubores excitat, admodum quidem exitialis eſt, priore tamen longe diuturnior, ſi ingens robur fuerit. *Hipp. lib. prognoſt. f. 12. Coac. 363. 364. 565.*

(75) Cum *fauces* ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones conſiderandæ ſunt. *Aph. II, 15.*

(76) In febre vexato *collum* repente peruerſum, ac vix deglutire poſſe, ſine tamen tumore, lethale. *Aph. IV, 35. Coac. 278.*

(77) Si febre detento *ceruix* peruertatur; neque deuorare queat, tumore non adfligente, lethale. *Aph. VII, 61.*

(78) *Ceruix* dura cum dolore, venarum item iugularium palpitatio vehemens, cum tetano, pernicioſa. *Coac. 261.*

(79) *Pectus* et *hypochondria* in febribus, tumoris et dolorum expertia, & ſanis ſimiliora, bonum ſuppeditant præſagium. *Hipp. lib. prog. f. 5.*

(80) Celeres *extremorum* corporis *ad vtraque extrema* permutationes, perniciem denunciant. *Prorrh. I, 43. Coac. 50.*

(81) Caput, manus & pedes *frigere*, ventre & lateribus calentibus, malum denunciat. *Hipp. lib. prognoſt. f. 6. Aph. IV, 48.*

(82) Vbi toto corpore mutationes contingunt, vt ſi corpus

 refri-

refrigeretur, rurſumque *caleſiat*, vel color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem ſignificat. *Aph. IV, 40.*

(83) Præter corporis grauitatem, ſi *vngues* & *digiti liueſcant* in febre, mors confeſtim exſpectanda eſt. *Hipp. prognoſtic. ſ. 6. Coac. 493.*

(84) Quando in pleuritide et peripneumonia *calores* contingunt, interdiu tenues, noctu vero intenſiores, ſine effatu digno ſputamine; ſi porro circa *ceruicem* ſudores occupant; *oculi* cauantur; *malæ* rubent; *digiti* quidem manuum ſummi calent & ſcabri redduntur, *vngues* autem vnci fiunt & *perfrigeſcunt*, in *pedibus* denique tumores & in toto corpore puſtulæ erumpunt *cibique refugiuntur*, *vomica* ſignificatur. *Coac. 402. 432. Galenus Com. I. in Hipp. de humorib. ſ. m. 17.*

(85) Eorum, qui ex laſſitudinibus febricitant, *cutis* eſt ſiccior plus quam in aliqua alia febrium ephemerarum. *Galenus lib. II. de criſib. cap. XIII.*

(86) Febres, quæ ex denſata *cute* oriuntur, hæ ſolum ex omnibus paſſio ſunt adſtricta. *Ibid.*

(87) Inter lethalia ſigna numeratur calidus vapor per *cutem* emanans, ſi prius nares ſpiritum frigidum emiſerint. *Hipp. Epid. VI. ſect. IV. 27.*

(88) Phrenetici *parum bibunt*, ex leuibus ſtrepitibus facile irritantur ac percelluntur, tremuli ſunt. *Prorrh. I. 16. Coac. 96.*

(89) In acutis, ſi *ſitis* temere ac præter rationem ceſſet, malo eſt *Prorrh. I. 57. Coac. 58.*

(90) Moderatus capitis dolor, cum inexhauſta *ſiti*, aut ſudore febrem non ſoluente, niſi aluus erumpat, gingiuarum abſceſſus, aut tubercula circa aures denunciant. *Coac. 173. 175.*

(91) In morbis pulmonis *grauedines* & *ſternutamenta* tum præcedere, tum ſuccedere, malum. In reliquis vero morbis ſternutamentum vtilitate non caret. *Coac. 399.*

(92) In

(92) In grauiter & acute mentis emotis, ſi *febris* iterum repetat cum ſudore, phrenetici euadunt. *Prorrh. I. 15. Coac. 95.*

(93) Ex *præcordiorum doloribus* obortæ febres malignæ ſunt. *Prorrh. I. 56.*

(94) *Febres*, quæ ſoporem ac laſſitudinem inducunt, aut in quibus ægri caligant, agrypnia & tenuibus ſudoribus vexantur, malignæ ſunt. *Prorrh. I. 74.*

(95) Ex vehementibus *doloribus* obortæ febres diuturnæ ſunt. *Coac. 75.*

(96) Febres *vertiginoſæ*, & cum iliaco morbo complicatæ, perniciem intentant. *Coac. 106.*

(97) Febres *aſſiduæ*, quæ *tertio quoque die intenduntur*, in periculum ducunt. *Coac. 116.*

(98) Febris ardens *ex laborioſo ventris dolore*, perniciem minatur. *Coac. 130.*

(99) Hibernæ quartanæ fere in acutos morbos tranſeunt. *Coac. 159.*

(100) Febres, quæ *cum delirio inuadunt*, plurimos interimunt. Ita & *epidemicæ*, quando grauidas corripiunt, abortionis periculo easdem ſubiiciunt. *Hippocrates epid. I. f. 27. 28.*

(101) Si *venæ temporum* in febribus pulſent, & facies bene habita fuerit, absque præcordiorum mollitie, longum fore morbum metuere oportet, qui non ſine larga narium hæmorrhagia, aut ſingultu, aut conuulſione, aut coxendicum dolore deſinet. *Coac. 128.*

1) *In aliis morbis.*

(1) Quæ facies habitu atque colore, ab alias conſueto, plurimum recedit, nec breui ad ſani ſtatus formam reformatur, ea morbum imminere præmonſtrat.

(2) Quo latior, porrectior, ſibique plurimum conſtans facies in morbis deprehenditur, eo plenior de læta re-

uale-

ualeſcentia ſpes viget. Vbi tamen cauendum, ne delirabundam audaciam pro libero adſpectu nobis imponi patiamur.

(3) Vultus modo in triſtem, modo in lætum, ſine manifeſta cauſſa, variatio, ſemper ominoſa eſt; plerumque tamen de melancholica adflictione præbere ſolet teſtimonium.

(4) Coloris faciei repentinæ alterationes in rubicundum, ſeu inuadentes æſtus volatici, qui poſt paſtum inprimis coorti *diutius durare* obſeruantur, ii vitium in viſceribus plerumque latitans arguunt. Præcipue vero ſubitæ phlogoſes hæmorrhoidariis, hypochondriacis, atque hyſtericis ſatis eſſe ſolent frequentes, quæ malum radicatum ſignificant.

(5) Rubores faciei *vagi* & tranſeuntes non raro animi quædam pathemata, vt, verecundiam, pudorem, amorem indicant, maxime ſi cum pulſus inæqualitate coniuncti ſint. *Galenus de præcognitione lib. VI. f. 165.*

(6) Facies intenſius *rubens*, cum voce rauca & oculis micantibus, hominem ira percitum indicant.

(7) Facies *rubens*, oculi prominentes, cum vaſorum inflatione, modo congeſtiones ſanguinis ad caput & cephalalgiam, modo capitis & colli inflammationem denunciant, præcipue ſi ore hiante ducatur ſpiritus.

(8) Facies, *genis rubellis* conſpicua, ſæpe nihil minus, quam bonam valetudinem indicat. Nam hecticæ exacerbationis non raro exſiſtit index. *Bagliuius* de feminis, vteri cancro laborantibus, expertus teſtatur, quod iſtæ genas perpetuo rubentes circumferre ſoleant.

(9) Faciei color *floridus*, repente in luridum & *plumbeum* mutatus, in illis, qui pectoris vel abdominis hydrope laborant, adpropinquantis mortis eſt præſagium. *Bagliu.*

(10) Obſtructione viſcerum laborantibus, ſi facies naturalem viuidumque adhuc retinet colorem, talium hominum curationem ſuſcipito; nam facilius ſanabuntur: ſi vero facies a naturali ſtatu multum receſſerit, & pal-

lor

lor cum macie omnia occupauerit, curationem ne ſuſcipias, quia ſic adfecti non ſanabuntur. *Bagliuius.* Vbi tamen monente *Stahlio*, certo conſtare oportet de vero ac notabili viſcerum vitio, quo vtpote præſente, prognoſticon recte ſe habet; intelligendo tamen de conſtante huiusmodi decolorationis & extenuationis duratione.

(11) Chronica faciei *rubedo*, ad liuiditatem vergens, cum tuberculis paruis, duriuſculis, tranſeuntibus, hepatis denotat intemperiem, maxime ſi homo ſit ebrioſus. *Fienus.*

(12) *Rubedo valde liuida*, cum indecoro faciei ac naſi tumore, labiisque craſſis, elephantiaſis ſignum eſt. *Id. p. 158.*

(13) Facies *bene colorata* in mœſtis & adflictis ſemper ominoſa.

(14) Facies *euchroia*, ſeu *bene colorata*, cum ſudoribus diffluentibus, vetuſta ſtercora ſubeſſe, aut inordinatam victus rationem præ ſe fert. *Coac. 214.*

(15) Qui diu *pallidi* faciem habent tumidam, eos certum eſt, aut capitis, aut viſcerum dolore laborare, aut ſedem internam quodammodo male adfectam eſſe. *Prorrhetic. II. ſ. 91.*

(16) Facies *pallida*, vegeto oculorum obtutui iuncta, ſub orthoſtadia, homines nuper modo ab intermittente febre liberatos indicat.

(17) *Pallor* præterea in orthoſtadiis, cum turgidula faciei conſtitutione, ordinarie temperamentum phlegmaticum arguit.

(18) Facies *pallida*, *extenuata* in ſanis, ſæpe ſanguinis ad interiora repreſſi atque terroris prægreſſi index eſt.

(19) Facies *pallida* & tumens, cum cruribus præcipue œdematoſis, ſtatum corporis œdematoſo-hydropicum manifeſtat.

(20) *Pallor*, cum tenuiore adſpectu & colore ſubfuſco concurrente, vel ſanguinis ſpiſſitudinem, vel eius dys-

craſiam denunciat; quod ſi *labia* inſuper nimium palleant, oculisque inſit vigor, diturnum ſeu impetuoſum aliquod malum præceſſiſſe indicat. *Stahlius.*

(21) Facies anxia, *pallida*, & os tenui ſaliua diffluens, cardialgiam vomibundam aut propius inſtantem vomitum præmonſtrat.

(22) *Pallor* in adoleſcentibus ſequioris ſexus ordinarie vitium catameniorum prodit.

(23) *Pallida turgidaque* facies in iisdem ſubiectis adfligentis *cachexiæ* præbet indicium. Si autem color flaueſcens ſimul adfuerit, *chloroſin* denotat.

(24) Facies, quæ colore *flauo* ſeu *croceo* defœdata eſt, albumque oculorum eodem infectum oſtendit, icteri flaui ſignum eſt. *Nigricans* vero & album oculorum *nigro-viridi* colore fœdatum præ ſe ferens, icterum nigrum adeſſe ſignificat.

(25) Color *ſubfuſcus* leuior, ſecundum Priſcos, calidam hepatis deſignat intemperiem; verius autem tonum viſceris ſenſilem, vt ſæpe arctius ſtipatum icterωdes quid, arctato bilis tranſitu, parturiat. *Stahlius.*

(26) Faciei color, ad *viridem inclinans*, ex obſeruatione *Auicennæ* & *Foreſti* hæmorrhoidarium prodit. Sed ſignum nihilo minus incertum eſſe, experientia conſtat, cum color *liuidus*, *plumbeus* & ex *flauo virideſcens* etiam in illis adparere ſoleat, qui hepatis, lienis ac meſenterii obſtructionibus laborant, ſine vllo hæmorrhoidum fluxu vel prægreſſo, vel vmquam ſecuturo. *Stahlius.*

(27) Facies ex pallido *liueſcens*, extenuata, in qua oculi concaui, labia pallida, naſus vero & mentum acuminata adpareant, ſanguinis iacturam per copioſas hæmorrhagias ſignificat.

(28) Speciatim facies pallida *liueſcens* & quaſi tabida in ſubiectis, hæmoptyſi obnoxiis, paroxyſmum hæmoptyicum præcedere ſolet, ob ſanguinem copioſius ad pulmonem congeſtum & reſtrictum. Hinc oculi concaui, retracti, & circa

& circa inferiores palpebras circulo liuido notati, comparent.

(29) Adſpectus vndique morboſus, & ad faciem *hippocraticam* propius accedens, interdum vero malas rubedine tinctas referens, ominoſæ tabis certum eſt indicium.

(30) Adſpectus *luridus*, cum oculis concauis, circulo liuido circumdatis, & labiorum pallore, ſæpe gonorrhœam & album fluorem prodit, ſi in primis maligne fluentes fuerint.

(31) Facies *cito tabida*, extenuata adparens, ſuumque colorem atque decorem amittens, tam de præſenti malum, quam de futuro ſuſpectum eſt. *Stahlius.*

(32) Si *tempora* adſtricta ſunt; ſi membra inhorreſcunt; ſi ſpiritus grauior eſt; ſi circa *frontem* intentæ *venæ mouentur*; ſi frequentes oſcitationes; ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumque corpus laſſitudinem ſentit: imminentem morbum prænunciant. *Celſus lib. II. cap. II. p. m.52.*

(33) Vultus *auſterus, moroſus*, immo *tetricus* & *decolor*, pluribus valetudinariis & cum chronicis malis conflictantibus communis eſt, vt adeo de hypochondriaco-hæmorrhoidariis, hepatis & ſplenis labe adfectis, ſcorbuticis, venereis, melancholicis, ſigillatim aliquid proferre, non ſit neceſſum.

(34) *Næui materni* in facie, ſi in morbis conſuetum colorem & turgiditatem retinent, bene inde ſperare licet; ſi vero decolores, flaccidi marcidique adparent, peiorem formare oportet prognoſin. *Stahlius.*

(35) *Maculæ* faciei flaueſcentes in feminis, orthoſtadia vtentibus, grauiditatis ſtatum indicant. Vulgo dicuntur die Kinderflecken.

(36) *Frons* frigido ſudore madens, vti in febribus mali ominis eſt; ita in hypochondriacis & hyſtericis minoris habetur momenti.

(37) *Oculi* in albo valde *rubentes* ac in palpebris inflammati, ophthalmiæ malum ſignificant.

(38) Oculorum *rubedo* inſignes quoque congeſtiones aut capitis dolores denotat, inprimis ſi frons rubeat & ſubiecta luminis impatientes fuerint. *Conf. n. 7.*

(39) Oculi *humidi* ſæpe ſignificant plethoram; facile autem lacrymas fundentes in hypochondriacis & hyſtericis, parum attendendi.

(40) Oculi ita *turgeſcentes*, vt extra orbitas ſuas promineant, cum venularum inflatione & reliquæ faciei turgeſcentia ac rubore, in angina ſuffocante funeſtum eſt præſagium. *Stahlius.*

(41) Quibus in conuulſionbus oculi intente *ſplendent*, iis mens non conſtat, & diutius morbum trahunt. *Coac. 351.*

(42) Oculi *magni* cerebri humiditatem ac humorum indicant abundantiam. *Fienus.*

(43) Oculi in morbis fiunt *maiores*, ob copioſum humorum influxum. *Idem.* Hoc de quibusdam verum eſt.

(44) Qui partes eas, quæ ſubſunt oculis, vehementer ſublatas habent, magnos habere lienes comperies. *Prorrh. II. ſ. 92.*

(45) A multis lacrymis *minuuntur* oculi. *Mercurialis.*

(46) Oculi inter dormiendum *ſemi-clauſi*, niſi ex animi adfectu, aut fortiori medicamento id contingat, ſuſpecti ſunt. In pueris non raro verminoſam indicant adflictionem: *arctius* vero in acutis *clauſi* comatoſam debilitatem nunciant. *Stahlius.*

(47) Viſus abolitio, oculo adparente illæſo, poſt apoplexiam vel epilepſiam, aut conuulſiones fortiores eueniens, mortis ſignum eſt. *Baglivius.*

(48) Si vno oculo clauſo *cataracta* alterius *mouetur*, nondum adeſſe cæcitatem indicat, aut obſtructionem in neruo optico. Vnde & viſus reſtaurandi ſpes viget. *Fienus.*

(49) Ocu-

(49) Oculi *peruerſio* & *diſtorſio*, e doloris in lumbis recurſatione, mala. *Coac. 341.*

(50) Erumpentes circa oculos *eminentiæ*, dum ægri ex morbo recreantur, prorumpentis alui ſpem faciunt. *Coac. 220.*

(51) Oculi *caligantes* & fere *clauſi* cum inſigni ſtupore & torpore, oris ſpuma & facie, ob toni defectum tumida atque pallida, apoplexiæ triſte ſunt indicium.

(52) *Pupillæ paruitas* viſionis robuſtioris ſignum eſt. Nam ſpecies viſibiles in hac magis vniuntur, quam in dilatata, in qua magis diſſipantur. *Fienus.*

(53) *Iris* ſplendore orbata, *aqueus humor* obſcuratus, & *pupilla* depreſſa, cum oculorum immobilitate, mortis inſtantis eſſe ſolent indicia.

(54) Tenuitas corporis in iis, qui triſtitia, quam qui cogitationibus vexati ſunt, manifeſtior adparet, & *oculorum concauitas* & quædam inſolita decoloratio. Et hæc quidem communia omnium etiam aliorum, qui quocumque modo cogitationibus impliciti fuerint, indicia ſunt: ſed præcipue ex oculis diſcernendi. Licet enim ex his etiam in ſanis animi adfectum coniicere. *Galenus lib. II. de criſib. cap. XIII.*

(55) Illos, qui propter diſciplinas, aut propter meditationem aliqua cogitauerunt, ab iis, quos triſtitia corripuit, diſcernere oportet. Eos tamen, qui nimium vigilarunt, diſtinguit decolorationis modus & humiditas. Nam ſubtumida ipſis facies eſt, & oculorum motus manifeſti, vix præterea attollunt palpebras. Vtriusque vero ſicciores ſunt oculi. *Idem.*

(56) Triſtitiæ, vigiliæ atque curarum commune accidens eſt oculorum *concauitas.* *Idem.*

(57) Oculorum *concauitas*, facies decolor, vultus anxius & moroſus in grauidis, fœtum pernicioſe habentem, interdum vita iam priuatum nunciant.

(58) Qui vehementer efflant & *reflexis* ſunt *palpebris*, ac

per ſomnum leuiter ſuſpiciunt, aurugine admodum fœdati & largius colorati, moriuntur. In his præcedit album alui recrementum. *Coac. 64.*

(59) *Palpebræ* nimium *reſiccatæ*, ſeu *puluiſculus*, vt *Hippocrates* ait, in *oculo concretus*, portendit inſaniam. Ex intenſo enim æſtu areſcunt palpebræ & aſperantur, vt puluis fricans videatur ſubeſſe.

(60) Tumores in ſuperioribus *palpebris* relictos conſiderare oportet. Aliis namque circum graciloſcentibus morborum reuerſiones denunciantur. Videndæ quoque ſunt palpebræ, quæ in extremitate aliquantulum rubeſcunt & indurantur, atque inter eas maxime glutinoſæ, extumeſcentes quæque in his continentur. *Epid. VI. ſect. VIII. n. 36.*

(61) *Nares* acuminatæ æque malæ ac totius faciei extenuatio. Quod idem etiam de mento valet.

(62) Nares *prurientes*, ſine cauſſa externa, verminoſum ſtatum indicant.

(63) Narium *fœtor* ſæpe mucum inibi fœtentem hærere arguit, ſubinde vero ozænæ indicium eſt.

(64) Per nares potum adſumtum reddi, in angina periculoſum.

(65) *Os*, deformiter diſtorſum, vel paralyſin, vel ſpaſmum cynicum arguit.

(66) Ex ſtrangulatis & diſſolutis, nec dum mortuis, ii minime ad vitam redeunt, qnibus ſpuma circa *os* collecta fuerit. *Aph. II, 43.* *Galenus* autem in *Comment. ad h. l.* ſcite monuit, τὸ *magna ex parte* hic ab *Hippocrate* omiſſum et neceſſario ſupplendum eſſe.

(67) Quibus lienes magni ſunt, iis vitiantur gingiuæ, & *os* graueolet. *Prorrh. II. ſ. 92.*

(68) Si cui ſine febre cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, tenebricoſa vertigo & *os* amarulentum fuerit, eidem purgatio per ſuperiora indicatur. *Aph. IV, 17.*

(69) *Den-*

(69) *Dentes* robuſti & ſpiſſi longæuitatis habentur ſigna. Nam raros *Ariſtoteles* breuioris vitæ facit iudices. *Fienus.*

(70) *Dentium ſtridor* ordinarie vel conuulſionis vel mentis emotæ ſignum eſt; in ipſo autem delirio ſæpe portendit mortem.

(71) *Dentis corruptio* abſceſſum, circa gingiuas factum, ſoluit.

(72) Si *lingua* derepente incontinens, aut aliqua corporis pars ſiderata euadat, id atram bilem indicat. *Aph. VII. 40.*

(73) Cum *fauces* ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones obſeruandæ ſunt. Si namque bilioſæ ſint, corpus ſimul ægrotat. At ſi ſanorum ſimiles exſtiterint, corpus ſecure nutrias. *Aph. II, 15.*

(74) *Faucium* gracilium dolores ſuffocantes conuulſionem minantur; tum vero in primis, cum ex capite originem ducant. *Prorrh. I, 104.*

(75) *Raucitas*, cum tuſſi & aluo liquida, pus educit. *Coac. 414.*

(76) Colliquatio, cum *raucedine*, hepatico malum portendit, idque præcipue, ſi cum quadam tuſſi contingat. *Coac. 447.*

(77) Si mammarum *pupillæ* & rubra circa eas circumferentia pallida fuerint, morboſum eſſe vteri receptaculum ſignificatur. *Hippocr. lib. VI. epid. Sect. V, 17.*

(78) *Pectus* laudandum quadratum & hiſpidum, cuius cartilago exigua & admodum carnoſa eſt. In quo namque hæc omnia inerunt, is maxime ſuperſtes futurus eſt; at qui nihil horum habuerit, exitio maxime adfinis eſt. *Prorrh. II, 72.*

(79) *Cutis* corporis ſqualida & plus æquo ſicca malæ adfectæ alui index eſt. *Coac. 625.*

(80) *Sternutamenta* ſi accedant ſingultu detento, ſingultum tollunt. *Aph. VI, 13.*

(81) Vt

(81) Vt plurimum omnes male habentes circa initia quidem *cibum bene ſumentes* neque quidquam proficientes, rurſus tandem cibum auerſantur. At qui circa *initia* cibos vehementer faſtidiunt, poſtea eos probe adſumunt; & hi melius degunt. *Aph. II. 32. Coac. 127.*

(82) *Potum ægre deglutienti,* cum ſpiritu tuſſiculoſo, eructatio quodam modo reuulſa, intro conuoluta, ventris dolorem denunciat. *Coac. 632.*

(83) Qui ſumta potione medica, dum purgantur, non ſitiunt, ii purgandi finem non faciunt, donec ſitiuerint. *Aph. IV. 19.*

(84) In epidemicis omnes prorſus cibos ad extremum vsque auerſari, exitioſum. *Hippocrates lib. I. epid. ſ. 20.*

(85) Si quis ex morbo cibum capiens vires non recipiat, copioſiore alimento corpus vti ſignificat. Quod ſi cibum minime capienti iſtud contingat, euacuatione indigere ſciendum eſt. *Aph. II. 9. 31.*

(86) Vbi copioſior cibus ingeſtus fuerit, id morbum creat. *Aph. II. 17.*

(87) Quibus lien deorſum propendet, iis pedes, genua & manus *calent,* nares & aures ſemper *frigent.* Videndum igitur, num illis tenuis ſanguis inſit, & num natura talem habeant. *Epid. VI. Sect. II, 36.*

(88) Qui *thoracem* habent anguſtum, aſthmati & phthiſi ſiunt obnoxii; gibboſi vero & anheloſi & breuioris vitæ eſſe ſolent. *Fienus.*

(89) *Aetas iunior* facilius ſuperat morbos quam *ſenectus.* In illa enim vires ſunt valentiores, in hac autem proſtratæ & multum deficientes.

(90) In morbis vero epidemicis non raro iuniores ſuccumbunt, ſeniores contra ſeruantur. Notatu digna eſt obſeruatio *Hippocratis* de ſtrage quadam ſuo tempore epidemica: magnus, inquit, fuit morborum numerus, atque ex ægris præcipue interibant *adoleſcentes, iuuenes,*

ætate

ætate florentes, quique erant glabro corpore, cute ſubalbida, extenſo ac nigro capillitio & *nigris oculis*, *otioſe ac ſegniter vitam degentes*, voce alta, exili, aſpera, balbi, iræ præcipitis & acerbæ; plurimæ etiam *huiusce generis* mulieres peribant. *Lib. I. epid. f. 30.*

IV. *OBSERVATIONES.*

1. In ea quidem aliqui Semeiologorum eſſe ſolent ſententia, vt arbitrentur, ad prognoſin in morbis ſolum ſufficere *pulſum*; alii autem hunc veluti fallacem damnantes, *vrinam* potius, ceu abſolutiſſimum ſignum, præferunt vniceque ſuſpiciunt. Verum plurimi vtrumque retinent & inſuper omnia, de quibus in præcedentibus & hac tabula actum eſt, in ſuum ægrorumque commodum conuertere ſtudent.

2. Et horum ſane conatus cum Priſcorum Medicorum moribus & praxi conſpirat, vtpote qui nihil obſeruatu dignum prætermiſerunt, quod ad prænoſcendum & prænunciandum conferre poterat ſymbolam. Ita *Hippocrates lib. I. epid. Sect. III. f. m. 33.* diſſerit: Quæ in his, quæ ad morbos ſpectant, dignotio facienda ſit, facile diſcemus ex *communi omnium* & *cuiusque propria natura*, ex *morbo* & *ægroto*, ex his quæ offeruntur, & eo, qui offert. Nam & ex his melius vel grauius ſe habent.

3. Præterea ſigna petenda ſunt ex vniuerſali & particulari aëris conditione & regionis cuiusque; porro ex conſuetudine, victus ratione & genere, ex cuiusque ætate, ægri ſermonibus, moribus, ſilentio, imaginationibus, ſomnis, vigiliis, ex inſomniis, quæ *qualia* & *quando* obueniant, videndum eſt; tandem ex vellicationibus, pruritibus, lacrymis, paroxyſmis, deiectionibus, vrinis, ſputis, vomitionibus. Videndæ ſunt etiam quæcumque fiunt morborum viciſſitudines, ex quibus & in quos ſuccedant, & quinam abſceſſus perniciem, aut ſolutionem portendant. Sed & ſudor, rigor, perfrictio, tuſſis, ſternutationes, ſingultus, ſpiritus, eructationes, flatus ſilen-

tes, ſtrepitum cientes, ſanguinis eruptiones, hæmorrhoides atque ex his, quæ per hæc contingunt, conſideranda ſunt.

4. Sane quo antiquiores occurrunt Medici, eo ſtudioſiores deprehenduntur ſignorum obſeruatores. *Auctor* minimum *libri VI. epid.* qui *Hippocrati* ſi non Synchronos fuit: paulo tamen poſt illum floruit, *Sect. VIII. n. 35.* Practicis ſerio inculcat, vt corpus eiusque in morbis actiones, viſionem, auditionem, tactum, naſum, linguam et ratiocinationem curate attendant. Et *Sect. V.* ſcribit: naturam quidem citra diſciplinam, nec ab vllo edoctam, efficere, quæ conueniant, ſed plura nihilo minus a Medico eſſe conſideranda, et in his numerantur lacrymæ, narium humor, ſternutationes, aurium ſordes, oris ſaliuatio, ſputi eductio, ſpiritus ingreſſus & exitus, oſcitatio, tuſſis, ſingultus, vrinæ ſeceſſus, flatus, alimenti et transpirationis actio; præterea quæ *mulieribus* inſunt et toto corpore accidunt, ſudores, pruritus & quæcumque id genus His omnibus addit *Galenus cutim, pilos* & *vngues. Comment. I. in lib. Hipp. de humorib. f. 17. Celſus lib. II. cap.* II.

5. Iſta quidem de veterum in obſeruando teſtantur ſolertia, imitatione quouis modo digna. Vbi tamen diffitendum non eſt, eos plura in commentaria ſua retuliſſe, quæ vti cenſuram merentur; ita circumſpectam adplicationem poſtulant. In tot enim prognoſibus, in quibus *effectus* præmiſſæ *cauſſæ* ſubnectitur, mira eſt obſcuritas, & non raro nexus ἀλογος.

6. Rationes imperfectionis huius non latent. *Prima* eſt humanarum rerum viciſſitudo & errandi procliuitas. *Altera* veræ theoriæ defectus, quo ſi non laboraſſent, multo ſaniora protuliſſent ratiocinia ac prognoſes longe veriores. Quis enim e. g. qui motus tonici iuſtam habuerit theoriam, hodie crediderit, cutem tuberoſam & inſtar anſeris deplumati grandinoſam, ſignum eſſe lepræ? quis ſanguinem ſpumantem & ſpuitione excretum ex iocinore proceſſiſſe ſibi perſuadebit? quis denique morbum in illa parte hærere ad-

nuet,

nuet, in quo ſudor erumpit? vt pluribus iam ſuperſedeamus.

7. *Tertia* ratio non immerito habetur fallacia cauſſarum. Nimirum effectum quemdam in morbis obſeruarunt vere præſentem, eiusque fide dignam reliquerunt relationem. Sed quia ſæpe *veram* cauſſam præteruiderunt, fieri non potuit, quin multæ enaſcerentur prognoſes abſurdæ & inſomniis haud diſſimiles. Ita per plura præſagia damnatæ quidem ſunt crebræ caloris ac frigoris mutationes; in *Coacis prognoſibus n. 125.* diſerte legitur: frequens *coloris* cum *calore* permutatio, bono eſt. Sine dubio obſeruata ſunt iſta in aliquo, qui ſub eiusmodi tonicis alterationibus conualuit, profecto non absque aliis ſignis ſalutaribus, quæ tamen hic non communicantur. Ita pariter ibidem *n. 302.* adſeritur: *tubercula*, ad aures oborta, *adferre mortem* iis, in quibus præcordia anxietate vexentur. Par eſt omnino, vt credamus, aliquem grauiter laboraſſe præcordiis, eidem oborta eſſe tubercula, imo & mortuum eſſe. Verum ex longe alia cauſſa, quam ex tuberculo. Quia autem vera mortis cauſſa hic iterum reticetur, multis imponitur, vt eamdem fallaciam cauſſæ non cauſſæ in praxi cum antiquis committant. *Conf. Fœſius ad hanc prog.*

8. *Quarta* denique ratio iure ponitur in librariorum aberrationibus, opinione grauioribus. Certum enim eſt, *Hippocratem*, ſi reuiuiſcere ipſi contingeret, multis in locis propria ſcripta, ob mendoſam deformationem, ſæpe non intellecturum eſſe, veluti pridem *Galenus* adſeruit.

9. At ſatius eſt aliquot abſonas vna cum multis vtilibus habere prognoſes, quam omnimoda earum laborare penuria. Grata mente & iſtis vtendum, ac penus medico-ſemeiologicus depauperatus ſupplendus. Vnus enim *Hippocrates* & *Galenus* plures congeſſerunt prognoſes, quam omnes poſt ipſos Medici.

10. Præterea ad excuſandas quasdam hactenus erroneas & ineptas viſas prognoſes facere poteſt indiuiduorum peculiaris diſpoſitio, ſenſibilitas ac ſingulares animi mores, ex quibus non pauca monſtroſa oriri ſolent ſymptomata. Et cur omnem *Hippocratis* atque *Galeni* reiiceremus fidem, cum tamen *Schenckio*, *Hildano*, *Foreſto*, *Horſtio*, *Boneto*, *van der Wiel*, *Blaſio*, *Salmutho*, *Tulpio*, *Borello*, *Ruyſchio* multisque aliis recentioribus, paradoxa, inſueta, ac ferme portentoſa referentibus, eam non denegemus.

11. Quæ ceterum ex tot a nobis ſuppeditatis prognoſium centuriis, ad rationem & experientiam, tamquam ad lapidem lydium, exactæ, veritatis apodeixi deſtituuntur, eas nec nos recipimus, tantum abeſt, vt aliis ceu vera & attentione digna commendare velimus.

12. Vt tandem legentibus conſtet, quibus *Hippocratis* & *Galeni* vſi ſimus *editionibus*, obſeruent: *prioris* opera nos adhibuiſſe *Francofurti* ad Mœnum ao. 1595. excuſa; *poſterioris* autem *Venetiis* anno 1562. euulgata.

FINIS.

SERIES TABVLARVM PATHOLOGIAE.

Tab. I.	De	Morbis generatim	pag. 1.
II.		Differentiis morborum	15
III.		Subiecto morborum	31
IV.		Cauſſis morborum	36
V.		Plethora	53
VI.		Spiſſitudine ſanguinis	64
VII.		Cacochymia	73
VIII.		Hæmorrhagiis naturalibus	79
IX.		Congeſtionibus	120
X.		Spaſmis & conuulſionibus	133
XI.		Febribus	153
XII.		Morbis lymphatico-ſeroſis	193
XIII.		Morbis primarum viarum	213
XIV.		Motuum vitalium defectu	236
XV.		Morbis animi	264
XVI.		Caſibus reſeruatis	286

SEMEIOLOGIAE.

Tab. I.	De Semeiologia generatim	307
II.	Pulſu	328
III.	Reſpiratione	352
IV.	Motus tonici alterationibus	364
V.	Criſibus	379
VI.	Sanguine	413
VII.	Sudore	433
VIII.	Vrina	447
IX.	Vomitu & aluinis deiectionibus	497
X.	Abſceſſibus	520
XI.	Sputo	532
XII.	Senſuum & motus voluntarii alterationibus	545
XIII.	Facie aliisque partibus externis	582

INDEX.

Not. Paginæ 525 - 528. bis reperiuntur, hinc per adpoſitas litteras ſuas V v v. X x x indicantur.

A.

Abdominis ſpasmi 136
Abercromb (Dauid) 348
Abſceſſio per decubitum & per effluxum, αποςασις κατ' αποθεσιν, κατ' εκκρισιν 522
Abſceſſus 520
critici & ſymptomatici 392. 402. 520. 521
criſes eorum apud nos raræ 529
ab antiquis Medicis diligentius obſeruati 528. lit. X x x.
prognoſis de illis in febribus 523. ſeqq.
- - in aliis morbis 527. ſqq. lit. V v v.
- - ab antiquis petenda fuit 529
interdum peregrinas res continent 531
in ſuperioribus & inferioribus 393
ad aures 526. lit. X x x. 528. lit. V v v.
in pectore & pulmonibus 528 lit. X x x.
Abundantia humorum a veteribus inter cauſſas febrium numerata 170
- ſanguinis 415
Acbores 121
Acidum morborum cauſſa princeps 7
Acres humores congeſtiones efficere debent 126
Acrimonia multorum morborum cauſſa efficiens eſſe cogitur 12. 68. 92. 93. 98. 145. 146
Acriſia 381. 404
Actiuitas nimia 547
Acuti morbi: eorum prognoſis ex ſignis ſæpe fallit 326. 327. 407
quæ in paralyſes degenerant 383
cur maligni nominentur 394
Acutiſſimi morbi, num etiam criſeos ſubiecta ſint 408
Adamas venenis adnumeratur 288. 302
Addephagiæ ſubiecta 216
Adoleſcentes hæmorrhoidarii 90
eorum morbi 38. 39
Adpetitus num cauſſis materialibus adſcribendus 218. 219
eius conditio 313
excedens vel deficiens 218. 219
abolitus, proſtratus, deprauatus 213. 214
maior quam neceſſitas poſtulat 59

iunio-

iuniorum cur ſæpe in voracitatem degeneret 57
adultorum, eius vigor vnde 58
Adſpectus liber in morbis 596
morboſus 599
luridus ibid.
vid. Facies.
planetarum criſes efficere debent 400
Adſtrictio febrium cauſſa habita 171
Adſtringentia noxia in hæmorrhagiis cohibendis 302
cachexiam producunt 201
in pulmone & renibus exulcerationes relinquunt 116
Adſuetudo ad inſultus rheumaticos 127
Adſumta vrinæ malam qualitatem conciliare poſſunt 488
Aegidius Monachus 347
Aegri fiducia erga Medicum facies optima 584
ſi ægris omnia fœteant, adſtantes idem non percipiant 566. 574
Aequilibrium circulationis ſublatum hæmorrhagiarum cauſſa ſtatuitur 96. 98
Aër quinam ſalubris 32
eius conſtitutio morborum cauſſa 3
impurus febres concitare poteſt 173
eius mutatio rheumatiſmum reuocat 127
Aeſtimatio naturæ præpoſtera 47
quid valeat in congeſtionibus rheumaticis 127
Aeſtus nimius febrium cauſſa fieri poteſt 173
febrilis 174. 175. 182
Aetas quid ad morborum frequentiam faciat 31. 36. 40
hæmorrhagiarum cauſſa 97
infantilis, media & ſenilis quid ad motuum omiſſiones conferant 259. 260
eius mutatione morbos quosdam ſanari 51
iunior morbos facilius ſuperat 604
Aetates tres priores cur plethoræ anſam præbeant 56
Aetatum morbi 19
diſtincte perſpici debent 27
Aetheris celerrima per poros traiectio febres concitare creditur 172. 175
Aëtius Amidenus 347
Agrypnia 563. 564. 573
Ἀκμὴ 161
Alacritas inſolita in malignis 309
Alalia 550
Albertus (Iac.) 324
Alcali & acidi coniunctio morbos producere creditur 7
Alexius (Alex.) 348
Alcola in circulo vrinæ 487
Alpinus (Proſper) 324

Aluina

Aluina deiectio 314. 497
prognoſis generalis de illa 502
- ſpecialis in febribus 505. ſeqq.
- - in aliis morbis 513. ſqq.
- certior quam reliquorum ſignorum 518
ſpontanea vel artificialis 499
aquæ ſimilis in febribus 506
critica & ſymptomatica 499
optima & vitioſa 503
graueolens, ramentoſa 510. 517
purulenta, nigra, ſpumeſcens, liuida, pinguis 510. 516
prærubra, albicans, ex viridi palleſcens 506. 514
diu retenta 502
Alui profluuium 514
vid. Diarrhœa.
Aluus adſtricta 514
in febribus 507. 508
in aliis morbis 513
aquoſa cum bile mixta in febribus 506
bilioſa 515
clauſa 510. 514
fluxa in febribus 506
liquida cumulata in febribus ibid.
intercepta, caprarum ſtercoribus ſimilia emittens 507
irritata in febre purpurea 507. 508
obſtructa, eius cauſſa 225
ſuppreſſa 513. 514
Alzabarauius 323
Amarities oris 566. 574
Amentia continua 546
Amiſſionis motus non tam noxii quam *omiſſionis* 260
virium amiſſio 238. 244
Amorem per cauſſas naturales conciliari poſſe negatur 290
Anaiſtheſia 243. 550. 567
Anaſarca 193. 196
Anatome num cauſſas morborum detegere poſſit 50
Anaudia 550
Angina 122. 383
grauiſſima 593
Anima a nonnullis Archæus dicitur 7
eius principes actiones 264
duæ a Williſio traditæ 8
a nonnullis vt morborum faber agnoſcitur 9
cum corpore coægrotat 579
vnde poſt lapſum motus erroneos inſtituat 150
eſt febrium cauſſa efficiens 173
quomodo melancholiæ & maniæ cauſſa efficiens eſſe poſſit 271
vid. natura & principium rationale
Animalis rabidi venenum alio etiam modo quam per morſum communicatur 283

morſus deleterius 282
Animi morbi 19. 28. 264
commotio rheumatiſmum reuocat 127
deliquium 243
pathemata 45
- energiam vitalem infringunt 245
- faciei perturbationes efficiunt 585
- morbos producunt 32. 35. 146. 147
- magnam vim habent in febribus concitandis & turbandis 114. 185
- hæmorrhagias promte mutant 107
- ad icterum occaſionem præbent 203
- vrinam alterant 450
eius imagines corporis adfectionibus ſimiles ſunt 580
Ανηκοια 548
Anni climacterici inter apoplexiæ cauſſas referuntur 253
Ανοδμια 549
Anorexia 213
eius ſubiecta 216
Anthrax 168
Anxietas 264
Aphonia 243. 364. 367. 550
in febribus 372
in aliis morbis 376
cum ſingultu 372
ex ictu fulminis 294
Aphthæ 121
Apnœa 243
Apoplexia 236
ſanguinea & ſeroſa, leuior & exquiſita 239. 240
vtrum morbus ſolſtitialis an æquinoctialis 261
a defectu liquidi neruei 240
eius frequentia ratione ſexus 261
quomodo differat a catarrho ſuffocante 240
- a paraplexia ibid.
- a paralyſi ibid.
- a morbis ſoporoſis 241
leuior interdum in paralyſin abit 237
eius cauſſæ 250 - 253
ex ſpaſmis thoracis 135
ex fulminis tactu 294. 295
Apoſtema 520
vide Abſceſſus.
Apoſtemata interna periculoſa 382
Apoſtematologiæ prognoſis vnde petenda 529
Aqua frigida corpori calenti ſuperfuſa nocens 288
fortis & regia 288
ſubmerſi 296
eius copia in ſubmerſis num vera ſit cauſſa 296. 297
Arabum laudationes vroſcopiæ 493
Archæus Helmontii 6
Archigenes 4. 322. 328. 347

Ardor

Ardor ventriculi 214
eius ſigna 215
eius ſubiecta 217
eius cauſſae 220
a nonnullis *orexis* dicitur 231
Arenulæ in vrina 458. 459. 466. 486
Aretæus Cappadox 322
Argenterius (Io.) 324
Aria Turcheſa quid ſit 282
Arquatus morbus 210
Arſenicum 288
veterum nihil commune cum noſtro habuit 301
noſtrum nocet interne & externe ibid.
Arteriarum obſtructio in hæmorrhagiis allegari non poteſt 94. 95
pulſus 337
Arthritis vera & vaga 138
humeris & ſcapulis infeſta ibid.
Aſcites 194
eius ſigna 196
Aſclepiades quam pathologiam conſtituerit 4
Aſitia, *Apoſitia* 213
Aſodes 156
Aſphyxia 243
Aſthmata 122
humidum & conuulſiuum 135. 206
Aſtra num influant in corpora ſublunaria 400. 411
Athenæus 4
Athletæ olim hæmoptyſin patiebantur 99
Atomi in vrina 458
Atra bilis melancholiæ cauſſæ creditur 270
Atrophia 122
eius confectarium eſt *rhachitis* 131
Auditus ad ſigna morbi dignoſcenda quid conferat 316
eius grauitas ex tactu fulminis 294
quas alterationes patiatur 548
abolitus ibid.
deprauatus ibid.
imminutus ibid.
Auerroës 323
Auicenna ibid.
Aurelianus (Cælius) 322
Auripigmentum a Celſo arſenicum vocatur 301
Aurium manationes 121
tinnitus vnde 55
- - in morbis 557. 574
dolor acutus 568. 589
ſonitus 557. 565. 566
ſordes 589
Aurugo 210

B.

Balbuties ex fulminis tactu 294
Bartoletus (Fabr.) 324
Baryphonia 530
Bellini (Laur.) 348
Benedictus (Alex.) 324
Bertruccius (Nicol.) ibid.

Bilis aluinas deiectiones promouet 503
hæmorrhagias excitare ſtatuitur 93
veteribus febrium cauſſa fuit 170
flaua & nigra 5
vitiata icteri cauſſa 202
Binder (Vdalr.) 347
Blut: ſchweres Blut, ſchwerer Muth 65
Bontekoë pathologiæ falſæ defenſor 7
Branchus 122
Bulimus 214
eius ſubiecta & cauſſæ 216.219
Bullæ in vrina 458
rubeæ 477
cœruleæ 488
Butyrum antimonii 288

C.

Cachexia 193.205
eius ſigna, ſubiecta & cauſſæ 195.198.200
a ſanguinis profuſione 207
Cacochymia 73
eius fortuna varia 77
ignorantiæ aſylum ibid.
non eſt productum ſalſedinis 75.76
cacochymica humorum conſtitutio raro motuum deſertionem inducit 249.250
Cælius (Ant.) Meſſanenſis 348
Cæſalpinus (Andr.) 324
Calculus 39.40.122
*calculum mentiens dolor in lumbis 317
calculi in vrina 459
- - in ductibus bilariis vnde 203
- - morborum cauſſæ 43
Calidum & amarum aut acutum febrium cauſſa a veteribus ſtatuitur 170
Calor ab extra morborum cauſſis adnumeratur 5
febrium cauſſa habitus 171
febrilis eiusque cauſſæ 174.175.182
Campolongus (Aemil.) 324
Cancri 78
Canes num febribus corripiantur 165.166
num fulminis tactui obnoxii 304
vnde delirioſi fiant 282
verminoſi 233
Canicula Helmontii philtro capta 292
Cantharides 289
Capillorum defluuium 542
Capiuaccius (Hieron.) 348
Caput cur in infantia & pueritia congeſtionibus tentetur 37
eius ſpaſmi 134.138
- - dolores 558.567.574.575.578
Carbunculi 78
Cardanus (Hieron.) 324

Cardial-

Cardialgia 136. 214
eius ſubiecta & cauſſæ 217. 225
Carnes quæ ſanguinem melancholicum generare creduntur 269
Carunculæ in vrina 459
Carus 242. 545. 547
Caſeus, eius conſpectus quid apud quosdam efficiat 441
Caſſia vrinæ colorem mutat 488
Caſus reſeruati 286
Catalepſis 134. 241
Cataphora 241
Catarrhalis materia in congeſtionibus vnde 128
Catarrhus 122
multis ignorantiæ aſylum fuit 211
ſuffocans 237. 241
eius cauſſæ 253. 254
- - quo modo ab Apoplexia differat 240
- - vtrum adultorum an infantum morbus ſit 261
Cathartica draſtica deleteria 288
ſpaſmis inducendis apta 44. 146
Catochus 241
Catypnia 547
Cauſſæ morborum 3 ſqq. 36. 507
materiales 14
immateriales 44. 51
præternaturales 51
earum cognitio magni vſus eſt 49
- - quatuor genera metaphyſicorum 48
num ex vrina innoteſcere poſſint 489
Cauſus 157
Celſus 322
Cephalæa 121
Cephalalgia ibid.
Cerebrum, eius humiditas num obliuionis cauſſa 275
eius concuſſio 574
eius hæmorrhagia 119
felis 289
Ceruicis dolor 567. 568. 588
Chemicorum principia Sal, Sulphur & Mercurius 5
Chiragra 138
Chloroſis 193
Cholera 214
Cholerici ad febres ſunt proniores 166
eorum morbi peculiares 41
plures eorum minus ſunt iracundi ibid.
eorum modus edendi 216
- - vrinæ quales 449
Chordapſus 234
Chorea S. Viti ſ. ſaltus S. Modeſti 265. 266
eius cauſſæ 274
differt a Tarantiſmo 280
tamquam remedium prophylacticum adhibetur 281
Chriſtianus (Andr.) 324
Chronici morbi vtrum per criſin iudicentur 395. 407. 408

 num

num ſemper per abſceſſus ſol-
uantur 407
laborioſorum vnde 35
Cibi, eorum abuſus et varietas
plethoram alit 57
in ſe laudabiles non-nullis
deleterii 287.288
craſſi qualem efficiant vrinam
450
nimia ingeſtio in morbis 578
promtæ putredini obnoxii fe-
bres prouocant 173
auerſio in morbis 604
Cicuta aquatica 289.301
Circulatio ſanguinis impedita fe-
brium cauſſa creditur 171
eius inæqualitas hæmorrhagi-
arum cauſſa fingitur 96.97.98
Circulus in vrina, viridis, oleo-
ſus, 458. 477. 478. 487
Clauus hyſtericus 121
hæmorrhoidalis. ibid.
Climata 315
calidiora plus ad criſium fre-
quentiam faciunt quam
frigidiora 529.530
Coagulatio num congeſtionum
cauſſa ſit 126
Cobaltum venenum natiuum 288
Coctio exquiſita 402. 403
eius ſigna 310
materiæ morbificæ 384
bonam criſin præcedere de-
bet 395
Coffee ſaturatior tremorem ar-
tuum producit 246
Colchicum 289
Colica 214
eius ſubiecta & cauſſæ 217.
227.228
num tanto impetu indigeat
233
flatulenta 136
hæmorrhoidalis ſuppreſſa ſuf-
focationis cauſſa 255
Collum rigidum 315
Coma vigil, ſomnolentum, hy-
pnodes, agrypnodes 241.
545.547
Concionatores ſæpe hæmoptyſin
patiuntur 99
Conclauia epigæa humida conge-
ſtionibus & cachexiæ occa-
ſionem præbent 126. 200
Congeſtiones 17. 120
earum doctrina ante Stahlium
non ſatis obſeruata 127
- - plures quam hæmorrha-
giarum ſunt ſpecies 130
ſeroſæ 206
completæ & incompletæ ſ.
rheumaticæ 121
earum ſigna, ſubiecta, 122.
123. 124
earum cauſſæ 125. 126
- - materia 128
- - euentus 122
- - loca ſ. terminus a quo, in
quo, per quem & ad quem
127
non omnibus accidunt 129
iuniorum ad caput 37. 121
mediæ ætatis ad pectus 121

ætatis

ætatis conſiſtentis & ſenilis 122
eas non ſemper euacuatio ſequitur 130
incompletarum effectus & euentus minus vtilis 128. 129
- - cur natura eas ſuſcipiat 129
rheumaticæ internæ & externæ 124
Conſenſus inter vterum, hypochondria & primas vias 118
Conſternatio ſumma in fulmine tactis 294. 295.
Conſuetudo quid ad morbos conferat 46. 47
ægrotandi 32. 34
ad febres 174
motuum tyrannus 28. 108
quid ad motus erroneos conferat 151
Contagium inter febrium cauſſas numeratur 174
mumiale ſpecificum quid ſit 283
Contemplantes dies 398
Conuulſiones 133. 364. 365. 366
earum differentia 140
quo modo a ſpasmis differant 139
earum ſigna, ſubiecta & cauſſæ 142. 143. 146
- - effectus & euentus 152
ſymptomaticæ vnde oriantur 151
virium iacturam ſequuntur 237
quam ætatem in primis exerceant 38
febribus ſuperuenientes cuius euentus 152 369. 370
chronicis & aliis morbis ſuperuenientes cuius euentus 152. 374
in variolis 370
poſt ſcabiem repulſam 319
ſanum adgredientes quomodo conſiderandæ ibid.
dextræ ſunt tractandæ 377
Cordis contractio febris cauſſa efficiens eſſe debet 172
palpitatio 136
Corona vrinæ 458
Corpus morbi ſubiectum 3. 34
eius incrementum quo modo perficiatur 56
eius exercitium ſ. motus plethoram imminuit 61. 62
partium externarum alterationes 582. 584
Coryza 121. 122. 206. 571
Coxagra 138
Crampus, Krampf 137
Criſis 161. 190. 310. 379
eius nomen vnde 406
exquiſita & minus exquiſita 380
vel bona vel mala ibid.
non iudicans 369
defecta ſ. eius carentia 381
primariæ ſecundariæ criſes 381. 382

compo-

compoſitæ ſ. complicatæ 405 408
per expulſionem & per translationem 529
per longiorem ſomnum 383
eius ſigna generalia & ſpecialia 383-387. 388 ſqq.
futuræ criſeos ſigna 383-386
inſtantis 386
eius ſubiecta 393 394
eius cauſſa efficiens 400. 411
eius tempus 395
earum prognoſes 401-405
bonæ criſeos præſagientia ſymptomata 385
conditiones 387
num etiam in chronicis obſeruetur 395. 407. 408
perfecta cur in principio morbi locum non habeat 395. 396
accelerata 396. 397
in incremento morbi minus fida ibid.
extraordinaria 395. 396. 397
præcox, in tres claſſes diuiditur 397
eas Medicus turbare poteſt 412
earum turbatio damna adfert 318. 393
a multis Medicis negliguntur 407
criſes calidiorum climatum frequentiores ſunt quam frigidiorum 394. 407. 529. 530
- - per abſceſſum raræ ſunt apud nos 392. 529
Criticum nullum eſt paucum 387
Cruditatis ſigna 310
Cruſerius (Herm.) 348
Cruſta lactea 121
Curſitationis exemplum 274
Cuticula vrinæ 458
Cynanche cum hydrophobia coniuncta 285
Cynanthropia 265
eius cauſſæ 274
delirium acutiſſimum 285
ſimplici empiria curari poteſt 282

D.

Dæmonomania 547
Datura 289
Debiles morbis ſæpe obnoxii 32
Debilitas vera vel amiſſione vel omiſſione virium nititur 350
Decubitus congeſtionis negotium non explicat 120
Defectus virium 236
differt a tremore artuum 238
eius cauſſæ 244.
Defluuium capillorum 542
Deglutita fortuito 44
Deglutitio intercepta 315
Deiectiones aluinæ 314. 497
v. aluina deiectio.
το θειον in morbis quid ſit 3
Deliquium animi 243
Delirabunda audacia 596

Deliria

Deliria 266
non in omnibus acutis eueniunt 308
quæ in ακμη febris occurrunt funeſta 340
acutarum & peracutarum febrium 265. 266
febrilia : eorum cauſſæ 268. 562
earum cauſſæ non ſemper tolli poſſunt 571
cum febre & ſine febre eſſe ſolent 546. 547
critica 561
delirium hypochondriacum & hyſtericum 572
ex hæmorrhagiis non ſuccedentibus 572
poſt hæmorrhagias largas ib.
aliis læſionibus ſuperueniunt 285
mali grauitatem indicant 572
in tertianis & quartanis 308
aſaphodes ſ. obſcurum 580
delirium leue 310
- - leuiſſimum 571
- - lethargicum 242
- - per potus ſpirituoſos excitatum 300
- - ex morſu canis & lupi rabidi 265
delirantes num catenis coërcere aut ad ſupplicium rapere conueniat 278. 279
deliriorum prognoſis 552. 553. 571
eorum actiones rationi tam contrariæ non ſunt 276-278
eorum dicta & geſticulationes ad cauſſas morbi nos ducunt 318. 319
Demelmuia 408
Dentitio conuulſionum cauſſa 148
Dentium ſtridor 315. 561. 590. 603
corruptio 603
Deſipientia obſcura quid ſit 580
in febribus 561
ex ictu in capite 573
Diabetes 194
eius ſigna, ſubiecta & cauſſæ 197. 199. 205
Diæta quid ad morbos conferat 32. 34
aromatica & vinoſa ſpaſmis inducendis aptæ 146
craſſa icteri cauſſa 203
roborans dicta nocet 443. 444
lauta aliam efficit vrinam quam tenuis 449
num melancholiæ cauſſa eſſe poſſit 269
Diagnoſis iuſta ex ſignis 308. 317
num ex Hippocratis ſignis peti poſſit 325
quem vſum Medico ſuppeditet 319
Diagramma Hippocraticum 399

Diaphoreſis & Diapnoë reliquis excretionibus præferuntur 443
Diaphragma & iecur terminus corporis medius 521
Diapnoë vtilis quibus rebus turbetur 443
Diarrhœa 122
eius ſpecies & ſubiecta 214. 218
eius cauſſæ 229
num paſſiue contingat 235
critica, eius ſigna 392
ſine febre 516
hypochondriacorum & hecticorum 514
periodica, vaga 499. 514
copioſa in malignis 506. 507
vernalis, æſtiua, autumnalis, hiemalis 499
Dies critici ordinarii 409
proprii & improprii 398
indicatorii 385. 387
intercalares, prouocatorii 398
nona in acutis 410
tyrannus ibid.
intercidentes, ſi ſigna coctionis habeant num bona ſint 402. 403
non decretorii, vacui 398
Digiti liueſcentes in febribus 594
Diocles Caryſtius 322
Diſpoſitio corporis ad ægrotandum 50
ad morbos 31. 34. 36
hæreditaria ad rheumatismos 127
Diureſeos vitia num ad ſpasmos referenda 212
Dolores 314
varii ex congeſtionibus orti 123
eorum vehementia vires conſumit 245
eorum prognoſis generalis 557
- - ſpecialis in febribus & aliis morbis 567. 574
- - variæ denominationes 549. 550
qui in grauibus morbis non ſentiuntur 578
Dorſi dolor 560. 575
Dormire in delirio bonum 563
ore hiante 560. 590
Draſtica morborum cauſſis adnumerantur 44. 146. 288
Dulcia acrius fermentantia vnde menſes ſupprimant 118
Dyscraſia humorum rheumatismo occaſionem præbet 126
Dyſenteria 215. 515
Δυσηκοια 548
Δυσοδμια 549
Dyſorexia 213
Dyspepta vnde menſes ſupprimant 118
Dysphonia 550
Dyspnœa 360. 361
Dyſuria 194
eius ſigna & ſubiecta 197. 199
- - cauſſæ 205
Dyſypnia 547

Ebrie-

E.

Ebrietas 300
memoriam debilitat 268
conuulſionum cauſſa 148
menſtrua deteſtanda 304
Eccriſis 161
ſeroſo - bilioſarum impuritatum 389
ſanguinis 388
critica poſt delirium 563
Eclyſis 243
Efferueſcentia ſalium num hæmoptyſeos cauſſa 98
Efflor eſcentiæ cutaneæ, earum receſſio ſaltationis cauſſa 274
Elater machinarum a tono diſtinguendus 444
Electiua miſſio veterum quid ſit 125
Emetica deleteria 288
ſpaſmis inducendis apta 146
Emollientia in rigoribus non conueniunt 377
Emproſthotonus 134
Empyema 122
phthiſin comitem habet 382
Energia vitalis 50
motoria diu & nimium exercita tandem ſuccumbit 259
Epiglottidis adductio & contractio in fulmine tactis & aqua ſubmerſis 295 - 298
Epilepſia 140
cur morbus ſacer dicta 152
cur lunæ phaſibus recurrat ibid.
Equi num febres experiantur 165. 166
Eraſiſtratus quam morborum cauſſam agnouerit 4
Erotomania 265. 547
eius cauſſæ 271
ſine philtro 265
Errores motuum 264. 265
Eſula 289
Euacuantia num in plethora adhibenda 60. 61
Euacuationes artificiales in cacochymia 76. 77
Euphorbium 289
Exanthemata per motus impetuoſos augentur 340. 341
Excrementorum colores ab Hippocrate diligentius obſeruati 517
Excretiones in febribus acutis & malignis 190. 313
tempeſtiuæ ibid.
ante dies criticos ſuſpectæ ib.
prudenter moderandæ & adiuuandæ ſunt 188. 189
nimiæ energiam vitalem infringunt 245
conſuetæ retentæ plethoram augent 58
excernenda retenta febres conciliare poſſunt 174
- - vrinam potenter alterant 450
Exſpiratio frigida 359
Extrauaſatio humoris non ſemper apoplexiam inducit 252

ſeri intra pulmones num ſit cauſſa catarrhi ſuffocantis 254

F.

Facies, quando in medicam contemplationem venit 582
morboſa, eius differentiæ 583
eſt corporis viui imago 584
alterationum eius prognoſis generalis ibid.
- - ſpecialis in febribus 585
- - in aliis morbis 595. 596
- - aegri optima 584
anxia 586
auſtera in febribus ibid.
bene colorata 597
colore croceo 598
exaſperata in febribus 592
extenuata in febribus 586
flaccida in febribus ibid.
flammea ibid.
flauo colore 598
liuida ex flauo - virideſcens 586. 598
lethalis ſ. mortis prænuncia 586
libera 595
moroſa in febribus 586
pallida in febribus ibid.
- - in aliis morbis 597. 598
ex pallido liueſcens 598
penſitabunda in febribus 586
perturbata non ſemper morbum indicat 585
porrectior ſ. libera 595
plumbea 598
intenſe rubens 596
eius rubor in febribus 586
- - rubor vagus 596
rubens ad liuiditatem 597
genis rubellis conſpicua 596
colore ſubfuſco 598
cito tabida 599
triſtis in febribus 586
eius turgeſcentia 600
Hippocratica 309
eius adſpectus 315. 583. 589
Fæces aluinæ vitioſæ & optimæ 503
fœtor earum vnde dependeat ibid.
priſci Medici earum obſeruatores fuerunt 517
vid. aluina deiectio.
Fatuitas connata 268
ex philtro 290
Fatuitas & fatuus 545
& obliuio in homine non ægrotante 553
ex morbo regio 573
Faucium dolor 559. 568. 575. 592. 593. 603
inflammatio 315
Febricitantium hæmorrhagiæ 89
a bile deriuantur 93
Febriles motus num a vitalibus multum differant 160
Febrilis materia cuius indolis 168
Febris 153
eius denominatio 182
conceptus veterum de illa 182
non eſt morbus 184

pauciſſimi ; a febre moriuntur 186. 401
num tam frequens ſit 183
num in omni morbo ſit 186. 187
Febrium ſigna 163. 164
ſubiecta 165-167
cauſſæ 167. ſeqq.
cauſſa efficiens veterum 170 171
effectus non in omnibus vnus 184. 185
euentus irregulares vnde deriuandi 185
ſymptomata 174
in alios morbos transmutatio 382
Febres continentes ſ. ſanguineæ 18. 154. 155. 157
earum materia peccans 169
continens κατ' ἐξοχὴν 154
ſynocha putrida 154
ephemera ſimplex & plurium dierum 154
reſolutoriæ 167
continuæ 154. 155
- - intermittentes chronicæ 18
continua ſimplex 154
- - tertiana & quartana 154
acutæ, peracutæ 155
criſibus potiſſimum ſubiectæ 394. 395
aſſiduæ 595
ardentes ex ventris dolore ib.
cum delirio inuadentes ibid.
Hungarica 156
malignæ, permalignæ 158. 595
catarrhales benignæ, malignæ 154. 156. 157. 158
exanthematicæ 154. 157
petechialis, miliaris, ſcarlatina 157. 169
contagioſæ, peſtilentiales 168. 408
inflammatoriæ 154. 155. 156. 157. 169
bilioſæ 154. 156. 157. 169
- - cito iudicantur 395
dyſentericæ 157. 169
rheumaticæ 124. 156. 157
hecticæ & *lentæ* 154. 159. 169
lochiales & *lacteæ* 118. 157
vulnerariæ ibid.
mucoſæ 157
intermittentes 154. 157. 169. 269
- - nonnumquam criſi abſoluuntur 395
earum ſymptomata actiua & paſſiua 25. 26
quotidiana ſimplex & duplex 154. 157
tertiana ſimplex & duplex 154
quartana ſimplex & duplex 154
quartanæ hybernæ 595
eius ſuppreſſio icteri cauſſa 203
quintana 154
ſeptimana 155
octana ibid.
ennatæa ſ. nonana ibid

quantitatis & qualitatis 157
ſimplices & compoſitæ 158
legitimæ & anomalæ ſ. nothæ 157. 158
typicæ & erraticæ 158. 159
eſſentiales, primariæ, idiopathicæ, & ſecundariæ, acceſſoriæ ſymptomaticæ 155. 157
endemiæ, epidemicæ, ſporadicæ 159
ſcheticæ ibid.
chronicæ 155. 157
corruptæ 158
Febris initium cum ſudore, vomitu & alui deiectionibus cuius prognoſeos 187. 504
conuulſioni ſuccedens 370
Febres acutæ illegitimæ conuulſionibus ſtipatæ 148. 152
viſcerum læſionibus accedentes cur periculoſæ 184
acutæ, malignæ & contagioſæ placido excernendi modo adminiſtrantur 190. 191
vertiginoſæ 595
Febrile fermentum 171
Felis præſentia quid apud quosdam efficiat 441
feles num fulminis tactui obnoxii 304
Feminæ pluribus morbis quam viri expoſitæ ſunt 40
vnde flatulentiæ nimium obnoxiæ 222
illis leipothymia & ſyncope familiarior 262
- - apoplexia periculoſior quam viris habetur 261
Fermenta morbifica Helmontii 6
Fermentatio num morbos producat 7. 126
materiæ febrilis demonſtrari nequit 178-180. 183. 184
Fermentum febrile 171. 178. ſeq.
vteri num ſit cauſſa efficiens menſtrui fluxus 103. 104
tempore vernali productum num melancholicum ſanguinem efficiat 275. 276
Fiebel 165
Fienus (Thom.) 324. 331
Filamenta in vrina 460
Flatulentia 214
eius ſigna & ſubiecta 215. 217
- - cauſſæ 222. 223
num ex ſaccharatis generetur 232
ſæpe pro tympanitide & grauiditate declaratur 210
hypochondriacis familiaris 308
Flatus morborum cauſſæ 44
num ex ſaccharatis generentur 232
in febribus 509
habentur pro microcoſmi meteoris 223
multos generandi promtitudo vnde 233
eorum incommodum quo modo euaneſcat ibid.

Fludd

Fludd (Rob.) 324
quam morborum ætiologiam formauerit 7
Flüſſe, geſalgene 128
Fluor albus benignus & malignus 194. 205
eius ſigna & ſubiecta 197. 199
- - cauſſæ 204
Fluxus menſtruus 116
ſanguinis 418. 422. 426
hepaticus 94. 215
Fœtor oris 213. ſeq.
quem ægri ſentiunt 566. 574
Fœtus erronea formatio 264
Fontanonus (Dionyſ.) 324
Fonticuli coaliti congeſtiones inuitant 124
Foreſtus hiſtoriæ morborum operam dedit 11
Frigus, eius ſenſus vnde 123. 124
morborum cauſſis adnumeratur 5
in febribus vnde deriuetur 175. 176
in tertianis quid denotet 318
in capite feminarum quid denotet 55
in capite, manibus & pedibus 593
Fulginas (Gentilis) 347
Fulmine tacti 293
Fulminis læſio quomodo contingat 295
differentiæ 303
Fungorum certæ ſpecies 289
Furor vterinus 265. 266
eius cauſſæ 271. 272
etiam maritatas corripit 279
Furunculi critici 382
ſpontanei num cacochymiæ producta 77
vide abſceſſus

G.

Gadaldinus (Auguſt.) 348
Galea (Petr.) 347
Galenus, papa ſemeiologicus 322. 323. 328. 347
humoroſam pathologiam reſtituit 4
Galenici a Paracelſo refutati 5
Garrulitas 550
Gelatinoſi & mucoſi differentia 206
Germani veteres vix morbos nouerunt 62
Geſnerus (Conr.) 347
Glaciei fruſtum vertici incumbens quid denotet 55
Glandularum tumores dolentes in febribus 570
Glieder, doppelte 132
Gloſſagra 138
Gonagra ibid.
Gonorrhœa benigna & maligna 194
eius ſigna & ſubiecta 197. 199
- - cauſſæ 204
Gordonius (Bernh.) 347
Græci placita Galeni propugnarunt 5
Grauedo 121
in febribus 594

Graui-

Grauidæ nonnullæ hæmoptyſes menſtruas patiuntur 99
nonnullæ leuiter delirantes 572
epidemicis correptæ 595
earum maculæ faciei 599
Grauiditas præſumta & mox diſcuſſa 210
Grauitas artuum a laſſitudine differt 366
Griſignanus (Paul.) de Salerno 347
Guſtus num aliquid conferat ad ſigna morbi pernoſcenda 316
quas læſiones ſ. alterationes patiatur 549. 557
eius læſio in febribus 566
- - in aliis morbis 574
Gutierrez (Io. Lazarus) 348

H.

Habitus plenus, εὔσαρκος, differt a plethora 54
Hæmatomania 431
Hæmoptyſis 39
eius ſigna & ſubiecta 83. 84. 89
- cauſſæ 97. 98
rarius euenit 110. 111
periculoſa 111. 112
menſtrua in nonnullis grauidis & hæmorrhoidariis 80. 99
Hæmorrhagiæ variæ 17
naturales ſ. actiuæ 79
præternaturales ſ. paſſiuæ 80
ſalutares & minus ſalutares 80. 81
extraordinariæ ſpontaneæ 79
ſpontaneæ intentioni naturæ conformes 61
per os & aures ex philtro 292
earum ſubiecta 88
- cauſſæ veræ & fictæ 12. 91. 97
plerumque moderatæ ſunt 107
quædam moleſtiis ſtipatæ ſunt 432
inſignis debilitas eas non ſequitur 107
ſalubritas earum hodie melius perſpicitur 107. 127
ſalutarem finem reſpiciunt, ſæpe vero minus ſalutares ſunt 108
earum peruerſa tractatio vnde 51. 106
intermiſſæ grauia conſectaria poſt ſe trahunt 109
ſuppreſſæ morborum lymphatico-ſeroſorum cauſſæ 201. 205
retentæ conuulſionibus anſam dant 148
earum in cacochymia ratio habenda 76
priſcorum Medicorum prognoſes de iis multæ ſunt 430
actiua ſine congeſtione non contingit 129

per

per congeſtiones intenta dolores ſoluit 123
cerebri 119
narium 37. 38
per quæ ſigna indicetur 388
eius ſubiecta 89
quando morbis accenſenda 81
impedita 83
critica 110
pro re præternaturali non habenda ibid.
in febre ardente per XIIII. dies 409
in *febribus* contingentes 89. 93. 188. 189
prodigæ in ſtatu febris cuius indolis 340
vteri 88. 91
Scorbuticorum vnde vulgo deriuentur 94
Hæmorrhoides internæ & externæ ſ. cœcæ 113. ſeqq. 215
earum ſigna & ſubiecta 85. 86. 90
- cauſſæ 94. 100. 101
- menſura, effectus & euentus 114. 115
criſium ſpecies 389
cur per hæc loca erumpant 114
quando ſalutares dici nequeant 81
periodicæ infauſto omine ſuppreſſæ 302
minus ſuccedentes ad priſtina loca recurrunt 114
in ætate iuuenili ſæpe ad interiora transferuntur 115
earum ſuppreſſio icteri cauſſa 203
Hæmorrhoidarii pueri & adoleſcentes 90
ex hæreditate 234
nonnulli hæmoptyſes menſtruas patiuntur 99
Hæmorrhoidales motus calculum mentientes 317. 318
Hæmorrhoidalia molimina 39 - 41
Hæreditaria diſpoſitio ſpaſmis & conuulſionibus inducendis apta 146. 147
Hafenreffer (Sam.) 348
Hauptmannus quam morborum cauſſam finxerit 8
Hebetatio viſus 548
Heiniſchius (Geo.) 324
Helleborus albus 289
Helmontius quam morborum cauſſam conſtituerit 6
plethoram & cacochymiam negauit 59. 77. 91
Hemicrania 138
Hemiphonia 550
Hemiplexia vel Hemiplegia 236. 239
eius cauſſæ 246
ex fulminis tactu 294
Hemiplectici per autrocratiam naturæ reſtituti 261
Hepaticus fluxus 94. 215

Hepatis infarctus & inflammatio 122
obſtructio & ſtrictura icteri cauſſa 202
dolor 576
Hepatitis 156
Hernia ventriculi 234
Herophilus Chalcedonius 322. 328
quam morborum cauſſam agnouerit 4
ſphygmicæ artis obſeruator 347
Hertz abdrücken, quid ſit 135
Hippocrates hiſtoriæ morborum ſcriptor 11
eius ſtudium in ſemeiologia 321
num ſphygmicæ artis gnarus fuerit 346. 347
eius adſertum de obſeruatione criſium per diuerſas regiones 530. 531
in tradendis morborum cauſſis minus conſtans 3
hippocratica facies 583
Hiſtoria morborum 315
eius indagatio vtilis eſt 11. 12
Hocker 132
Hoffmannus (Caſp) 324
Homo eſt ſubiectum morbi 31. 34
præ aliis animalibus conſuetas intentiones & motus ægrius intermittit 58
Horror 364. 365
criticus 368
in fecribus 367
in aliis morbis 372. ſeqq.
Huggelius (Io. Iac.) 324
Hüfte, ausgewachſene 132
Humiditas morborum cauſſis adnumeratur 5
Humoriſtæ a Paracelſo reformati 5
quam criſium cauſſam ſtatuant 400
Humorum qualitas in multis morbis adcuſatur 4. 5. 92. 93. 126
abundantia veteribus febrium cauſſa fuit 170
vitium quando in hydrope præcedat 208
dyſcraſia rheumatiſmo occaſionem præbet 126
reſtagnationes ex congeſtionibus 129
iactura per excretiones nimias 245
proportio ad motus læſa cachymiæ cauſſa 75
Hydatides viſcerum 194. 209
Hydrocele 194
Hydrocephalus ibid.
Hydrophobia 265. 282
ſine morſu, attactu aut commercio 283. 284
eius interuallum a tempore vulneris inflicti 284
cynanchen coniunctam habet 285

hydrophoba mater ex morſu filiæ epilepticæ 283
hydrophobus iuuenis ex indignatione ibid.
Hydrops 194. 205
eius ſigna & ſubiecta 195. 198
- cauſſæ 201. 207. 208
num a ſanguinis profuſionibus producatur 207
curatu difficilis ibid.
vnde eius tumor 209
ad matulam 197
pectoris & pericardii 194
medullæ ſpinalis ibid.
omentalis, renalis, ouarii ib.
ſiccus 210
aliquando per vomitum, ſudorem & vrinam iudicatur 395
Hyoſcyamus 289
Hypochondriaci etiam delirant ſine febre 308
- ſunt ſputatores 540
Hypochondriaco-hyſtericum malum 39. 40. 41. 70
Hypochondriorum, vteri & primarum viarum conſenſus 118
Hypoſtaſis vrinæ 470
Hyſteromania 265
eius cauſſæ 272

I.

Iactationes corporis peſſimæ 561
in febribus 570
in aliis morbis 578
Icterus 194. 205
eius ſigna & ſubiecta 196. 198
- cauſſæ 202
- ſpecies 210
poſt febrem hydropem comitem habet 382
criticus ibid.
Idea morbi 383
ſeminalis Helmontii 6
Ignis fulminaris 295
Imaginatio morborum cauſſa 45
quas alterationes patiatur 545
Imminutio vrinæ 194
Impatientia ægrorum 552
Impetigo 121
Impotentia ad motus in febribus vnde 177
Inanitio a veteribus pro cauſſa ſpaſmorum habita 144. 146
Inadpetentia 213
in febribus vnde 176
Incontinentia vrinæ 194. 197
eius ſubiecta & cauſſæ 199. 204
Incubus 135
Indices ſ. indicatorii dies 398
Inedia 213
Infantes cur ad morbos proniores ſint 31
criſibus non ſunt ſubiecti 394
eorum morbi 37
- vrinæ quales 448

cur conuulſionibus ſubiecti ſint 151. 152
cur ad motuum omiſſiones delabantur 259
plures quam adulti catarrho ſuffocante interimuntur 261
lunæ radiis expoſiti num ſomnambuli fiant 280
menſium fluxus iis ominoſus 115
Infarctus hepatis & lienis 122
Inflammationes 123
faucium 315
Influxus lunæ num ſit cauſſa menſtrui fluxus 103. 261
Ingenii tarditas 264
Initium febris 187
Inquietudo maior *310. 571. 578*
Inſania *545*
vehemens in febribus 562
ex amore libidinoſo 547
Inſecta morborum cauſſis adnumerata 8
Inſomnia *548*
nonnullam vim ſignificandi in morbis habent 579. 580
eorum prognoſis 554-556
- in febribus 564
- in aliis morbis 573
Intellectus morbi 264
Intercalares dies 398
Inteſtini coli ſpaſtica diſtenſio 136
Inteſtinorum dolor 560
Ira vrinam alterat 450
furor breuis 547
Iris ſplendore orbata 601
Iſchuria *194. 205*
eius ſigna & ſubiecta 198. 199
- cauſſæ 205
lunatica 212
Iſchiadicum malum 138
Iudæus vates ex pulſu 337
Iuniores cur podagra retroacta citius moriantur quam ſenes 115
in morbis epidemicis ſuccumbunt 604
Iuuenis hydrophobus ex indignatione *283*
Iuuenum morbi *38. 39*
vrinæ quales 448

K.

Kinder-Flecken 599

L.

Labor plethoram imminuit 61
Laborioſi congeſtionibus vexati vnde 125
eorum morbi vnde 34. 35
- vrina qualis 449
vitæ generis mutatio plethoræ anſam dat 56. 62
Labra ſ. *labia* pallida in febribus 589
eorum diſtorſio & peruerſio 588. 589
contracta 589
ſi exulcerantur ibid.

Lactu-

Lactucæ ſuccus pernicioſus 287
Lacrymarum fluxiones vnde vulgo deriuentur, 94
in febribus 588
Læſio organi vitalis naturæ energiam debilitat 245
Læſiones viſcerum melancholiæ & maniæ cauſſa 269
chronicæ vnde oriantur 71
febres non perferunt 184
Laniſtæ olim hæmoptyſin patiebantur 99
Landus (Baſſianus) 324
Lapſus retrorſum memoriam debilitat 267
Laryngis occluſio in fulmine tactis & aqua ſubmerſis 295. 296
eius rationes 297. ſeqq.
Laſſitudo 364. 365. 366. 375
Lateris dolor 568. 570
Lauellus (Iac.) 348
Laurentius (Andr.) 324
Leipopſychia 243
Leipothymia 237. 243. 310
eius cauſſæ 256
cur feminis familiarior 262
Leipyria 156
Lemoſius (Lud.) 324
Lepra 194
rariſſima nobis eſt 210. 211
ex philtro 292
num cum lue venerea conueniat 211
Lepus marinus 288
Lethargus 242. 275. 545. 547
Leucophlegmatia 193. 195
Liberorum varia genera vnde menſes ſupprimant 118
Lichenes in mento 139
Liddelius (Duncanus) 324
Lienis infarctus & inflammatio 122
Lienteria 515
Limacum deiectiones ex philtro 292
Lingua ſicca, nigra 315
eius fiſſuræ in acutis 310
quæ ei accidunt in febribus 590
alba 591
aſpera 590
bilioſa 591
biſulca ibid.
denſa 590
horrida 591
mollis 592
in febribus 590
nigreſcens 591
pallida 590
eius puſtulæ 592
- ſordes ibid.
tremula 591
Lippitudo 206
Liquidi neruei influxus num conuulſionum cauſſa 147
Lochia quando morbis accenſenda 81
eorum ſigna & ſubiecta 87. 88. 91
- cauſſæ 105. 106
- fluxus neceſſarius & vtilis 118
nimia 94

febris lochialis 118
Lommius (Iodoc.) 324
Loquelæ vitia 550
Lucubrationes morbis anſam dant 32
Lues venerea 194
eius ſigna & ſubiecta 197. 199
ſæpe pro ſcorbuto vendita-tur 211
Lumborum dolor 560. 569. 576
Lunæ potentia in humores a multis reiicitur 261
influxus num ſit cauſſa fluxus menſtrui 103
phaſes conuulſionibus anſam præbent 147
in illis conuulſiui & epilepti-ci motus recurrunt 152
Lycanthropia 265. 282
eius cauſſæ 274
Lycanthropomania 547
Lympha corruptionem patiens 205. 206
cum ſero acri diu ſociata per-ditur 193
& ſerum quo modo ſe mutuo lædant 206
ſalſa 94
Lymphatico-ſeroſi morbi 193
Lyſis 161. 190. 379

M.

Macrocoſmi phœnomena vtrum in criticum actum influant 411
Macrypnia 547
Maculæ faciei flaueſcentes in grauidis 599
nigræ in facie febrientium 587
Maiouii ætiologia rhachitidis 130. 131
Malacia 214
Maligni morbi impetuoſas ex-cretiones non perferunt 443 444
Malum hypochondriaco-hyſte-ricum 122
iſchiadicum 138
Mammarum dolor 570
Manationes aurium & oculorum 121
vlceroſæ 123
Mania 265. 547
eius cauſſæ 268
ex ſpiſſitudine humorum ori-tur 71
num ſit morbus vernalis & autumnalis 275
hypochondriaca 266
ex philtro 265. 285. 290. 571
Maniacus & Melancholicus dif-ferunt 276
Maniacorum actiones num ratio-ni contrariæ ſint 276. 277
Manuum motio in febribus 571
Marasmus ſenilis 236
quomodo a virium defectu & artuum tremore differat 238
num ad ſenium neceſſarius 262

Marga-

Margaritas concharum lepram eſſe volunt 211
Martinengus (Celſ.) 324
Martinez (Em.) ibid.
Martorellus (Ant) 348
Maſſarius (Alex.) 347
Mater ex morſu filiæ epilepticæ hydrophoba 283
Materia num motus & ſpaſmos producat 104. 192
eius additamentum inter cauſſas febrium relatum 171
catarrhalis ſeroſa in congeſtionibus vnde 128
febrilis cuius indolis 168
Mechaniſmus motus ſupprimendos iudicat 14
Medicamina incongrua febres ſæpe turbant 186. 188
ſudorifera nocent 443. 444
Medicationes furtiuæ 326
peruerſæ grauiorum morborum cauſſæ 52
Medici per incongruas medicationes naturis graues fiunt 412
motuum rationem habere debent 10. 13
vanæ gloriæ ne inhient 320
eorum diſſenſus in cauſſis morborum 3 ſeqq.
Medicina, eius certitudo & incertitudo 311
Melancholia 546
hypochondriaca & hyſterica 265. 266
ex philtro 290
eius cauſſæ materiales & immateriales 71. 268 - 271
num ſit vernalis & autumnalis morbus 275
differt a mania 276
Melancholici: eorum actiones tam incongrui non ſunt 276. 277
vnde tam auidi ſint in edendo 216
ad iram præcipites 167
plerumque a febribus ſunt immunes 166
eorum vrinæ quales 449
- - morbi peculiares 41
Melancholicus humor criſium cauſſa eſſe debet 400
Mellita cum ſaccharatis confunduntur 232
Membranæ in vrina 460
Memoria morbis anſam dat 45
- - *vitalis* in rheumaticis congeſtionibus quid valeat 127
eius exercitium capitis dolores excitat 38
- - debilitas 265. 266
- - huius cauſſæ 267
- - congenita cum læſione ratiocinationis coniuncta eſt 275
quas alterationes patiatur 547
Mena (Ferdinand.) 348
Mens ſibi conſtans poſt vehementiora deliria 309

Mentis

Mentis conſtantia ſ. mente conſtare quid ſit 546. 551
- - bonum quidem in morbis ſignum, ſed non ſemper 551
eius inconſtantia ſ. motio 546. 551
- - in febribus 562
Menſes ſ. *menſtruus fluxus* 80. 81
eorum ſigna 87
- - ſubiecta 90
- - cauſſæ 102. ſeqq.
- - neceſſitas & effectus 117
- - ceſſatio ibid.
- - ſuppreſſio cachexiæ & icteri cauſſa 201. 203
nimii vnde vulgo deriuentur 94
quando morboſæ indolis ſint 81
critice erumpunt 105 117. 389
inordinati ſaltationis cauſſa 274
Mentagra 139
Mentum acuminatum in febribus 589
Mentiris vt Medicus vulgatum ſcomma 320
Mercatus (Lud.) 347
Mercurius ſublimatus 288
quidam illum quotidie edit 302
viuus in ſpiritu acido ſolutus 288
Sal & Sulphur 5
Metalli foſſores morbis obnoxii 32
Metaſtaſis 382
Meteora microcoſmi flatus eſſe debent 223
Methodicorum ſecta, eorumque hypotheſis pathologica 4
Metus per fulgura & tonitrua 304
vrinam alterat 450
Miaſmata contagioſa 44
Mictio nocturna puerorum 204
imminuta 197. ſeq.
purulenta 310
ſpumaus 487
Mictus cruentus 80. 81
eius ſigna & ſubiecta 86. 90
- - cauſſæ 101. 102
conſpirat cum hæmorrhoidibus, ſed non eiusdem vtilitatis eſt 116
viris familiarior 115
ſenibus lethalis 116
paſſiuus ibid.
Microphonia 550
Micrypnia 547
Miſſio electiua veterum quid ſit 125
Molimina hæmorrhagica incompleta cur natura ſuſcipiat 129
hæmoptyica quæ mala confectaria producant 112
hæmorrhoidalia 118. 119
Monſtroſa contenta in vrina & abſceſſibus 461. 531
Montanus (I. Bapt.) 328
Morbilli 157

Morbus quid ſit, variæ eius definitiones 1. 12. 13
a ſymptomatibus diſcernendus 10
quomodo differat a vitio 3
num ſit contra naturam 13
morborum differentia & frequentia 15. 26. 31
eorum ſubiectum 3. 31. 33
- - ſpecialiſſimum 33. 34. 35
eorum ætiologia varia & cauſſæ 3. 36
- - tempus ſ. periodi 160. 161
criſibus ſunt ſubiecti 394
eorum ſpecies & cauſſæ num ex vrina cognoſci posſint 489
imminentis morbi ſigna prænuncia 599
eius principium ſigna cruditatis non vero coctionis exhibet 396
- - incrementum perfectam coctionem non habet ibid.
- - hiſtoria 315
diuiſio ſecundum partes corporis 27
- - claſſes 17. ſeq.
morbi quantitatis 17
- - qualitatis 18
- - motuum 19. 52
- - motuum deficientium 236. ſeq.
- - capitis memoriam debilitant 268
- - ætatum 37-40
- - mulierum & infantum 19. 28
- - æſtiui, vernales, autumnales, hiemales 20. 29
- - primarum viarum 19. 213. 231
- - animi 264
- - quatuor claſſes 17-19
- - cardinales 5
- - magni ſecundum Galenum 394
- - mixti 15. 16
- - aliorum morborum cauſſæ 52
- - ſingulares 19
- - ſimplices, ſalutares, benigni 21. 22. 29
- - endemii, epidemici, ſporadici 21. 29
- - hæreditarii 20. 28
- - incurabiles 22. 29
- - chronici 8. 35
- - lymphatico-ſeroſi 18. 193
- - eorum ſigna, generis 195. 206. 207
- - cauſſæ 205
ſoporoſi 241
morbus ſoporoſus idiopathicus & ſymptomaticus 242 261
eorum cauſſæ 255
- - differentia ab apoplexia 241
voluntatis 264
morbus ſacer, comitialis, caducus 140. 152

- - regius ſ. arquatus 210
- - leuis cum lethali euentu 327
Moreſcottus (Alph.) 324
Moroſis 265. 266
congenita cum memoriæ defectu 275
Mors ante morbum & ſine morbo 327
eius fundamentum vbi quærendum 262. 263
ex philtro 290
Morſus animalium furentium deleterius 282
conuulſionum cauſſa 148
filiæ epilepticæ matrem hydrophobam fecit 283
Motus in corpore cui principio tribuendi 14
non a materia deducendi 192
ſymptomatibus adnumerantur 14. 15
eorum ratio in morbis habenda 10. 13. 14
vitales, naturales & animales, eorum ſigna 313. 314
quo modo fiant morborum cauſſæ 15. 16. 19. 52
erronei vnde deriuandi 150. 264. 265
vitalium motuum defectus 236
- - cur arti non facile auſcultent 259
exacerbati non tam periculoſi quam deficientes ibid.
eorum omiſſio & amiſſio 259. 260
eorum omiſſio nihil boni promittit 378
- - abolitio quando eueniat 259
- - intermiſſio & remiſſio 181
- - conſuetudo 28
extremi in infantibus obſeruantur 148
aucti in morbis 9. 10
- - circumſpecte moderandi 27
nimium aucti noxias materias progenerant 14. 15
- - in malignis & exanthematicis periculum augent 341. 342
in malignis & contagioſis cur placidi & tranquilli ſint 190. 191
eorum proportio ad humores læſa cacochymiam adfert 75
progreſſiui ſegnities vnde dependeat 70
febriles quem in finem ſuſcipiantur 181
nimius febrium cauſſa habitus 171
ab extra ad intus conuerſus hæmorrhagiarum cauſſa fingitur 97
corporis ſpisſitudinem & alias noxas auertit 57. 61. 68
- - im-

- - impetuoſus & vehemens noxius 99.146 173
- - vrinam mutat 450
voluntarius eiusque conſtitutiones & alterationes 57. 314. 544. 581
alterationum eius prognoſis generalis 560
- - ſpecialis in febribus 570
- - in aliis morbis 578
periſtalticus inuerſus 234
ſpaſtico-arthritici & *conuulſiui* 140. 149
tonicus ab elatere machinarum diſtinguendus 444
- - eius alterationes 124. 364
vitalium motuum exacerbationes ſenſus internos multum turbant 551. 552
Mouſettus (Thom.) 324
Mucoſi & gelatinoſi differentia 206
Mucus in vrina 460
Mulierum morbi 40
vrinæ craſſiores ſunt 448
Muſcas videre ante oculos 574
Muſitanus plethoram negat 91

N.

Næui materni in facie 599
Napellus venenum 288. 289
Narcotica morborum cauſſæ 44
memoriam debilitant 268
Nares acuminatæ 602
alterationes earum in febribus 589
potum reddentes 602
prurientes ibid.
earum fœtor ibid.
rubores in febribus 588
Naſus acutus in febribus 589
eius peruerſio 588
Natura medetur morbis 312. 313
eam ſequi Medico incumbit 61
eius energia & ſynergia in morbis 14
- - robur vnde dignoſcatur 313
in plethora generanda erroris non adcuſanda 59
cur abundantiam ſanguinis ſuſtentet 58
eius ſenſibilitas & æſtimatio quid valeant 127
eius propenſio ad male operandum 46
ſibi interdum impedimenta fingit 259
ſine probabili fine & vſu aliquid agit 59
cur incompletos actus ſuſcipiat 129
eius errores dignoſcendi & corrigendi ſunt 325 ſeqq.
num in malignis excitanda 349. 350
v. anima & principium rationale
Nauſea 213. 217
in acutis 219
Nebulæ ſpiſſæ in vrina 477
Nephritis 39. 122

Nerui an habeant cauitatem aut tubulos 249. 253
Nicotianæ fumus obſtructionem alui prouocat 217
Niſus corporis fortior nocet 99. 111
Noctambulatio & *Noctiſurgium* 265. 266. 272
eius cauſſa 272
Noctambuli quo modo loca periculoſa tranſcendere poſſint 279
Noſtalgia 265
eius cauſſæ 273
certo cantilenæ tono excitari poteſt 280
Nubecula in vrina 457
nigra 476
rubra 475
ſubrubra ibid.
in biliofis 476
in intermittentibus 477
Nuneſius (Illefons.) 348
Nutritionis tres actus 231
Nymphomaniæ cauſſæ 272

O.

Obliuio 547
ex philtro 292
ex delirio 563
geſtorum 551
in morbis acutis 563
in diturnus malis 573
ἄλογα 552
Obnubilatio viſus 55
Obſtructio congeſtioni non æquipollet 121. 127
vaſorum ſanguiferorum vera rarior eſt 71
- pro hæmorrhagiarum cauſſa venditatur 94. 95
fibrarum cauſſa ſpaſmorum habetur 144
viſceris alicuius hæmoptyſeos cauſſa habetur 99
num paroxyſmorum reditum explicet 180
- - *alui* 214
eius ſigna & ſubiecta 215. 217
Oculi caligantes & fere clauſi 601
ſemi clauſi & arctius clauſi 600
eorum cauitas & aliæ alterationes in febribus 588. 601
- - claritas in febribus 587
exſerti in febribus 588
feroces & truculenti in febribus ibid.
fixi & immoti ſplendentes 573
hebeſcentes & obtuſi ibid.
humidi, illacrymantes 587. 588. 600
magni in morbis 600
minores ibid.
obtuſi, caligine obducti, quorum album rubeſcens, liueſcens aut nigris venis refertum 557

eorum

eorum rectus obtutus in febribus 587
- - peruerſio & diſtorſio 601
rubentes & ſplendentes 587. 600
turgeſcentes 600
eorum manationes 121
Odontalgia ibid.
Odorifera quædam in nonnullis leipothymiam prouocant 258
Oedema 194. 195. 205
eius ſigna & ſubiecta 195. 198
eius cauſſæ 199
nonnumquam cum hydrope complicatum 207
œdematoſus tumor vnde 209
Oeſophagi ſpasmus 135
Oleum vitrioli 288
Olfactus quid ad ſigna morbi pernoſcenda conferat 316
læſus 549. 557. 566. 574
Omiſſio motuum cur contingat ſine ratiocinatione concurrente 260
cur peior ſit motibus amiſſionis 260
virium 238. 244. 377. 378
Oneirocritici & *Oneiromantæ* 548
Onera tollenda ſæpe hæmoptyſeos cauſſa 99. 111
Ophthalmia 121
Opiſthotonus 134
Opium 289
memoriam debilitat 268
in motuum exacerbationibus diſſuadetur 350
Orcheſtromania 547
Orexis canina 214
a nonnullis ardor ventriculi dicitur 231
eius ſubiecta 216
- cauſſæ 218
Organorum vitium in hydrope frequens 208
Orgomania 547
Orificii vteri ſpasmus 136
Oris fœtor: eius cauſſæ 219. 220
ore hiante dormire malum 560. 590
oris ventribuli dolor 569. 575. 576
os diſtorſum 602
Orthopnœa 361
Oſcitationes frequentes 599
Oſſa num ſolo ſanguine nutriantur 131
Otalgia 121
Otium morbis anſam præbet 33. 34
Ouerkamp pathologiæ falſæ propugnator 7
Oxyphonia 550

P.

Palindrome hæmorrhagiarum 110
Palpebræ reflexæ 601. 602
reſiccatæ 602
earum tumores ibid.
Palpitatio cordis 122. 136
Panis calidus vnde menſes ſupprimat 118

furfuraceus num ſanguinem melancholicum generet *269*
Papaueris rhœados vſus noxius 268
Paracelſus 347
Medicos reformauit 5
Paracelſiſtarum vromantica ſuperſtitio 493
Paralyſis 236
eius ſpecies 239
- - cauſſæ 246
- - cauſſa efficiens materialis obſoleta 248
vera & ſpuria ſ. idiopathica & ſymptomatica vel ſcorbutica 239
linguæ in nouilunio vehementior 261
purpurea *239*
poſt febrem acutam 383
ſæpe conuulſionibus ſuperuenit 237
ſubinde in apoplexiam degenerat 237
Paralytici per autocratiam naturæ reſtituti 261
Paraplexia ſ. paraplegia 239
& paralyſis quo modo ab apoplexia differant 240
Paraphrenitis 156
Paremptoſis morborum cauſſa 4
Pareſis ex colica 239
Παροδμια 549
Παρυηκοια 548
Parotides 121
Paroxyſmus 162
eius reuerſio in febribus vnde 178 181
Particularum figura 218
Pars adfecta 315
partium corporis externarum alterationes 582-584
Paſſerculus philtro detentus 292
Paſſio iliaca 214
eius ſubiecta 217
- - cauſſæ 228
num a chordapſo differat 234
Pathemata animi vid. animi pathemata
Pathognomia 2
pathognomica ſigna 308.310
Pathologia, eius diuiſio 1
medica 1. 2
phyſica in medicina parum vtilis 1. 11
humoroſa 3. 4
tartarea 6
falſa 7. 76
eius vſus 10
Pauores in ſomno vnde 55
Pauperum victus ſalinus nihil ad cacochymiam adfert 75
Peccatum morborum cauſſa 36. 44. 52
Pectoris dolor 568. 571
Pedum ſudor non ad vitia ſudoris referendus *212*
Pereda (Pet. Paul.) 324
Peregrina carnoſis partibus infixa conuulſiones prouocant 148
Perfrictio *365*

Periodi

Periodi morborum 160. 161
Peripneumonia 122. 156
Periſtalſeos periodus 499
Peſtis 158
olim Athenis memoriæ debilitatem reliquit 268
Phagedænæ ſerpentes & erodentes 78
Phalangium 288
Phantaſia morbos parit 45
quas alterationes patiatur 545
ſub ſomno operans 548
Philtrum 290
philtra & venena ſpiſſitudinem funeſtam inducunt 71
eorum indoles explicatu difficilis 292. 293
hodie prorſus negantur 303
eorum differentiæ 290. ſqq.
Philtromania 291
eius cauſſæ 269
Phlegmatici temperamenti morbi peculiares 42
a febribus plerumque immunes 166
eorum vrinæ quales 449
Phlegmatorrhagia 121
phlegmonodeæ congeſtiones rheumaticæ 124. 125
Phrenitis 156. 165. 546
vehemens in tremorem deſinens 371
obſcura 242
ingraueſcens 563
Phricodes 156
Phthiſis pulmonum 122
Phyſiologia pathologiæ inſeruit 11
Pica 214
eius ſubiecta 216
Pili in vrina 459. 478
Pinguedo nimia nullius vſus 59
vrinæ ſupranatans 458
Pituita a cerebro in medullam oblongatam delapſa num paralyſeos cauſſa ſit 248. 249
morborum cauſſis adnumeratur 5
in vrina quo modo a pure dignoſcenda 459
Planerus (Andr.) 324
Planetarum adſpectus, criſes efficere debent 400
Plethora morborum cauſſa & mater 4. 36. 53
qui eam negant, nihil agunt 59. 432
quem vſum habeat 56-59
cur etiam in adultis a natura augeatur 58
prouentum eius impediens remedium non datur 61
eius conſectaria 75
vniuerſalis & particularis 54
ad iuſtitiam & ad pondus ibid.
abundans & exundans ibid.
ſimplex & complicata ibid.
ſibi relicta & commota 54. 55
cum ſpiſſitudine complicata 60

eſt

eſt hæmorrhagiarum cauſſa 91. 97
hæmorrhagias difficiliores reddit 82
in cacochymia adcuſatur 75
num ſit cauſſa efficiens fluxus menſtrui 102
commota ex animi pathematibus anomaliis anſam dat 61
eius imminutiones non turbandæ ſunt ibid.
num euacuationem admittat 60. 61
plethorici facile a febribus infeſtantur 167
Πλησμονη differt a plethora 54. 63
Pleuritis 156
vera & ſpuria 39. 122. 138
in peripneumoniam tranſiens 383
Pneumaticorum pathologia 4
Pocula menſtrua 304
poculum amatorium 290
Podagra 40. 138
vnde pro morbo chirurgico habita ſit 28
Polidanus (Val.) 347
Pollutio nocturna 194. 205
Polyhæmia 53
Pondera grauia tollenda hæmoptyſeos cauſſa 99. 111
Potus frigidus corpore calente icteri cauſſa 203
ſpirituoſus febres efficere poteſt 173
Præcordiorum dolores 559. 568. 575. 576. 595
Præuotius (Io.) 324
Praxagoras Cous 322
quam morborum cauſſam ſtatuerit 4
Priapiſmus 136
Primæ viæ cur ita nominentur 231
earum morbi 213
- conſenſus cum vtero & hypochondriis 118
Principium morbi 395
Principium rationale ſ. *vitale* motus ſæpe erroneos, intempeſtiuos & inſufficientes inſtituit 46. 149. 150
congeſtiones efficit 126
eſt cauſſa ſpasmorum & conuulſionum 145. 147
intentiones ſuas conſuetas difficilius dimittit 58
eſt adpetitus, & ardoris ventriculi cauſſa 220. 221
per corpus male adfectum impeditur 579
vid. Anima & Natura.
Procidentia ani 214
eius cauſſa 230
num ad morbos paralyticos referenda 235
Prognoſis ſphygmomantica 336
vera ex ſignis 318
ſæpe fallitur 327

quem

quem vſum Medico ſuppeditet 319. 320
vnde petenda 605
num ex veterum ſignis peti poſſit 325. 506
prognoſtica ſigna 309
Propenſio naturæ ad male operandum 45
Pruritus 578
Pſora veſicæ 486
Pudendagra contracturalis 139
Puellarum vrina 462
Pueri criſibus non ſunt ſubiecti 394
hæmorrhoidarii 90
eorum morbi 37. 38
- vrinæ num facile calculum generent 448
Pulſus 313. 328
eius differentiæ 328. ſqq.
nomen quis primus impoſuerit 346
quo modo, quo loco, quam diu, quo tempore ſit explorandus 348. 349
non ſolum in febribus ſed etiam in aliis morbis obſeruandus 343
eius vigor vires ægri indicat 338
- mutatio ſemper aliquid portendit ibid.
præſagium ex pulſu caute inſtituendum 337. 346. 488
in malignis nonnumquam fallit 343
pulſusne an vrina certius porrigat prognoſticon 461. 605
optimus, malus, peſſimus, quinam 339
interdum in ſanis præternaturalis 490
ſanus in ægrotis 342. 349
languens poſt criſin 405
aliquot dies ante mortem ceſſans 345
parum alteratus quid arguat 339
ſubita alteratio ex animi pathematibus 329. 338
ordinatus, inordinatus 336
naturalis & præternaturalis 329. 330
irrationalis 330
durus & mollis 332. 333. 357
magnus, paruus, plenus, vacuus 332
magnus plethoricorum eſt 342 350
durus in petechialibus quid indicet 341
- in hecticis cuius indolis 345
durus, frequens & inæqualis in angina 343
inæqualis vnde dependeat & quid præſagiat 343. 345. 351
fortis in ακμῃ febris ominoſus 340
- & debilis 330

- in debilem mutatus malus 341
- in malignis malus 340
vehemens & celer poſt moderatum & debilem 338
- in palpitatione cordis 344
celer, tardus, longus, breuis 330
celer febribus eſſentialis 339. 340. 345
- non tam periculoſus ac tardus 339
- cum intermittente quid indicet 344
frequens, rarus 331
- etiam in ſtatu ſano occurrit 340
celer, frequens & debilis cuius ominis 341
celer & frequens in febribus 163. 340. 350
- - quo modo differant 331
fortis & celer non fert opiata 350
tardus & rarus in periculo funeſtus 341
debilis, tardus & paruus poſt celerem quid indicet 338
mollis, debilis & tardus in paralyticis 345
debilis & paruus phthiſicis & hecticis familiaris 344
debilis in acutarum principio noxius 341
formicans 334. 351
- & ſerratus in phthiſi 334. 335. 346
vermiculans in hydrope 334. 335. 346
vndoſus 334. 335. 342. 343
intercurrens 335. 336. 343. 351
intermittens 335. 343. 344
- in acutis 339
caprizans 334. 335. 346. 351
tremulus 334. 335. 346
capitis 347
cordis interdum continuat, arteriæ autem non animaduertitur 345
Puluis in circulo vrinæ 487
Pupilla depreſſa in febribus 588
eius paruitas 601
Purgantia in corpus plethoricum minori efficacia agunt 60
Purpura qualem vrinæ colorem habeat 470
vrticata 157
Pus ſeu purulenta materia in vrina 459
Puſtulæ in lingua 592
Putredo antiquorum febrium cauſſa recte intelligenda 171. 183
verminoſa morborum origo habetur 8
Pyologiam antiqui Medici diligenter obſeruarunt 518.

Pythagoræ dogmata quid de criſium cauſſis adlegent 400

Q.

Qualitas ſanguinis vitioſa 415. 416
qualitates ſeu materiæ peccantes in mixtione tantum non nocent quam in diſſolutione 69
humorum in hæmorrhagiis adcuſatur 92. 93
eius vitia 193
- morbi 18
Quantitas ſanguinis 415
eius morbi 17
plures profert morbos quam qualitas 26
Quies vrinam mutat 450

R.

Rabies canina & lupina 266. 282
e morſu aliorum animalium 282
alio modo etiam quam per morſum communicari poteſt 283
canina ex vomitione hydrophobæ ibid.
Ranarum deiectiones ex philtro 292
Rarefactio ſalium num hæmoptyſeos cauſſa 98
Ratio num in delirantibus læſa ſit 278
Ratiocinatio ad motuum omiſſionem nihil confert 260
quas alterationes patiatur 545. 546
Raucedo 122. 603
Raucitas ibid.
Refrigeratio corporis ſubita lethalis 71
febres concitare poteſt 173
Regimen importune calidum 443. 444
eius error 326
Regurgitatio congeſtionis negotium non explicat 120
Renum tonus varius variam efficit vrinam 449
dolor 577
Repletio a veteribus ſpasmorum cauſſa habita 144. 146
Res non-naturales morborum cauſſis adnumerandæ 42. 51
Reſpiratio 313. 352
eius definitio 353
cum pulſu ſymbolizat 362
ei plus tribuunt quam pulſui 352
eius prognoſis generalis & ſpecialis 357. 358. ſqq.
cohibita ſubmerſionis cauſſa 296
exitialis 356
naturalis & præternaturalis 353
compoſita 355
inæqualis ibid.
intermittens 354. 357

impedita, breuis, parua, denſa & frequens 353
frequens, denſa, rara & longa 354. 355
frequens ſeu denſa & feruida in febribus 358
difficilis, anxia, dolorifica, anheloſa 353
difficilis in angina 358. 359
- hypochondriacorum & hyſtericarum, circa mediam noctem adfligens 360
- in aſthmate 359
- in catarrho ſuffocante 360
magna, parua 354. 358
- & tarda 361
- & rara in febribus 359
rara & magna num negari poſſit 362
- & parua, frigida 362
- parua & obſcura in febribus 359
velox, tarda 355
vegeta, debilis 354
offenſans in febribus 359
ſtertoroſa in febribus ibid.
- in apoplecticis 362
ſupina, ſuſpirioſa, ſtertoroſa 354. 356
gemebunda in acutis 359
erecta, ſublimis 354. 356
phœnomena, ſublimis ſ. ſpiritus exilis 356
- & ſublimis in febribus 359
reſpirationi præternaturali antaſthmatica opponere non licet 362
Retropulſio humorum vlceroſo-ſeroſo-lymphalium noxia 147
Rhachitis 130. 131. 132
Rhazes (Abubeter) 323
Rheumaticæ congeſtiones 121. 123
internæ & externæ 124
externæ phlegmonodeæ 124. 125
earum ſubiecta 125
- cauſſæ 126
Rheumatiſmus ex violentia externa 127
ex aëris mutatione & animi commotione ibid.
Rhythmus quid ſit 333
ab Hippocrate obſeruatus 346
reſpiratorii rhythmi mutatio in febribus 358
Rigor 364. 365
in febribus 366. 368
periodicus 368
die critico ſuperueniens 368. 369
in aliis morbis 373
emollientibus & calidis rigores non ſunt adgrediendi 377
Riſus Sardonius 134
Roganus (Leo) 348
Roborantibus naturam ad officium excitare conſultum non eſt 349

Roboratio ægrorum præpoſtera 337. 338
Rudius (Euſtach.) 324
Ruptio vaſorum lymphaticorum difficilis eſt 208. 209
Ruſticorum morbi vnde 34. 35

S.

Sabulum in vrina 459. 486
Saccharata & *ſaccharum* num in bilem mutentur & flatus progenerent 232
Sal, Sulphur & mercurius 5
peregrinum, ſalſum, muriaticum in fluxionibus ſeri, ſeminis, ſaliuæ & lacrymarum adcuſatur 94
ſalium prouentus in corpore humano figmentum eſt 69. 75
- - eorum acrimonia, efferueſcentia & rarefactio hæmoptyſeos cauſſa fingitur 98
ſalia volatilia in cacochymia improbantur 76
ſalinus pauperum victus nihil ad cacochymiam adferi 75
Saliua a ſputo differt 314. 532. 533
eius defectus 215
- - fluxiones a ſale peregrino deriuantur 94
eius inſpectio a quibusdam neceſſaria iudicatur 534. 535
eius defectus guſtum hebetiorem reddit 557
- - adfluxus copioſus in intermittentibus 533
Saltandi deſiderium inſatiabile 274. 547
Sanchez (Franc.) 348
Sanguineum temperamentum ad plethoram habile eſt 57
eius morbi peculiares 41
ſanguinei ad febres ſunt proniores 166
- - ad iram præcipites 167
- - eorum vrinæ quales 449
Sanguis 5. 314. 413.
præcipuum virium inſtrumentum 245
vitæ theſaurus & balſamus ab Helmontianis dicitur 59
ad corruptionem pronus 36
per reſpirationem intenſius calefit 353
prognoſis generalis de illo 415. ſeqq.
- - de eius fluxibus 418 ſeqq.
- - ſpecialis in febribus 420 ſeqq.
- - in aliis morbis 425
præſagium ex miſſione illius 431. 432
in vrina 460. 483. 484
eius acrimonia ficta eſt hæmorrhagiarum cauſſa 92. 93
eius ſpiſſitudo 64. 147
viſcidus num ſit cauſſa leipothymiæ 257. 258
tardior eius progreſſus num

 ſit

ſit cauſſa fluxus menſtrui 104
menſtruus num reliquo ſit deterior 117
eius profuſiones num cachexiam & hydropem producant 201. 207
depletiones abundantis ſanguinis neceſſariæ ſunt 108
eius ſpuitio 541. 542. 543
Santacrux (Ant. Ponce) 348
Sapor obtuſus, deprauatus aut plane deficiens 549
Satyriaſis 136
Sauona (Phil.) 324
Sauonarola (Io. Mich.) 347
Saxonia (Hercules) ibid.
Scabies 194
frequens nobis eſt 210
eius ſigna 196
- - ſubiecta 198
- - cauſſæ 203
repulſa conuulſionum cauſſa 148
Scarificatio plethoram imminuit 63
Schenck a Graffenberg (Io. Geo.) 324
Schmeltz-Fieber 167
Scorbutus 194
eius ſigna 196
- - ſubiecta 198
- - cauſſæ 203
- - acrimonia vnde generetur 70
infrequens nobis eſt 210, 211
multis ignorantiæ aſylum 211
Scorbuticorum hæmorrhagiæ 89. 90
vnde vulgo deriuentur 94
Scorpius 288
Scybalorum reiectio per œſophagum 308
Se- & excretiones 313
in febribus prudenter moderandæ & adiuuandæ ſunt 188. 189
Secta methodicorum 4
Sedimentum vrinæ 456 ſeqq. 465. 473
laudabile & optimum 474
eius abſentia ibid.
album & læue 475
- cretaceum 486
bilioſum 476
craſſum 474
crimnodeum & diuulſum 475
cruentum 486
farinaceum 477
flocculentum 466. 474
grumoſum 486
hordeo toſto ſimile 477
lateritium 475
limoſum 476
liuidum 475
multum 477
nigrum 475. 476. 486
orobeum 486
pingue 476
purulentum 474
roſeum ibid.

neque

neque album neque rubrum 486
ſubrubrum 475
vrina rubicundius 486
ſputo ſimile 476
tenue in febribus 474
Semeiologia 2. 307
in dubium vocatur 311
difficultatibus premitur 326
eius limites ampliores ibid.
- - vſus 317
imperfectionis cauſſæ 321
Semeiotica 307
ſcripta veterum & recentiorum 321 - 324
Semen in vaſis ſpermaticis accenſum num furoris vterini cauſſa 272
eius fluxiones vnde vulgo deriuentur 94
in vrina 460
Senectus ſine virium amisſione 202
Senes cur ſæpius ægrotent 31
eorum morbi 40
cur hæc ætas motuum abolitionem decernat 260
eorum vrinæ quales 448
mictus cruentus illis lethalis 116
Senium ex morbo 218
Senſibiles ad morbos procliuiores ſunt 32.34
ſiunt leipothymici 258
Senſibilitas quid ad morbos conferat 46. 47
quid valeat in congeſtionibus rheumaticis 127
viſus in morbis extraordinaria 548
in febribus vnde 177. 178
ſub morbis 552
Senſus interni & externi 314
iis recte valentibus an homo mori posſit 580
internorum abuſus 45
mutatio internorum quid indicet 552
externi ſunt media ad ſigna morbi dignoſcenda 316
internorum & externorum alterationes 544. 548
prognoſis de internorum alterationibus generalis 551
- - ſpecialis in febribus 561
- - in aliis morbis 571
- - de externorum alterationibus generalis 557
- - ſpecialis in febribus 564
- - in aliis morbis 573
interni a motuum vitalium exacerbationibus multum turbantur 551. 552
internorum alterationes vbi accidant 545
Septenarii & ſemiſeptenarii 160. 161
eorum ordiendi ratio 399. 400
huius numeri electio 410. 411
Sermonis ratio in morbis habenda 561

Serpen-

Serpentes in luporum rabidorum renibus reperti 282. 288
Serum corrumpens 205. 206
eius fluxiones vnde vulgo deriuentur 94
- - ſecretio a lympha neceſſaria 207
Setacea non iterata congeſtiones inuitant 124
Sexus quid ad morborum frequentiam conferat 32. 40
vterque cur abundantiæ ſanguinis indigeat 57
Siccitas inter cauſſas morborum eſt 5
Signa ſemeiologica 308. 309
eorum cauſſæ nondum erutæ ſunt 325
- - media, per quæ innoteſcunt 316
- - fontes 312
- - antiqui Medici ſtudioſi obſeruatores fuerunt 606
non ſunt infallibilia 327
antecedentia & concomitantia 315. 316
coctionis & cruditatis 310. 403
diagnoſtica & prognoſtica 318. 319. 325. ſeq.
motus tonici excedentis, deficientis, mixti 364
Silentium in morbis 550. 561
Sinenſes ex pulſu omnia elicere volunt 336
Singultus 136. 364. 365
in febribus 370
in aliis morbis 375
cum conuulſione 367
Sitis in febribus vnde 176. 177
inexhauſta 594
ceſſans in acutis ibid.
Soda 220. 231. 232
v. ardor ventriculi.
Solanum furioſum 289
Somnambulatio 272. 547
non eſt pathema naturale 279
Somnambuli, cur eorum muſculi non vero cutis ſentiat 280
Somnia anxia quid indicent 55
Somnus longior quando ſalutaris 383
nimius plethorum auget 57
- - memoriam debilitat 268
inquietus vnde 55
in febribus 563
in morbi aucti incremento 309
eius prognoſis 553. 554
vrinam mutat 450
Sopor 554. 573
eius defectus 547
Soporoſa pathemata 237
Soporoſi morbi 241
eorum cauſſæ 255
Spaſmus 133
eius ſigna 141
- - ſubiecta 143
- - cauſſæ 144
num per conuulſionem exprimendus 148. 149
quomodo a conuulſione differat 139. 140

quo

quo modo a tenſione muſculari in ſtatu naturali differat 139
proprio cognomine deſtitutus ibid.
Spaſmi abdominis 136
arthritici 137. 138
in collo 135
cynicus 134
fixus Paracelſi 139
flatulentus 137
num flatulentiæ vnica cauſſa 223
lentus muſcularis & fibrillaris 137. 138
œſophagi & ventriculi 135
occipitis 134
orificio vteri 136
repentinus 137
anonymi in thorace 135. 138
veſicæ 136
Spaſticæ tenſiones in dorſo 369
Spaſtico - arthriticæ adflictiones 122. 140
Spaſtico-conuulſiui motus 140. 149
Spectrorum viſiones memoriam hebetant 268
maniæ cauſſa 270
Sphygmica ars num Hippocrati cognita fuerit 346. 347
Spirandi difficultas 360. 361
Spirationes ſuſpirioſæ in febribus 359
in aliis morbis 361
Spiritus fœtidus in acutis 359
in aliis morbis 361
Spirituoſus potus tremorem artuum producit 246
Spiritus morborum cauſſis adnumerantur 4
mali morborum cauſſa 7
animales num tympanitidis cauſſa 210
criſes efficere debent 400
ardens copioſe ingurgitatus pernicioſus 287
- - cachexiam producere poteſt 200
- - - ſ. vini humores lentos reddit & coagulat 67
C. C. in febribus adhibitus nocet 201
Spiſſitudo non ſubnaſcitur ex acrimonia 68
plerumque eſt mater acrimoniæ 70
humorum quos morbos producat ibid.
ſanguinis 64. 416
Splenitis 156
Spuma vrinæ 458
nigra 448
flaua vel viridis ibid.
fundum petens ibid.
ex maioribus ampullis 487
circa os in ſtrangulatis 602
Sputum 314. 532
differt a ſaliua 532. 533
cruentum vnde vulgo deriuetur 94
eius inſpectio numquam negligi debet 534

eius differentiæ 533
- - prognoſis generalis 534
- - ſpecialis in febribus 535
- - in aliis morbis 539
igni impoſitum grauem nidorem redolens 542
eius cruditas & coctio 536
album, æquale, ſine pituita 540
exalbidum 538
amarum 538
bilioſum 537. 538. 541. 542
flauæ bilis 537
calidum 538. 539
craſſum 538. 540
cruentum 541. 542
dulce 541
flauum 539. 540. 543
fœtidum 538. 539. 541
- - non ſemper de pulmonis corruptione teſtatur 543
frigidum 539
fuliginoſum 541
graue olens 537. 538. 539. 541
glutinoſum ibid.
inſipidum, ſangunis expers 540. 543
liuidum 537
nigricans 542
nigrum 539. 541. 543
pallidum 539
paucum 538. 540. 541
pituitoſum inſipidum 540
purulentum 538. 540. 541
retentio eius in tabidis 540
rotundum 539
rufum, rubrum ibid.
ſanguineum 537
ſanguinis recentis concreti, ſpumantis 539. 540. 542. 543
- - ſæpe ex aliis locis quam pulmonibus prodire poteſt 543
- - ante aut poſt puris reiectionem quodnam pernicioſius 544
ſalſum, ſalſuginoſum 540. 541. 542
ſincerum 540
ſpumoſum 539
ſubaridum 537. 538
ſubputridum 542
viſcidum 538. 541
Sputatio crebra 537
- - hypochondriacorum 540
critica rariſſima 542
Stagnatio congeſtionis negotium non explicat 121
Stagnationes humorum ex congeſtionibus 129
& ſtaſes partium internarum 122
Stahlius quam pathologiam formauerit 9. 10
hiſtoriæ morborum operam dedit 12
Starrſehen, in febribus 565. 587
Staſis ad congeſtiones explicandas non quadrat 121
Status morbi 402
eſt criſeos perfectæ tempus 395
Sternutamentum 594. 603

eſt

Stillicidium vrinæ 485
Strangulati 299
Stranguria 194
eius ſigna & ſubiecta 197. 199
- - cauſſæ 205
Stridor dentium 315
Struthius (Ioſeph.) 347
Stupiditas 264
Stupor ſ. tactus imminutio a torpore differt 549
Subiectum morbi 3. 31
Submerſi eodem modo exſtinguuntur ac apoplectici 298
nonnumquam ſeruari poſſent 304
Submerſionis cauſſa vulgaris & recentior 296
Suctio veterum 218
Sudor 313. 433
eius prognoſis generalis 435 ſeqq.
- - ſpecialis in febribus 437
nulla febris ſine ſudore deſinit 188
eius excretio quando in febribus ſuccedat 188. 189
optimus in febribus 439
eius prognoſis ſpecialis in aliis morbis 441
vniuerſalis, eius ſigna critica 389
particularis, minus fidus 441. 443
Anglicanus 158. 408. 434
colliquatiuus 433. 440
criticus & ſymptomaticus 435
fœtidus 445
frigidus 369. 444. 445
- - in purpura chronica 436
- - in acutis & ardentibus 439. 440
- - in ſyncope 442. 443
- - in fronte quem morbum ſignificet 441. 589. 599
hypochondriacorum largior quid indicet 442
interſectus ominoſus 443. 446
largus in fronte epilepticorum 441
- - in febribus 189
nimius aut ſuppreſſus 194 197. 205
- - ſanguinem ſpiſſum relinquit 67
- - eius ſubiecta 199
- - cauſſæ 204
paralyticorum paſſiuus eſt 443
Pariſinus 434
pedum non ad vitia ſudoris referendus 212
pinguis 444
ſanguineus 80
typicus 434
Sudores quo modo tractandi 446
Sudorifera plethoricis non conueniunt 60. 61
Suffocatio ex quibus cauſſis occaſionalibus 255
eius modus in aqua merſis 298
Sulphur, ſal & mercurius 5
Surditas in acutis 508. 557. 565

in aliis morbis 515.574
Syluius Tackenii hyperaſpiſtes 69
quam pathologiam agnouerit 8
Symptoma, eius definitio 24
an poſſit conſiſtere abſente morbo 30
an ſequatur morbum ibid.
Symptomata ab ipſo morbo differunt 2
in veros morbos abeunt 30
ſymptomatum 29
eorum differentia 24
actiua & paſſiua 14.15.25.26
non ſunt oppugnanda 326.362
febrium 174
Syncope 237.243
eius cauſſæ 256
feminis familiarior 262
Syſtematis neruoſi debilitas num in conuulſionibus infantum adcuſanda 151

T.

Tabacophyli quale ſputum mane excernant 543
Tachenius quam morborum cauſſam ſtatuerit 7
eius placitum de acrimonia 68
Taciturnitas ægrorum 552
Tactus quid ad ſigna morbi pernoſcenda conferat 317
quas alterationes patiatur 549.567.574
Tarantella quid ſit 282
Tarantiſmus 265.266
Italiæ quibusdam incolis proprius 281
eius cauſſæ 274
Tarantulæ aliæ aliis cur mitiores obſeruantur 281
Tartarus cauſſa omnium morborum 6
Temperamentum in morboſis cauſſis attendendum 51
eius morbi peculiares 41
quid ad motus erroneos conferat 150.151
quodnam præcipue febribus ſubiectum 166
ſanguineum ad plethoram habile 57
Temperies humorum 5
Tempeſtatum mutationes 315
ad apoplexiam occaſionem dare poſſunt 261
humido-frigida ad rheumatiſmos & ſpaſmos apta 146
Tempora adſtricta 599
eorum dolor 558
Tempus criſeos reſpectu dierum criticorum 395.398
Teneſmus 137.214
eius cauſſæ 230
Terrores anxii obliuionem inducunt 268
Tetanus 134
Theoriæ ſ. pathologiæ falſæ lubricum fundamentum 69
Theſaurus (Camill.) 347

Tho-

Thoracis ſpasmi 135. 138
Thraſymythia 550
Tinnitus aurium vnde 55
Tonus 313
ab elatere differt 444
alterationum eius prognoſis generalis 124. 366
- - ſpecialis 367. ſeqq.
Torinus (Albanus) 324
Tormina in febribus 569
Torpor 364. 365. 366
et tremor in febribus 371
Tracheæ contractio in fulmine tactis & aqua ſubmerſis 295. 296. 297. 298
Trallianus (Alex) 323
Tranquillitas ægrorum 552
Translatio 382
Transudatio in hæmorrhagiis pro cauſſa habetur 95. 96
Tremor 364. 367
in febribus 371
In aliis morbis 376
artuum 236
- - quo modo a defectu virium differat 238
- - eius cauſſæ 246
- - actiuus & paſſiuus 246
- - ſubinde in paralyſin degenerat 237
- ex fulminis tactu 294
- pertinax malum 259
Trichiaſis 450. 459
Trismus 138
Triſtitia vrinam alterat 450
Tumores 123
eorum prognoſis 525. lit. Xxx.
- - antiqui diligentes fuerunt obſeruatores 528. lit. Xxx.
palpebrarum 602
rheumatico-acres 122
œdematoſi & hydropici vnde 209
glandularum dolentes 570
Tuſſis 122
hæmoptyica 84
non eſt cauſſa hæmoptyſeos 111
humida 122. 206
- - infantum quo modo conuulſiones inducat 148
valida 535
Tympanites 194
num ad hydropis ſpecies pertineat 209
minus congrue ad ſpaſmos refertur 137
eius ſigna 196
Typhonia ſ. *typhomania* 242. 547
Typus febris 161

V.

Valetudinarii morbos facilius ſuperant quam alii 34
Valla (Geo.) 347
Valleſius (Franc.) ibid.
Valuulæ in vena porta abſunt 113
Vapor calidus cutis in febribus 504
Vapori vitriolato neruorum relaxatio adſcribitur 249

Varices manantes 82. 88. 118. 119
eorum ſubiecta 91
- - cauſſæ 106
Variolæ 157
earum materia 168
- - num à natiuitate in corpore deliteſcat 284. 285
impetuoſos motus non perferunt 341
Vaſorum obſtructio pro hæmorrhagiarum cauſſa venditatur 94 95
lymphaticorum disruptio difficilis eſt 208. 209
Vegetabilia quæ ſanguinem melancholicum generare creduntur 269
Venæ portæ valuulis caret 113
venarum obſtructio in hæmorrhagiis adlegari non poteſt 95
Venæ circa frontem ſi mouentur 595. 599
Venæ ſectio plethoram imminuit 63
eius conſuetudo apud antiquos 431
- apud nos 432
eius εὐκαιρία obſeruanda, præcipue in febribus 363
neglecta congeſtiones inuitat 124
intermiſſa maniæ cauſſa 268
in repentinis ad caput congeſtionibus commendatur 581
Veneficii ſuſpicio ex rebus peregrinis in abſceſſibus repertis 531
Venenum 286
bonum & malum 287
eorum differentia 287
abſoluta & reſpectiua 302
ex animali regno penetrantiſſima & contagioſa ſunt 301
eorum noxa ratione modi operandi & adminiſtrationis 288
edendi adſuetudo innoxia 302
temporaria venena 289
adſumta venena 44
Veneris abuſus memoriam hebetat 268
maniæ cauſſa 269
Ventris dolor 575
Ventriculi ardor 214
inflammatio 215
ſpasmus 135
moleſta repletio in morbis 578
hernia 234
oris dolor 559
Venularum apertio num hæmorrhagiarum cauſſa 91. 92
Vermes 214. 314
eorum ſigna 215
- ſubiecta 217
- cauſſæ 224
- prouentus dubiis ſubiacet 233

mor-

morborum cauſſæ præternaturales 43
conuulſionum cauſſa 148
ſaltationis cauſſa 274
in morbis periculoſis 518. 519
per os aut nares prodeuntes 519
in vrina 461. 488
in cerebro canis rabidi 282
Vertigo 121
Verticis dolor 558
Veſica intercepta 485. 577
Veſicæ ſpaſmus 136
dolor 577
Veſicatoria omiſſa congeſtiones inuitant 124
Vetulæ menſtruatæ 118
Victus parcior plethoram imminuit 61
ſalinus pauperum nihil ad cacohymiam adfert 75
Vigiliæ in febribus vnde 177
febrium cauſſis adnumerantur 173
vrinam mutant 450
Vincula delirantes furioſiores reddunt 278. 279
Violentia externa rheumatiſmo occaſionem præbet 127
Vipera 281. 288
Vires, quid per illas intelligamus 244
amiſſæ & omiſſæ 238. 244
omiſſio illarum nihil boni promittit 377. 378
ægri vires ex vigore pulſus iudicare licet 338
naturæ humanæ cognoſcendæ ſunt 312
earum deiectio in febribus 237
- poſt morbos facile curari poteſt 259
earum defectus in morbis acutis 244
- in malignis 238
- in morbis chronicis 245
Virilis ætatis morbi 40
Viſcerum læſiones febres non perferunt 184
melancholiæ & maniæ cauſſa 269
chronicæ vnde oriantur 71
vitium ex faciei decoloratione cognoſcendum 596. 597
vitium quando in hydrope præcedat 208
dolor in febribus 570
Viſcida materia num ſit cauſſa apoplexiæ 253
Viſus ſigna morbi Medico ſuppeditat 316
obnubilitatio vnde 55
quas læſiones patiatur 548
abolitio 600
hebetudo in febribus 565. 567
res geminas videns 574
Vita otioſa plethoram auget 57. 58. 62

eius

eius conſectaria 75
quomodo febrim concitare poſſit 173
Vitæ genus ad peculiares morbos diſponit 32
eius mutatio periculoſa 56. 62
Viti ſancti chorea vnde nomen habeat 280. 281
Vitia vrinæ num ad ſpaſinos referenda 212
Vitium ſenſu phyſico differt a morbo 3
organorum in hydrope frequens 208
Vitrum adſumtum veneni inſtar nocet 287
antimonii 288
Vlcera chilonia & thelephia 78
Vlceroſæ manationes 123
expulſiones ſpontaneæ num cacochymiæ producta 74. 77
Vmbilici dolor 569. 576
Vngues liueſcentes in febribus 594
Volatilium in febribus abuſus quid noceat 201
Vollblütige Leute werden am heftigſten angegriffen 60
Voluntatis morbi 264
Vomica 122
Vomitus 214. 497
Vomitio & *Vomituritio* num & quomodo differant 497
eius ſubiecta 217
- cauſſæ 226
eius prognoſis generalis 500. ſeqq.
- - ſpecialis in febribus 504
- - in aliis morbis 511
quo tempore ciendus 500
poſt cibi faſtidium, ſine febre, num neceſſarius 501
poſt medicamenta lethalia 512
in quo peculiaris materia ſine cibis reiicitur 235
poſt capitis fracturas 512
in anguſtia pectoris 512
in quotidiana & tertiana 505
a nuda imaginatione 227
æruginoſus 505
aquoſus 234
artificialis 498
bilioſus 498
criticus 390. 498
cruentus rarior eſt 112
eius ſigna 84. 85
- ſubiecta 89
- cauſſæ 99. 100
in viris periculoſior quam in feminis 112
faſtidioſus 504
liuidus 500
niger in febribus 500. 505
- in aliis morbis 511
nimius 497. 498
ruber 500
ſanguineus 498
ſincerus 500. 501

ſpon-

ſpontaneus 498
ſymptomaticus 498
vacuus 497. 498
viridis 500
virulentus 505
Voracitas 218
pueris nocet 38
iuniorum in morbis 578
Vox, eius mutatio vnde 38
clangoſa in febribus 504
eius læſiones 550
acuta in febribus 571
- in aliis morbis 578
- & ſtridula 561
- & ferox reſponſio 551
confracta 578
debilis & demiſſa 586
ſtridula 591
Vrina 447
eius ſigna 314
- prognoſis generalis 461. ſeqq.
- - ſpecialis in febribus 466. ſeqq.
- - in aliis morbis 478
ſola nihil certi præſagit 462. 488. 489
an pulſus certius porrigat prognoſticon 461
de læſione partium aliquid præſagire poteſt ibid.
audibilis & guſtatilis 455
optima & peſſima in febribus 473
ſanorum, eius mutatio vnde 448. 449
potus & ſanguinis 451
potui non ſemper reſpondet 462
quatuor temporum anni qualis 463
eius contenta 456
- arenulæ 466
- bullæ 458
- cuticula ibid.
- nubecula 457. 475
- odor 464. 465
- pinguedo ſupra natans 458
- ſedimentum 456. ſeqq. 465. 466. 473. ſeqq.
- ſpuma 458. 477
grauidarum 466
hecticorum 471
mulierum craſſa 480
eius color in purpura 470
eius incontinentia 204
- vitia quæ ad lunæ phaſes vel inualeſcunt, vel imminuuntur 212
eius excretio quando in febribus ſuccedat 188. 189
- largior eruptio 122. 189
- mutatio in epidemicis 467
- mutatio iterata in malignis 471
alba albicans & aquoſa 453. 469. 471. 481. 485
ſubiugalis 476
aquea 453. 478. 479
aurantii coloris 464. 482. 483
bilioſa 475
cereuiſiaria 454. 484

citrina 453. 481. 482
in febribus 469. 470
cineritia 484
clara in febribus 468
copioſa in febribus 473
craſſa 451. 468. 472. 479. 480. 481. 486
critica 391
crocea 471. 472. 483
cruda 476
cruenta 476. 483. 484
in variolis & morbillis 472
denigrata 472
lutulente diſcolor 484
flaua 453
florida, ſubroſea in febribus 470
flocculenta 472
fœtida in acutis & intermittentibus ibid.
fulua in acutis 471
fuſca 453. 484
grumoſa in febribus 472
intercepta 485
iumentorum ſ. ſubiugalis 452. 468. 469. 476
lactea 453
largior, copioſa & multa in febribus 473
lateritia 471. 480
liuida 484
lixiuioſa 489
lutulenta 480. 484
materia ſpiſſiore referta 486
membranoſa 476
mucoſa 485
multa, largior copioſa in febribus 464. 473. 485
multicolor 488
nigra 454. 484. 488
in acutis 472
ochrei coloris in febribus 470
oleoſa 452
opaca & craſſa frequentior 451
pallida 471. 481
cum & ſine ſpuma 480
pauca in febribus 464. 472. 484
pellucida in febribus 469
craſſa & pellucida rara eſt 451
pinguis 465
ponderoſior 488
putrida ibid.
roſea 454. 471
rubicunda 472
rubra 454. 471. 483
ſ. cruenta in variolis & morbillis 472
tenuis & rubra 470
ſature rubra & ad nigredinem vergens 471
rufa in febribus 470
rutilans in febribus 454. 470. 483. 484
ſabuloſa 486
ſubcruenta & ichoroſa materia permixta 87
ſubdulcis 485
ſubiugalis ſeu iumentorum 452. 476

- in febribus 468. 469
ſubroſea in febribus 470
cui *ſublime* quid innatat 487
ſubrubra in febribus 470. 574
ſpumoſa in febribus 477. 487
ſtillatim effluens 485
tenuis, aquoſa & cruda 478. 479
in febribus 466. 467. 468
in vitiis vrinæ 479
& rubra 470
& opaca peſſima 451
turbida 452. 484
in febribus 469
& pallida 480
viridis 472
interdum in ſanis morbida adparet 490
ſana in malignis peſſima 489
in periculoſis morbis ſæpe fallit 489
cholerici fallaciam febris ardentis edere poteſt 488
maſculi a feminarum lotio num diſcerni queat 488
ex adſumtis malam qualitatem accipere poteſt 488
eius color, odor & ſapor ab vrologis obſeruatur 494
Vrologia 494
Vromantia 494
num vtilis & neceſſaria 490. 491
eius fallacia quid detrimenti rei medicæ adferat 489
ſuperſtitioſa Paracelſiſtarum 493
Vromantæ plebeii 490. 491
mira interdum dicunt 492. 493
Vroſcopia 494
medica cum vromantia non eſt confundenda 492. 493
eius vſus & neceſſitas ibid.
- - abuſus 490
- - ambiguitas 488. 489. 491. 492
Vroſcopi quibus artificiis vtantur 494. 495
Vulnera cranii & alia conuulſionibus anſam dant 148
Vultus quomodo a facie differat 582
auſterus, moroſus, tetricus, decolor 599
eius variatio in morbis 596
Vteri conſenſus cum hypochondriis & primis viis 117
hæmorrhagia 88

W.

Williſii ſyſtema medicinæ 8. 9
Wirdigius pathologiæ falſæ defenſor 7
Wolfius (Io.) 324

Y.

Yucca 289

Z.

Zecchi (Io.) 348.

CORRI-

CORRIGENDA.

Pag. 7.	lin. vlt.	leg. ſalſæ.
- 16.	- 20.	- humorum.
- 35.	- 3.	- bubulcos.
- 37.	- 23.	- manationes.
- ibid.	- 27.	- teſtantur.
- 54.	- penult.	- inflatione.
- 55.	- 26.	- ingraueſcens.
- 65.	- 9.	- anguſtationis.
- 77.	- 5.	- deſidiam.
- 79.	- 27.	- obſeruationum.
- 80.	- penult.	- ætate.
- 96.	- 28.	- conuellendis.
- 97.	- 26.	- moderatur.
- 102.	- 4.	- quidem.
- 109.	- 8.	- remittimus.
- ibid.	- 24.	- commotionibus.
- 134.	- antepen.	l. muſculis.
- 136.	- 24.	- tenuior.
- 139.	- 22.	- pudendagra.
- 142.	- 2.	- oſcitatio.
- 151.	- 24.	- ordinarias.
- 158.	- 18.	- benignæ.
- 199.	- 4.	- gonorrhœæ.
- ibid.	- 24.	- efficaciam.
- 200.	- 32.	- incongrua.
- 201.	- 17.	- reparatio.
- 204.	- 2.	- ſcorbuto.
- ibid.	- 17.	- gonorrhœæ.
- 207.	- 14.	- cachexiæ.
- 208.	- 20.	- grumoſo.
- 209.	- 5.	- diuturnior.
- ibid.	- 16.	- ſuccreſcentis.
- 217.	- 6.	- optime.
- 223.	- 2.	- ſoluti adcuſantur.
- 250.	- 16.	- interceptio.
- 255.	- 18.	- cauſſæ.
- ibid.	- 19.	- cauſſa.
- 256.	- 14.	- purulentæ.
- 260.	- 5.	- bey.
Pag. 260.	lin. 15.	- deleatur et.
- 274.	- 17.	- quas.
- ibid.	- 22.	- teſtis.
- 278.	- 6-7.	- imaginationis.
- 279.	- 29.	- auderent.
- 282.	- 18.	- ſimplicis.
- 286.	- 24.25.	- ſontica & irreparabilis.
- 290.	- 19.	- melancholiam.
- 303.	- vlt.	- terebrans.
- 310.	- 29.	- ſynedreuonta.
- 314.	- 26.	- alterutro.
- 319.	- 24.	- ominoſis.
- 336.	- 1.	- decurtatus.
- ibid.	- 27.	- gerit.
- 360.	- 28.	- hydropis.
- 365.	- 12.	- ſpaſmodicam.
- 377.	- 23.	- criticus.
- 884.	- 6.	- noxiorum.
- 386.	- 10.	- vigiliæ.
- 393.	- 18.	- glanduloſis.
- 400.	- antepen.	- irriti.
- 412.	- 19.	- alexipharmaca
- 413.	- 15.	- lympha.
- 432.	- 1.	- vertere.
- 433.	- 13.	- præferuans.
- 453.	- 17.	- cineritia.
- 467.	- 11	- dynamid.
- ibid.	- 16.	- pleuritidem.
- 469.	- 4.	- imminet.
- 492.	- 16.	- Et.
- 496.	- 3.	- hypoſtaſin.
- 501.	- 20.	- multam.
- 502.	- 7.	- excernere.
- 509.	- 26.	- iactatione.
- 525. lit. Xxx.	l. 31.	l. vlceribus.
- ibid.		cuſtos corrigendus.
- 541.	- 23.	- ſanguinem.
- 551.	- 12.	- neruoſarum.